UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annuae litterae Societatis Jesu

1595

urn:nbn:de:hbz:466:1-98976

Visual Library

M. 5769

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LITTERAE SOCIETATIS IESV

DVORVM ANNORVM
M. D. XCIIII. ET M. D. XCV.

AD PATRES ET FRATRES
EIVSDEM SOCIETATIS.

SVPERIORVM PERMISSV.

NEAPOLI.

Apud Tarquinium Longum, M. DC. IV.

LITTERAE SOCIETATIS IESV

DVORVM ANNORVM
M.D.XCIII. ET M.D.XCIV.

PATRES ET FRATRES
EIVSDEM SOCIETATIS.

SVPPLICIORVM PERMISSV.

NEAPOLI.

Apud Tarquinium Longum, M.DCXV.

LITTERAE SOCIETATIS IESV

DVORVM ANNORVM M. D. XCIIII. ET M. D. XCV.

PATRIBVS, FRATRIBVS QVE SOCIETATIS IESV.

Gratia, & pax Christi Domini.

BIENNIO, & quot excurrere, mensibus euolutis a scriptione anni, superioris saeculi, nonagesimi sexti, ac tantum non absoluto triennio, anni eiusdem saeculi nonagesimus quartus, ac nonagesimus quintus, hysteron proteron, scribendi mihi dantur: & erat nonagesimus septimus addēdus. morae causſas referre, non est operae. Sed res ipsa monet compendij potiorem ac festinationis habendam esse

rationem; quàm aut copiae, aut accuratioris perpolitionis. Est enim hoc aes alienum persoluendum, & ad diem; siue legitima pecunia, siue adulterina: & quod est difficilius, id totum e iustis occupationibus eripiendum. Quare quod extrema epistola anni nonagesimi sexti significaui, hic erit praeuertendum; vt communibus, & vsitatis rebus omissis, illa tantum colligantur, quae vel momento rei maioris, vel industriae alicuius nouitate gratam habeant cognitionem. Ac ne sic quidem satietas legentium vitabitur; cum res à praesenti memoria remotas, & quae vetustate iam exoleuerunt, quasi ex annalibus Sibyllae erutas, pro nouis, ac recentibus obtrudamus. Sed vt vetera sint ijs, apud quos decennio prope iam ante contigere; illis qui ea non nouerunt, noua certe videri necesse est. Duorum res annorum, quod ante alias factum videmus, vna iungentur epistola. res anni nonagesimi septimi post nonagesimum sextum propria erunt epistola continuandae. Ac neque Prouinciarum omnium res perscribi poterunt, sed viginti tantum, quarum litterae venerunt: vt ex inchoato earum numero, nostrorum hominum summa iniri minime potuerit.

Prouinciarum numerus, si Iaponios Philippinasque insulas numeremus (quibus & si nondum plenum Prouinciæ nomen datum est: proprio tamen regimine Pro prouinciali continentur) ad quatuor & viginti iam peruenerat. Domicilia iam constituta partim domus tum Professorum, tum Nouitiorum; partim Collegia, omissis Residentijs ac Missionibus, erant ducenta circiter & quadraginta. Residentiarum Missionumq; quibus transmarinae praecipue abundant regiones, varius sit numerus, & incertus necesse est. Alius rerum nostrarum numerus certior iniri vniuersè nullus potuit. Sed iam ad singulas Prouincias veniamus.

PRO-

PROVINCIA ROMANA

NVMERAVIT Prouincia Romana anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, ſi illos eximas qui in Profeſſorum domo verſati ſunt, homines quingentos quinquaginta quatuor: Sacerdotes centum quinquaginta nouẽ; nõ Sacerdotes reliquos, e quibus coadiutorum tantum, ac nouitiorum certus, & diſtinctus eſt numerus, coadiutores fuere pari omnino numero cum ſacerdotibus: nouitij ſexaginta nouem: in docendi munere occupati triginta nouem: ſcholaſtici variarum facultatum centum triginta octo: ſed poſtremorum duorum ordinum numerus eſt cum ſacerdotum numero confuſus. Ex his Romae octo domicilijs trecenti nonaginta duo continentur: Romano Collegio duodeuiginti ſupra ducentos: domo Probationis ad S. Andreae nonaginta ſeptem: Collegio Paenitentiariorum viginti: quatuor plures clericorum Seminario, & conuictorum Collegio: quindecim collegio Germanico: decem Anglicano: collegio Graecorum ſex: duo Maronitarum. Extra Romam miniſteria Societatis exercuere centum ſexaginta duo: in Collegio Florentino vnus & viginti: in Senenſi totidem: quindecim in Peruſino: duodeuiginti in Maceratenſi: in Recinetenſi quatuordecim: in Oppido Monte ſancto octo: duo pauciores in inchoato adhuc Setino Collegio: in Tiburtino vndecim; quatuor & triginta in Lauretano; in Miſſionibus peregrinati Sacerdotes nouem cum tribus Laicis coadiutoribus. Hic

numerus fuit huius biennij: anno priore triginta capitibus minor. Diem suum obiere priore anno tredecim, Romae plerique: admissi in Societatem sunt tringinta sex: scholastici viginti septem; nouem coadiutores. Posteriore anno e vita emigrarunt quatuordecim. venerunt ad Societatem triginta quatuor: scholastici viginti septem, septem coadiutores.

DOMVS PROFESSA ROMANA.

IN Romana professorum domo, praeter virorum Principum, ac sacrorum Antistitum Sodalitatem superiore anno institutam, quae feliciter progreditur, & floret in dies magis. magisque; anno huius biennij priore duae aliae opificum erectae sunt: prior inuocatione Natiuitatis B. Virginis, in quam magistri tantum officinarum admittuntur, homines grandes natu, sui ordinis honestissimi, & plerique locupletes: altera inuocatione Assumptionis eiusdem S. Matris; quae tota constat ex secundo ordine opificum iuuenum operam mercede exercentium: in vtraque iam ducena numerantur capita. Eaedem vtrique datae leges: Sacramenta statis temporibus obire, flagellationem singulis hebdomadis vsurpare; dissidentes reconciliare; Aduentu, Quadragesimaque Lateranenses scalas, Christi patientis vestigijs impressas, reuerenter subire; septem religiosiora templa vna omnes agmine adire; decumbentes in nosodochijs consolari; cibos illis ministrare; ceteraque caritatis officia praestare; tum ad eorum solatium, leuandamque morbi nauseam, molestiamque, selectiorum eduliorum, quibus non ita domus abundant hospitales, munuscula dispertiri. ita miseri nunquam se lautius tractari asseuerant, quam quibus diebus à pijs sodalibus id genus xeniolis recreantur. quare eius rei caussa sodales omnes, certo distributi numero,

mero, diebus festis, per vices partiti inter se valetudinaria, id caritatis munus obeunt. multique sua sponte extra ordinem, magno documento caritatis, id praestant. Sed harum duarum altera, quæ constat iuniori-bus, vere seminarium religiosorum potest appellari: tàm multi se ex ijs diuersas ad religiones contulerunt, vt quindecim diebus septem suauissimo Christi iugo colla subdiderint. octo Societati nostrae nomina dederunt; valdeque bonos operum se praebent adiutores: multo adhuc plures Capuccinis sese adiunxerunt: multi praeterea tum in Societatem, tum in alias familias se admitti postulant: libentibusque animis ab omnibus excipiuntur, quod non modicum vsum spiritualium exercitationum, & vitae praeceptorum, tum religiosae mortificationis nacti sint. fauet persaepe bonorum sodaliũ pietati Virgo clementissima. Proficiscebatur ex ijs vnus ad Lauretanã aedem: occurrit in itinere in aduersam rhedam; qua exterritum, quo vehebatur iumentum, in rhedam impactum prosternitur, rhedaque toto onere vtrunque superuehitur. Ille, ope implorata Sanctae matris, nulla prorsus offensione, incolumis euasit. Idem Romae cum praealtas fabriles scalas, parieti applicitas, certae rei caussa suspendendae conscendisset; illasque, vt a pariete paullum remoueret, aequo maiore alterius pedis nisu vim feciſſet, retro actæ scalae resupinabantur; hominemque suo rotatu grauissime ad terram afflictum diffregissent, nisi eadem ope implorata iuuaretur: sensit enim se occulta manu retineri; scalasque rursus ad parietem impelli in suo statu considere. Tanto tamque euidenti periculo perfunctus e vestigio ad nostrum templum, gratias Matri Sanctissimae acturus se contulit. Et quoniam non minorem saepe habent vtilitatem diuinae animaduersionis, quam bonitatis documenta, cognitum est, non modo salutare esse pios eiusmodi coetus frequentare,

sed saepe etiam pernicioſum non illis conſtanter inhaerere. Calendis Maijs quidam ad conuentum à ſodalibus vocatus detrectauit. is circa horam veſperarum, dum ſe rixantium turbae parum caute immiſcet, interimitur. paruiſſet ille vocibus ſodalium, vtique periculum vitaſſet. ſigna tamen dedit moribundus animi ingenti poenitudine perfuſi. Alter tertium iam, aut quartum conuentu ſodalium neglecto, dum die Dominico circa horam piarum exercitationum ſe Tiberis aquis nando abluit, peritiſſimus homo natandi, gurgitibus abſorptus ſuffocatur; continuoque à duobus familiaribus, qui rei interfuerant, nuncius ad ſodales ad huc coactos perfertur: adoloſcentes tam acerbi caſus nuncij pauore perculſi, & alterius edocti malo, illo ipſo ſe in ſodalitium adſcribi poſtularunt. ex eoque die ſemel quaque hebdomada ad ſancta accedunt ſacramenta. Si vt hi modo vitentur caſus religio colatur, ſit ſaltem operæ pretium a Sanctiſſimae Matris tutela non recedere. Sunt omnino vniuerſae ciuitati hæc duo ſodalitia vtilia. Nam magiſtro vno opificum, & vno patre familias emendato, familia tota facile corrigitur. Quique e noſtris, rebus & contrahendis & agendis occupantur, teſtantur eius rei vel ipſis manibus vtilitatem contrectari: multum enim intereſſe, vtrum in illorum, an in aliorum quid contrahas officinis: ſiquidem in his ſincera omnia, omnia nuda fide, ſimpliciq; veritate trãſiguntur, nulli fuci, fallaciae nullae, periuria, proteruaeque voces nullae audiuntur. manet latius, fundatq; ſe conſuetudo; breui tempore maiore bonorum copia, quam improborum Vrbes redundabunt.

Eſt per idem tempus, aut non ita multo poſt (nam haec non diſtinctè ſatis ſuis temporibus notata ſunt) in noſtro templo doctrinae Chriſtianae exercitatio inducta, qua diebus feſtis pomeridiano tempore pueri, puellaeque, etiam e prima Romanorum nobilitate ad

horam

horam vsque vesperarum instituuntur. quo in opere octo e nostris, partim Sacerdotes, partim non sacerdotes, tanta est multitudo, bene occupantur. E confluente multitudine, coetus adolescentulorum, qui & aetate & indole maturi iam pijs exercitationibus videntur, selectus est. hi, perfectis exercitationibus, in sepositum vocantur oratorium, maioribus praeceptis imbuendi. & si iam iustam sodalitatem perfecerunt. Praeter hi vrbanas hasce aliae per nostros alijs in oppidis sodalitates eiusmodi sunt institutae, quae sacerdotum eorum locorum cura, & praescripto nostrorum reguntur. Mittuntur ex vrbe subinde pia munuscula, piaculares globuli, sacra numismata, agni consecrati, inductaque est in ijs oppidis sacramentorum frequentatio. Venere ab eorum oppidorum communitatibus legati cum litteris, gratias Societatis patribus agentes; quod tã salutaria instituta in suas patrias induxerint. Est Romae antiquum, nobileque collegium, quo Romani adolescentes inopes in studijs aluntur. Id ab antiquis Capranicae, nobilis oppidi, Dynastis fundatũ Capranicum à nobilissima eorundem Dynastarum familia nominatur: aluntur in eo triginta circiter adolescentes, collegijque instituto, publicum vrbis gymnasium frequentant, studijsque quisque suo arbitratu, aut iuris ciuilis, aut artium liberalium occupantur. Licentia vtuntur ea, qua id aetatis adolescentes, omni soluti lege, nullo Rectore, vti solent. Huc accedit alienatio a nostro nomine: quippe duorũ gymnasiorũ aemulatio, & disciplinę institutorũq; dissimilitudo dissensionem etiam inducit animorum, illisque reddit Societatis nomen odiosum. Tanta fuit cuiusdam nostri Sacerdotis industria; vt, quod nullus vnquam opinaretur, in illum quoque cœtum diuina ope Societatis iacula penetrarunt. Instituta est ex bona illorum studiosorum parte sodalitas, qui vitae totius confessione facta, alternis hebdomadis in nostro templo

sacram

sacram mensam edant; piasque alias inter se obeant exercitationes; quæ in alijs sodalitatibus, quae Societatis fouentur sinu, obiri solent. Dilatet Deus tabernacula Iacob: adspiret sua ope Virgo Sanctissima, non erunt carorum alumnorum irriti conatus.

COLLEGIVM ROMANVM.

IN Romano Collegio scholae hoc biennio solito maiorem frequentiam habuerunt, vt necesse fuerit, non modo humanitatis, ac grammaticae scholas geminare; sed tertiam quoque adolescentulorum, qui ad pietatem informantur, sodalitatem in duas alias praegrauante multitudine diuidere. Ad mille enim & quingentos scholarum omnium numerus peruenit: supra octingentos enim decem inferioris ordinis scholae; septigentos circiter superiores numerarunt. Neque vero aucta multitudine non amplificata laetitia est. multi enim se ad varia religiosorum instituta contulerunt. Septemdecim lectissimos adolescentes altera Parthenia sodalitas; quindecim praeter hos e reliquo numero scholae Societati peperere. Eorum vnius multis modis tẽtata cõstãtia est. Sexdecim annos natus erat: à parentibus, re cognita, nostrorũ consuetudine intercluſus, & ipsis parentibus & Summo Pontifici praeclare suae vocationis consilium probauit. euicit tandem constantia & consilio, vt sibi fieret potestas voti sui consequendi. Hi biennij fructus dandi litteris.

Fuit tamen eiusdem biennij prior annus Romano Collegio multis funeribus insignis. plures enim solito, & ex ijs aliqui conspicui & magnis à Deo muneribus decorati, diem suum obiere. In his agmen ducet P. Vincentius Brunus Arminensis, trium professus votorum, Vir ob egregiam pietatem, insigneſque virtutes, cum primis illis primitiuae Societatis patribus comparandus

randus. vt dubites, qua potissimum virtute fuerit eximius, cum in omnibus aeque excelluerit. continenti cum Deo coniunctione, mansuetudine, sui abiectione, tum animi tranquilitate tanta, & constantia, vt ne vnus quidem in eo vllo tempore vllum vel minimum commoti animi signum deprehenderit. modestia vero morum, viuida in sermone lenitas, totius tum interni tum externi hominis compositio in eo vulgaria fuere ornamenta. Vixit primis annis coniunctissime cum magno illo Sebastiano Romaeo, quem B. P. N. Ignatius Collegio Romano perpetuum Rectorem dederat: & vixit quandiu viuo illi verae humilitatis exemplo per attritam valetudinem licuit Collegij tenere gubernacula. quo tempore tantum tali magistro profecit, vt Romaeus ipse suum alumnum & magistrum, & patrem agnosceret, ac reuereretur. In eo videlicet pari perspectum est, quantum ad animorum concordiam prosit vera, in diuino spiritu fundata consensio. Sed haec interiora. earum vero virtutum, quae se porrigunt ad alios, caritas in eo erga fratres, aegrotos praesertim & valetudinarios, fuit insignis; & accurata diligentia: vt quandiu vixit in collegio (vixit autem maximam suae aetatis partem) fere valetudinario praefuerit. spiritalium rerum peritia tanta, vt omnium diutissime in Romano Collegio ei studio praefuerit. His accessit in rebus agendis prudentia, & vigilantia. Collegium Lauretanum, & Romanum Clericorum seminarium cum laude administrauit: in domo Romana professorum multis annis Ministrum egit. Collegium Romanum annis circiter sex duobus temporibus ex interuallo rexit. vt merito ab omnibus Collegij Romani pater diceretur. Nec quisquam est in tota Societate, qui aliquam sit nostrarũ Romanarũ rerum cognitionem assequutus, cui Vincentij Bruni nomen non sit notum. Tria edidit volumina piarum Meditationum de vita & passione

Christi

Christi Domini; quartum de B. Virgine. paruum etiam Libellum de modo rite & cum fructu peccata confitendi. Quae, quia sunt in manibus, Italis praesertim, notam vllam litterarum non desiderant. Antequam veniret ad Societatem, (nam ne id quidem alienum est) aliquot annis artem medicam professus erat: inde illa multa morborum cognitio, & peritia curationum. fuit aegra semper, & imbecilla valetudine: tenuissimo victu, eoque vulgari, & vili; & minimo quoque momento e venis pectoris illi sanguis erumpebat. Sæpius eius rei causa venit ad extrema; sed patientia incredibili, & abstinentia morbi saeuitiam superauit. Diem tandem clausit extremum Idibus uguſtis, anno aetatis suae tertio & sexagesimo, cum sex & triginta egisset in Societate.

Secundum locum in hoc agmine tenebit is, qui cum multis famam dedit, tum maius ipse sibi nomen comparauit, P. Franciscus Bencius ab Aquapendente, quatuor votorum professus. de cuius doctrina, & ingenio nihil dici tantum potest, vt non longo interuallo meae litterae luculentis eius monumentis superentur. quare notam orbi narrationem praetermittens, quae non ita facile ad aliorum aures ipsius scripta perferre potuerunt, animi candorem, morum simplicitatem, comitatem, & quod mirum est, in magnae eruditionis viro, sinceram humilitatem, mitissimamque obedientiam vellem non verbis solum explicare, sed posse penicillo verisque coloribus depingere: praeclarum religiosae probitatis exemplum cum egregia doctrina coniunctae spectaculo proponerem. In Societate, & in vita saecular studia semper humanitatis adamauit. quibus ita excelluit, vt magnum Romano Collegio nomen comparauerit. Adolescens M. Antonium Muretum, magnum illud, dum vixit, doctrinae promptuarium, audiuit: cuius postea praestantiam expressit: cuique & vt

sacerdos

sacerdos fieret & se a liberiore ad sanctius viuendi genus referret, persuasit: vt Muretus ipse ex eo tempore discipulum suum patris loco reuereri non dubitaret. Floruit amicitia non eorum tantum, qui per id tempus in Italia praestantes doctrina fuere, Manutius, Bargaeus, Sigonius, Vrsinius, Frizolius, Querengius; sed etiam clarissimorum in Romana Curia virorum, magnorumq; Antistitum, & sacra purpura insignium. Qua gratia & fortunae fauore ita temperanter vsus est, vt non modo nunquam se extulerit, nulli se vnquam praeposuerit, sed ne tantillum quidem ab ea modestia & humili simplicitate deflexerit, quam e Probationis domo deportauerat. Annos natus quinque & viginti in Societatem est ascitus, XV. Cal. Iun. anno Christi M. D LXX. cum secundo maxime cursu ferretur ad gloriam. Et quoniam huc venimus, non erit alienum summatim eius vocationem, & omnem rerum seriem exponere. Versatus Romae erat annis septem. initio coepit scholas nostras frequentare: nostroque in templo primum confessione expiatus est. Ex eo tempore subijt animum illa cogitatio: *Et tu de illis eris.* Transtulit deinde se ad publicum vrbis gymnasium. ibi Ioannem Pontanum, clarum in eo gymnasio philosophum quadriennio audiuit. biennio postea iuris ciuilis studia aggressus est. interim more Italicorum gymnasiorum, quo pluribus eodem tempore docentibus datur opera, Mureti scholas, aliorumque clarorum virorum frequentabat. Et quamuis excubitor ille spiritus, qui eius animum ad Societatem cogitandam excitauerat, videretur tantisper obticescere; subinde tamen eius rei consilium sui faciebat. idque ille & vni e fratribus, qui illi aetate proximus erat, & amicis nonnullis aliquando significauit. Sed amor humanae prosperitatis longe animum a se ipso auehebat; cogitationemque in alia omnia deducebat. Postremo ipso die festo Paschae, cum mane sacrosanctam

ctam Eucharistiam suscepisset, vespereque librum legeret de contemptu mundi, tanto sibi diuino sensit pectus amore inflammari; vt, nisi nox impedimento esset, confestim confessarium consuleret. Postero die adijt ille quidem confessarium, sed remissiore studio; vt cõcepta referre verba, non expromere animi sensa videretur. Inter hasce accedẽtes & recedẽtes curas, matre grauissime aegrotãte, ac spe salutis destituta, reuocat Aquapendentem. In itinere cognoscit illam decessisse. pergit nihilominus iter institutum. domum venit XVIII. cal. Maias. maeroris plenus se quieti dat. ac dum lacrymabundus noctem transigit; quaeritque secum, quem habeat consolatorem, pulcherrima ei Christi e cruce pẽdentis species obijcitur. Conuersus magnis clamoribus & lacrymis eum sibi consolatorem aduocat: memorq; praeteriti concepti voti, ei se totum tradit, ab ipso opem petit. sed recurrente terrenarum rerum cura, propriaque territus imbecillitate, in ipso orationis feruore, quam cum Christo habuit, rursus intepescit. sub haec species aliae obijciuntur, quibus omnibus ad susceptum de religione consilium incitabatur. crucifixi interim species perstabat: &, modo concepto spiritus feruore, modo prudentia carnis blandiente, contrarijs aestuans sententijs, ita Christum intuens, loquebatur, vt se ab illo nollet separari; rursusque ab eodem peteret, sibi vt eius liceret voluntate, ad humana fastigia contendere. Tenuit visum spatium circiter horae vnius, alternantibus semper hortantibus, & dehortantibus sententijs. Postridie cum visum domesticis narrasset, seque Societatem IESV cogitare, atque id iam pridem facturum fuisse, nisi matrem eo ictu percutere veritus esset; cognoscit e proprinqua, id illam maxime in votis habuisse; idemque à Deo precibus saepius contendisse. Pendebat tamen adhuc animo, nec humana vincula abrumpere piger audebat. Romam demum

mum redijt, ac post multam contrariarum curarum conflictationem, confessone facta peccatorum, certa tandem in sententia vocationis constitit. quo tempore tanto humanarum rerum taedio teneri coepit, vt cum summa sua admiratione, ne studia quidem litterarum, quibus antea delectabatur, neue libros attingere iam posset. Viuebat apud M. Antonium Burghesium, nobilem iuris consultum, patrem Camilli Burghesij, qui nunc sacra Cardinalatus purpura ornatur. Ei commeatus petendi caussa aperit consilium suum. senex, eius voluntate collaudata, *Optimam partem*, inquit, *elegisti tibi: quoniam ad illius obsequium te transfers, cui seruire regnare est. sed constantiae memineris. nemo enim mittens manum ad aratrum, respiciens retro, aptus est regno Dei.* Digna sane tanto, & tam prudente viro sententia. Ex eo tempore ad vltimum vsque vitae suae terminum, tam certus tamque laetus in suae vocationis consilio semper fuit, vt si semper in primo tyrocinio suo versaretur. Illum Deus eo beneficio cumulauit, quod paucis omnino vidimus concessum. Tres habuit fratres ijsdem parentibus natos; eorum tertium Andream Bencium secum habuit in tyrocinio. sed is *Consummatus in breui expleuit tempora multa*, non enim ita multis annis, quam venit ad Societatem, e terra translatus est ad coelum. At superstite adhuc Andrea, quartus; non ita multo post illius mortem, etiam secundus in Societatem sunt admissi. Sollicitus fuit de salute patris; egitque accurate, quantum potuit, vt illius animus ad prolem praeeuntem sequendam inclinaret: sed fuit nimirum tanta prosperitas aliquo desiderio temperanda. In Societate tolerantissimus laborum fuit, & ea corporis temperatione, vt contentionem operae, valetudinem sensim atterentem, non sentiret. ita naturae felicitas illi in damnum vertit. nam praeter quotidianas Gymnasij exercitationes; quibus eruditionis, ac

poe-

poeticae praesertim studia in Romano Collegio multum excitauit, annis sex Societatis annales scripsit. Martyrium B. Rodulphi Aquauiuae & comitum heroico versu, dramata aliquot latine, & iustum orationum, alterumque poemation volumen typis edidit. Praeter eo alia multa luce digna quae suppressit. His tandem laboribus confectus, magno & nostrorum & clarorum virorum dolore, prid. Non. Mai. cum in morbo, si vnquam ante suarum virtutum odorem effudisset, migrauit è vita: anno aetatis suae quinquagesimo secundo, quam venit ad Societatem vigesimo septimo.

Tertius in eodem agmine incedet P. Io. Baptista Alexandrius Perusinus, tria professus vota. nulla hic post se monumenta litterarum, sed praeclara instituta magnarum virtutum memoriam, magnaeque probatis hominum mentibus insculptam effigiem reliquit. Nam secundum primam illam maiorum adolescentium sodalitatem, quae paene vna cum Romano Collegio nata est, à P. Ioanne Leonio Gallo institutam, hic omnium primus P. Borgia Praeposito Generali, in angustijs ad huc veteris Collegij primum iuniorum sodalitium instituit. quod & nunc, laxatis aedibus, aucto discipulorum numero, in plura auctum sodalitia videmus: & ex eo postea cetera Collegia, ceteraeque Prouinciae exemplum desumpserunt. Quae sodalitia in multos annos illius & consilio, & opera administrata sunt. Contubernia quoque saecularium adolescentium, eodem vtentium conuictu; quae ad nostram corformata disciplinam, a saecularibus, nostrorum tamen auspicijs, nostrorumque praescripto reguntur; & multitudine iam maiora nostrorum conuictorum, alumnorumque collegia aequarunt. non modo sunt illius institutum, sed ab ipso quoque leges acceperunt: & illius praescripto, quandiu vixit, administrata sunt. Quae viuentia, & spirantia haud ita minoris facienda sunt, quam libris com-

commissa monumenta. Sed venio ad alia maiora ipsius ornamenta. Illis in primis maxime virtutibus enituit, acri odio suae, quam in se agnoscebat, paruitatis: in Dei amore firma fortitudine, & sui ipsius abiectione tanta; vt, cum ille strenue semper esset in opere; se tamen in Societate vile iumentum dictitaret. & haec ita perpetuo vitae victusque communis obducta velamento, vt non nisi qui cum eo familiariter viuerent, illa introspicerent. Edomando corpori, omnibusque sibi adimendis commodis ita intentus; vt cum alioqui robusto esset corpore, & magnis viribus, non longo tempore valetudo contabuerit. Parsisset ille valetudini: erat in longam senectam vtilis futurus. Extrinsecus vero in tractandis adolescentium animis, quibus multis annis fuit a confessionibus; illisque ad se ipsos cognoscendos, reuocandis, industria, & dexteritate admirabili, propositis ijs de morte, ac de poenis inferis meditationibus; vt, cum ille non ita abundaret gratia sermonis; videreturque omnis expers eloquentiae; illius tamen consuetudine mirifice & familiares tenerentur, & alieni allicerentur. in primis vero peruulgata de illius sanctimonia opinio illi adolescentes adiungebat, vt omnem vitae suae conscientiam, ac totum animi sui statum sincere aperirent. Quo in munere homo impiger, ac strenuus non eos spirituali tantum opera iuuabat: sed de eorum etiam valetudine sollicitus, paterna diligentia multa monebat quae vitarent, quae adhiberent: idque seruata religiosa grauitate. conquisitis quoque eleemosynis egentes magnae indolis adolescentes sustentabat in studijs. Itaque bonis Christi tironibus religiosorum familias compleuit. tam multos & egregios adolescentes ad Societatem adduxit, vt multae prouinciae iam illius beneficio fruantur. Praefuit aliquandiu Rector Perusino Collegio; quod & sui patrimonij, matre composita, quae illum vni-

cum habuerat, viuens haeredem fecit. Demum continentibus fractus laboribus, & perdita valetudine afflictus VIII. cal. Sept. excessit ad renouandam, vt aquila, iuuentutem suam, anno vitae suae quinquagesimo sexto, aetatis actae in Societate tricesimo quarto.

Prid. cal. Febr. praecesserat P. Stephanus Rospiliosus Pistorienſis, annos natus quinque & triginta; duodeuiginti egerat in Societate. adolescentulus nostrorum conuictu, nostraque disciplina Romae in conuictorum collegio vsus erat, probitatis semper studiosus: non verbosus, & ad offensiones vitandas bene prudens, humilitatem ac simplicitatem adamauit. docuit aliquot annis, etiam factus Sacerdos, grammaticam. praefuit etiam custodiae Gymnasij, magna nostrorum aliorũq; probatione. Hunc sequutus est P. M. Antonius Bolognetus Bononiensis, Cardinali Bologneto fratris filius. Is dum confecto studiorum cursu, se ad Philosophiam explicandam comparat, molesta & graui catarrho correptus, Bononiae, quo patrij coeli tentandi caussa missus erat, vitae cursum confecit V. cal. Apriles, annum agens quartum & tricesimum, vndecimo anno ante in Societatem admissus in Polonia, patruo iam à Gregorio XIII. ob merita, sacra purpura ornato. Bologneti obitum mors excepit Antonij Canauerae, insigni modestia, & probitate adolescentis. Venerat è Sardinia studiorum caussa. ingenio, & contentione ad studia spem non modicam magni prouentus faciebat: pietati & obedientiae apprime deditus, quarum virtutum documenta, & antea saepius multa, & in morbo praeterea patientiae plurima dedit. longa tabe consumptus iij. non. Maias ad suae mansuetudinis, aliarumque virtutum colligendos fructus emigrauit. Pridie idus Iulias. Angelus Mariottus Crustuminus e Tiburtina dioecesi, externi operis adiutor, ad coetum iustorum se adiunxit. annum agebat sextum & vicesimum,

mum, in Societate septimum. is rabida correptus febri, quae illum quatriduo confecit, mortis admonitus laetitiae signa prae se tulit: quod tunc maxime paratum se diceret ad obitum; & se libenter mori; siquidem in Religione moreretur. Ludouicus Seuarolus Fauentinus, Fauentiae quidem diem clausit extremum; sed tamen e Romano Collegio missus in patriam, ad eius caeli beneficium tentandum. Venerat ille nouem annis ante ad Societatem: in qua semper afflicta valetudine studia sua prosequutus est. Annum agebat septimum & vicesimum. Horum studia, & merita Deus fidelium remunerator aeterna sua gloria compensauit.

Compensasset sequens annus nonagesimus quinctus superioris anni damna, vacuus à funeribus, eorum certe, qui intra Collegij septa versabantur; nisi magna iactura facta esset in viro maximo P. Hieronymo Prado Barriensi, qui ingenti studio & doctrina non modo Societatem strenue adiuuit, sed eius etiam multum nomen illustrauit. illustrassetque magis, ni mors, adrepens immatura, spem magnarum rerum praecidisset. Annos circiter sexdecim in Hispania, in maximo illo Theologiæ theatro, sacras litteras interpretatus, eam sacrorum sensuum peritiam adeptus erat; vt vehementer dolendum sit, nos tam intempestiue orbari tanto viro. Scribebat in Ezechielem, opus, vt ille ait, spissum, & operosum: & tam vicesimum caput interpretatus erat, cum ad laborum praemia vocatus est. Id totum, quod ab eo absolutum est, typis excusum. Vt tantae vtilitatis iacturam minus sentiamus facit P. Io. Baptista Villalpandus; qui studiorum illi comes, quod reliquum est operae, vna cum Hierosolymorum Vrbis descriptione, & Salomonici templi apparatu, copiosa, & varia explicatione prosequebatur. Deus pios suorum conatus, & studia suo lumine promouebit. Abijt ille e viuis prid. id. Ianuar. anno aetatis suae quadrage-

simo octauo; vicesimo quarto, quam est admissus in Societatem: vt, quantum in seculo, tantum in religione traduxerit aetatis.

Nullum aliud funus hoc anno spectarunt Collegij parietes: duo tamen peregre contigerunt. P. Nicolai Fabrini Florentini, qui aliquandiu in hoc collegio Ministrum egit: postea in Florentino Collegio Rectorem. Roma superiore anno missus in Vngariam iuuandorum militum caussa, qui a Romano Pontifice auxilio ad Turcicum bellum mittebantur; totius eius Missionis Praeses erat. is ad Imperatoris copias cum veniisset, in grauem lapsus morbum, ac Viennam deportatus, III. cal. Octobr. vita excessit. quadraginta annos vixerat, vndecim egerat in Societate. Iosephus Mannonius Foroliuiensis, coadiutor, & comes peregrinationis, comitem etiam se illi praebuit in reditu ad patriam caelestem. Vir annorum quadraginta, viginti septem fideli opera Societati inseruuerat.

DOMVS PROBATIONIS Romana ad S. Andreae, & Collegium Paenitentiariorum.

IN Domo Probationis ad S. Andreae nouitij in nouas aedes, de quibus proximis litteris est scriptum, translati, quini, senique per cubicula singula distributi, commodiore, & salubriore iam vtuntur contubernio. Sacerdotes quatuordecim in varias profecti Missiones, non exiguos laborum suorum fructus retulerunt.

Quae in Poenitentiariorum Collegio facta sunt, ea & magna esse, & in magnam redundare vtilitatem animorum, necesse est; & scribere, quia eadem saepius audiuntur, multis de causs non expedit. Sed quantum solertes, & exercitati medici in maximo totius Ecclesiae valetudinario, quo ex vniuerso orbe plurima

&

& inaudita morborum genera confluunt, prodesse soleant, non imperiti facile conijcient Quae enim passim à sacro conscientiarum tribunali proficisci solent vtilitates, hinc abunde manant, ac tanta copia, quantam sibi praedam e faucibus extrahi cruentus draco cruciatur. De iure conscientiae consulentibus, & quidem Principibus viris responsum est multis: expeditaeque difficultates non paucae: a turpi quaestu abductae meretrices, pellices abiunctae, aliae periculo subtractae; haeretici cum Ecclesia reconciliati; apostatae ad religiosum ordinem reuocati.

CLERICORVM SEMINARIVM. Collegium Germanicum, & Anglicanum.

PAVCA de Clericorum Seminario suppetunt dicenda: sed quae tamen ad rerum progressionem cognoscendam, omitti non debeant. Quinque huius biennij priore anno, ex hoc Collegio in Societatem admissi sunt: clerici duo, conuictor vnus, quartus spectatae probitatis vir, cuius opera ad contuberniorum praefecturam nostri vtebantur; quinctus operam suam famulatui locauerat. Clerici alij duo publice Theologicis thesibus propugnatis, insignia Doctoratus accepere.

Collegij Germanici alumni, quam sint studiosi pietatis, vel ex hoc intelligi potest, quod eorum quindecim se per intermissiones autumnales secretis meditationibus exercuerunt, magno cum fructu. Eorum vnus, confectis Theologiae studijs, sacerdotio, & concionandi facultate praeditus, in Societatem admissus est. In suam quisque patriam, confecto studiorum cursu, & sacerdotij munere ornati, rediere duo & viginti, magnum subsidium religioni laboranti: doctrina omnes,

integritate vitae, & moribus conspicui. Excepti à suis Praelatis honorifice, varijs Ecclesiae muneribus praepositi. Eorum multis paroecias esse commissas audiebamus; occasioque expectabatur alios praeficiendi. Cum Reuerendissimo Nuncio apostolico ad Heluetios, qui interpretis munere fungeretur profectus est vnus. Cognitum est, proximis Imperialibus Comitijs, ante hoc biennium mense Maio Ratisbonae habitis, septem & triginta veteres huius Collegij alumnos iure suffragij praeditos interfuisse, partim Ecclesiae Praelatos, partim vel canonicos, vel doctores. In ijs fuit Illustrissimus Archiepiscopus Salsburgensis Illustrissimi Cardinalis ab Alta Emps propinquus, ac perneccessarius. magna vtique gloria huius Collegij. In generali Patrum nostrorum conuentu Romae anno nonagesimo tertio celebrato, vnus e Prouincialibus Germaniae catalogum exhibuit sexaginta admodum eiusdem Collegij alumnorum; qui in sua Prouincia strenuos se vineae Domini cultores praebent. vt vel ex hoc vno, quam Germaniae salutare fuerit P. Canisij consilium in hoc Collegio promouendo, Gregorij xiij. in restituendo, amplificandoque periti iudicare possint.

Ex Angligano Collegio anno nonagesimo quarto profecti Sacerdotes quatuor, in ora maritima Belgij non leuè discrimen adiere. Venerant ad portum, seu stationem haereticorum, vt inde ad portum alterum contenderent eiusdem orae, vnde breuissimus est in Angliam traiectus. Iniecta suspicio est, publicae quas afferebant fidei litteras esse adulterinas. quare Magistratui se sistere iubentur. edicitur ei, cuius ductui commissi erant, ne eos e finibus educat. Ille cum ceteris vectoribus, alia naui conducta, discessit; Sacerdotibus in priore naui, in potestate haereticorum relictis. Diuina tamen prouidentia periculum discussit. nam illorum cognita integritate, alterius nauis nauta

Belga

Belga miseratus solitudinem, egit cum nauarcho suo: ille in suam nauim exceptos, sublatis ancoris, in portu, quo contendebant exposuit; haereticisque illic omnia tenentibus, catholicos tamen nacti sunt, à quibus benigne excepti, in Angliam incolumes traiecere. Nec dubium, quin si in priori portu retinerentur, a Magistratu haeretico vincti in Angliam trasmitterentur. Diuinae bonitati grates, quae eos tanto discrimini subtraxit. Eodem anno alumni huius Collegij duo egregiam martyrij coronam sunt adepti. Ioannes Cornelius decennium per multos labores in Anglia consumpserat; Sacerdos, & concionandi munere, & dæmones ex obsessis corporibus eijciendi, Anglia paene tota clarus inter catholicos. Is tandem sanguinis effusione, & nece doctrinam, quam viuens alios docuerat, obsignauit. Narrant eum, sub ipsum mortis articulum protestatum, se voto Societatem IESV ingrediendi obligatum, mortem obire. nec plura de mortis genere perscribunt. tantum dicunt: si cuncta de illo digna cognitu scriberentur, rem proprium volumen desideraturam. Et sane non nisi magnum aliquid fas est concipere de eo, qui tandiu, tam difficili in opere, in tanto rerum discrimine, tam ardenti voto versatus est. Alter Ioannes Ingramus triennio ante, dum per Scotiam iter faceret in Angliam, à Scotis haereticis tentus, egregium fortitudinis, & doctrinae specimen dedit. Dimissus tandem anno nonagesimo quarto, in finibus vtriusque Regni captus ab Anglis, longo itinere Londinum perducitur: indeque eodem retrahitur; vt ibi, vbi captus esset, supplicio afficeretur. Itineris vtriusque longitudo, quae tanta est, quantum borealis extremus Angljae tractus Londino distat, carceris squalor, vinculorum asperitas, inedia, & satellitum inhumanitas, tanquam Chrysostomum alterum tanta aerumnarum foeditate hominem attriuerant, vt ipsa

mortis dilatio morte esset asperior. Sed nimirum in tanto calamitatum concursu, vt Christi sacerdote, ac praecone dignum fuit, animum gessit malis omnibus superiorem; vitaeque contemptor, crudele mortis genus fortiter excepit. Tribus alijs eodem anno defuit martyrium: martyrio ipsi certe non defuerunt: cum se eo fraudari luculentis argumentis indoluerint. Diem illi suum, quem Diuina prouidentia praescripserat obierunt: sub ipsum mortis tempus Societatis nostrae votis nuncupatis, tanta laetitia purissimos spiritus Deo reddiderunt; vt non ad diuinum tribunal pauidi, sed ad caelestis agni nuptias laeti vocari viderentur. tantum abfuit, vt circunstantibus mortis horrorem incusserint, vt tam laetam sortem ijs potius quasi inuiderent. Haec de tribus communiter nobis litteris prodita, hæc communiter reddimus. Illud vnum de vno eorum propriè notatum. Cum votis pronunciatis, extremum viaticum sumpsisset, illa differte verba exclamasse: Cor meum à me transijt, & abijt post IESVM.

COLLEGIVM LAVRETANVM,

LAVRETI anno nonagesimo quincto diem suum obiere quatuor e nostris: Sacerdotes tres, P. Horatius Arnolfinus, non ita multis annis post expletum cum laude tirocinium: & P. Hannibal Firmanus Fanensis, Vir non leuiter eruditus, ingenio miti, & sua sponte propenso ad pietatem: mores illi humani, & compositi fuere: sermo sine cura comptus & dulci conditus lenitate: vt quiuis eo facile teneretur; totius denique oris & corporis habitudine dulci quadam dignus reuerentia. videtur hoc Collegium extremæ illius senectuti datum, vt apud augustissimum diuinae Matris domicilium ossa collocaret. Eiusdem beneficij studio, cum de sua iam incolumitate conclamatum esse intelligeret,

ret, ad hoc sanctissimum monumentum se contulerat vir memorandus P. Ioannes Lelesius: vt in ipsis prope domesticis B. Virginis parietibus, & quasi e sanctissimo illius sinu extremum exhalaret spiritum. Patria fuit Vngarus, Varadino oriundus, sed tumultibus bellicis ortus Lelesij. Vir fuit ad omnia summa natus, multa doctrina egregiisque animi dotibus instructus. Rhetoricam, ac Philosophiam docuit in Bauaria: inde accersitus Viennam, missus est in Transyluaniam Praeses primae in eam prouinciam Missionis. Caussa autem eo mittendi studium fuit, quo catholicae restituendae religionis Transyluaniae Princeps. Christophorus Battoreus, & eius frater Stephanus per id tempus a Transyluaniae Principatu ad Poloniae Regnum euectus, tenebantur. praecipue vero, vt Sigismundus Battoreus Christophori filius, puer septennis in catholica fide institueretur. Metuebat enim pientissimus Princeps, ne coniux haeretica, quae filiam in sua haeresi educarat, puerum quoque in eandem voraginem pertraheret. Puer igitur in spem Regni educatus, in disciplinam Societati traditur: P. Lelesius ei institutor datur, qui eius & regeret aetatem, & animum non litteris modo, & pietate, sed regnandi etiam prudentia instrueret. Sed breui Christophoro parente ex humanis sublato, tantum Lelesio magistro profecit adolescens; vt & Principatu dignum se praebuerit, & magnam spem faceret Ecclesiae ruinas Transyluania tota reparandi. Contendit interim Lelesius, vt Regni proceres, varijs haeresibus infectos, Lutheranismo, Caluinismo, Arianismo, Anabaptismo, sexcentisque alijs monstris, ad fidem catholicam pertraheret; facileque ei fuit veritatis ijs fidem persuadere: vt vero ab inolita prauitate abducerentur, nouaque dogmata, noua consilia susciperent, (ea vis tenebrarum fuit) ne ipsi quidem à se impetrare potuerunt. Quod proximum tamen fuit, illud à non

inuitis

inuitis expressit, vt suos liberos in disciplinam sibi traderent; atque in literis & fide catholica institui a nostris magistris paterétur. Hinc ois generosa iuuẽtus Trãsyluaniae ad Claudiopolitanum gymnasium, recens institutum, confluxit. Non magnum tamen non hominum numerum tum nobilum, tum aliorum, efficacia sermonis, & momentis rationum ad fidem catholicam conuertit. sensit sectarum damnum femina primaria, viri clarissimi, sed haeretici coniux, haeretica & ipsa; eique in caena apud virum inter epulas miscuit venena. & est ille quidem validorum remediorum efficacia seruatus in praesens: non tamen penitus euulsa morbi vis, quin contractis neruis, quasi apoplexia, omnibus corporis membris obriguerit, non tamen ille a Principis receſſit cura. sed mente validus, consilio solita munera obibat. a septimo pueritiae anno ad duodeuigesimum per omnes honestas disciplinas & regnandi artes Principis prouexit aetatem. Sed vita functo patruo Rege, cuius secundum Deum auctoritate & potentia steterat puero Principatus, variante fortuna, procerum conspiratione improborum, qui adolescentis obseruata solitudine, in nostrum, & catholicae religionis nomen coniurarant; nostri omnes, & cum ijs etiam Lelesius e Transyluania exturbantur. nota tragoedia est, litteris praesertim anni octogesimi octaui. Lelesius se in Austriam recepit. Is tamen, post hanc exilij iniuriam, Principis beneuolentiam, liberalitatemque nullo loco desiderauit. nam quandiu vixit, & ad vitae vsum, & ad curationes splendide illi semper suppeditauit in sumptum. Viennae tres circiter annos commoratus nullo acerbi morbi leuamento, medicorum consilio venit in Italiam ad Patauinas Aponi balneas; sensitque initio non nullum aquae beneficium: sed recrudescente rursus morbi acerbitate, omnis artis, & remediorum efficacia morbi inhaerentis pertinacia superabatur.

rabatur. vndecimum iam ibi haerebat menſem, cum viuendi ſpe prorſus amiſſa, quando non ita longe aberat, hanc ſibi moriendi optatiſſimam ſedem elegit. Calendis Septẽbribus anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi tertij Lauretanam ingreſſus eſt aedem: IV. cal. Martias inſequentis anni voti compos factus eſt, vt ad domeſticas Chriſti Domini, & Diuinae Matris aedes extremam exhalaret animam. annum aetatis agebat circiter quinquageſimum: quartum votum profeſſus: inſigni fuit verbi Dei praedicandi facultate praeditus. in traducendis ad fidem haereticis magna efficacitate: vt cum Claudiopoli tota ſex tantum catholicos inueniſſet, magnum eorum poſtea numerum reliquerit. Erat cum his eius animi dotibus magna orandi Deum, & diuina meditandi conſuetudo coniuncta; mira in omnes, tum domeſticos, tum externos caritas, & humanitatis, beneuolentiaeque plena propenſio. Paupertatis continentiaeque vſque eo ſtudioſus, vt cum beneuolentiſſimi Principis opulenta res, tum familiaris, tum publica eius fidei commiſſa eſſet, nihil inde ne in neceſſarios quidem vitae vſus deriuarit. quod illi ſumma cum admiratione integritatis & modeſtiae teſtimonium dedit, alterum illud integerrimae probitatis exemplum P. Ferdinandus Capicius, cum ei in regimine ſucceſſiſſet; vidiſſetque, eum nihil apud ſe habere, niſi frugaliſſimum eum, quem Societatis inſtituto Collegij tenuitas priuatorum cuilibet praebet apparatum. Tribus hiſce Sacerdotibus adiungitur Laurentius Scuccina coadiutor.

Biennio toto annonae copia, & itinerum ſecuritas, ſublatis, quae illa infeſtabant latrocinijs, ſolito maiorem peregrinorum, & Principum virorum ad hanc auguſtiſſimam aedem attraxit multitudinem. ſed poſteriore anno ad incredibilem confluentium numerum, milites acceſſerunt, qui à Summo Pontifice ad bellum

Tur

Turcicum mittebantur in Vngariam. qui omnes hac iter fecerunt. Tum vicini Vrbinatis Ducis copiae, Hispani Regis auspicijs conscriptae, vt in Burgundiam mitterentur huc se contulere; omnesque fere hinc confessione expiati discessere, Quae res quantum operis ac laborum nostris hominibus. quantum animabus auxilium attulerit, obuium est cuique cogitare; cum fere nemo fuerit, ex iis praesertim qui paullo ceteris dignitate eminerent, qui non vna cum toto fere comitatu nostris sacerdotibus confiteri voluerit. In tanto aduentantium numero, praeter illa, quae tacentur, illud precipue cognitu dignum euenit. Miles praua consuetudine ita praeceps erat in blasphemiam, vt magno suo cum dolore ante laberetur, quam pene commotum animum sentiret. Is monitus à nostro Sacerdote, vt, quoties in eum lapsum rueret, demisso corpore, ferret humo osculum, consilium sibi legem fecit: ac diuinitus vtique factum videtur, vt illi salutare fuerit, nam profectus ad bellum, dum in acie contra hostem dimicaret, in consuetum corruit linguae praecipitium: moxque indictae sibi legis memor, dum raptim terram osculaturus se demittit, ignita glans e fistula emissa summum tergus ei praeteruolat, vestibus pone adustis: quae haud dubie pectus illi perfodisset, nisi ei religioso obsequio paruisset. Id ille rediens gratias Matri sanctissimae acturus pro miraculo eidem patri cum magna grati animi significatione narrauit.

COLLEGIVM FLORENTINVM.

NOVVM Florentiae fuit, & summa totius fere Ciuitatis probatione exceptum, extremis Bacchanalibus quadraginta horarum supplicationem in templo nostro vtroque huius biennij anno esse institutam, in consequentes annos continuandam, probatio

pieta-

pietatem excitauit, vt vniuersa pene ciuitas confluxerit, itaque toto illo triduo templum celebratum est; nullo vt diei tempore ad horam noctis tertiam, non esset refertissimum. Auxit vna cum pietate admirationem apparatus, adhibitis ad ingeniosum templi ornatum sacris modulationibus, ad piam oblectationem adeuntium. Admirationem sequuta est ciuium pia liberalitas, tantum eleemosynarum, ad leuandam impensam, collatum, vt & Ecclesiae superauerit, & in vsum etiam familiae nonnihil redundarit. Et quando in eleemosynas incidimus, octoginta inopum familijs eleemosynis, quae magno numero in concione sunt corrogatae, egregie consultum est: omnia piorum virorum manibus, & rerum peritorum erogata. Multae virgines eorum eleemosynis, qui sacra apud nos frequentant, adiutae, in coenobiis virginitatem suam consecrarunt; aliae honesto matrimonio coniunctae. Et quoniam hieme asperrimo huius vrbis caelo, veste ferme inopes laborant, huic quoque indigentiae subuentum est: vt a festo omnium sanctorum ad Domini natalia, quibus maxime diebus rei vestiariae prouidendum est, nulla praeterierit hebdomada, quin, ad inopum tegendam nuditatem, magna indumentorum vis ad nostros adferretur: peritique viri fuere, qui, rem bene reputantes, iudicarint plus eleemosynarum nostra tantum concione, quam reliquae totius ciuitatis corrogari. Haec in externos egentes. Neque erga nos ciuitatis benignitas fuit angustior. nam, praeter ea, quae dicta sunt, multo maiore numero hoc biennio, quam superioribus annis eleemosynae nobis collatae sunt. quod quidem accidit peropportune siquidem: Collegii praedia nobis maligne responderunt. Neque in tanta vectigalium difficultate Diuinae erga nos benignitati, non pro dignitate respondimus. Pia femina, nostri longo tempore studiosissima, & quae duodeuiginti annos sacra in

nostro

nostro tẽplo frequentant, moriens pecuniã benemagnã Collegio legauerat. Erant huic filij sororis haeredes pauperes. quare antequam decederet è vita. egerunt patres cum aegrota; vt quamuis multum renitens, legatum tamen reuocaret. Manauit rei fama ad magnam partem ciuitatis; rependitque nobis Diuina prouidentia iacturam maiore compensatione: siquidem multi re cognita, certatim nobis plus solito contulerunt. fuitq; qui pecuniam haud multo minorem eleemosynae nomine nobis dederit; testatus, se eam nobis eo die pecuniam destinasse, quo die nos legato illi cognouit remisisse. Nec templum non eundem fructum sensit liberalitatis. Nam praeter donaria multa magni pretij, sacellum Angelis dicatum ad reliquorum sacellorum descriptionem, & formam absolutum est priore anno. Ara maxima praeterea Attalico peripetasmate magni pretij piae feminae impensa ornata est.

Quantum vero pia nostrorum opera in hac ciuitate profectum sit, argumento est progressio multorum ad virtutem, qui in ciuitate pietatis amantissima, alijs multis exemplo ad omnia pietatis studia praelucent: tum multorum, qui ante auersi erant, ad eadem pietatis studia reuocatio. Duodecim circiter eorum qui a nostris pietate informantur, diuersa Religiosorum instituta susceperе. Feminae primarie luxum vestitum, mundumque muliebrem nostri templi consuetudine ad decentem modestiam cohibuerunt. Multae & diuturno multorum annorum odio inueteratae simultates cõciliatae, caedes prohibitae, monopolia sublata, meretrices à turpi quaestu abductae; & partim cum maritis reconciliatae, partim coenobio paenitentium inclusae: vna omnium famosissima, & tota nota ciuitate in matrimonio collocata. Transalpinus haereticus in fide confirmatus. Alius à desperatione consilioque se in flumen demergendi, ad confessionem, & vitae emenda-

tionem

tionem reuocatus. Magna de nostrorum eruditione in hac vrbe opinio est: multique quotidie, & in ijs viri primarij, aliarumque familiarum religiosi viri de rebus difficilibus nostros consulunt. Illud vero fuit ad diuinum honorem, & hominum sermonem in primis celebre, in quo videlicet non segniter laboratum est. Bonam huius iuuentutis partem a spectandis comoedijs, quas ludiones meritorij venditant, non dãt; nostri homines auerterant, magno cum bono animarum, nec modico mercenariorum detrimento, sensere damnum histriones, repenteque a scena in sacrum musaeum translati, positis comicis, Theologorum personis assumptis, ignotae se palaestrae committere, & intractatis sibi armis ferociam ostentare non dubitarunt. nimirum asellus Leonis exuuium induerat. Sparsi erãt in vulgus, incerto auctore, libelli, qui S. Thomae praecipue, aliorumque Doctorum testimonio probare nitebantur, licere, saluo officio, comoediis spectandis interesse. Hanc illi arcem occuparunt; hocq; praesidio satis se munitos arbitrati, quasi perfossis subrutisque hostium cuniculis, laeti in suis stationibus tripudiare videbantur. Multi enim cretatis ac male ferruminatis argumentis illecti trahebantur: sed nequaquam cornicum oculos confixerunt. compertum est indagando, primum libellos a scenicis Theologis prodijsse: (vide quibus doctoribus aucta est Ecclesia) post etiam fallacia negotio non magno confutata; subtiliusque argumentorum veritas, & multis sermonibus, & pro suggestu copiose explanata: nec posse dramata omni obscoenitate inquinata, illo defendi patrocinio. Res vltro citroque hominum sermone iactata increbuit; vt ad sacrarum causarum Quaesitorem peruenerit. Is pro potestate pernicioſos libellos ad se allatos legi vetuit; ita damnata causa, multi ex ijs qui ea spectacula frequentabant, religione tacti pedem retulerunt. Hinc facta

circa

circa scenam solitudine, frigidi Roscij alia sibi quaerere theatra necesse habuerunt.

Ne scholae quidem, in tam secundo cursu pietatis desides fuere. Aucta & numero, & nobilitate frequentia est. Multi enim, etiam a nostro nomine auersi, testimonio & exemplo nostrorum discipulorum, non modo liberos in nostram disciplinam tradiderunt, sed etiam & se, & filiorum paedagogos ad sacramentorum vsum in nostrum templum contulerunt. Adiecta est ad priorem discipulorum sodalitatem altera paullo iuniorum, quae spē eam de se facit, quae solet felicibus rerum initijs comitari. Maior etiam sodalitas in aedē translata laxiorē, in qua & laxius & cōmodius poterūt adolescētes sua pietatis munia obire. Laetū cursum mors interturbauit posteriore anno P. Hieronymi Solerij, patria Hispani. Venerat hic Romae ad Societatem: multosq; annos Florentiae traduxerat: vir multa virtute & laborum assiduitate de ea ciuitate bene meritus.

COLLEGIVM SENENSE.

NOVVM Senis quoque fuit anno nonagesimo quincto iisdem diebus, (quoniam priore anno Florentiae res prospere successerat) solemnem supplicationem instituere. eodemque totius ciuitatis fauore & frequentia excepta res est. Frequentiam cohonestarunt magno additamento pietatis Praetor Vrbis, summus Magistratus, cum reliquis inferioris ordinis officijs. Est & hic, quemadmodum Florentiae, haereticus à Caluinismo ad fidem catholicam traductus. Extitit praeterea fructus nostrae operae in reconciliandis dissidentibus egregius: sed inter multas pacificationes magni momenti fuit, quatuor inter se viros doctos reconciliasse; qui se etiam editis libris lacessiuerant: magnumque ex ea re incendium excitabatur, magna cum perturbatione

ne reip. vt ad remedia legum iam procederetur. Dei tandem beneficio nostrorum opera turba sedata: reconciliatisque animis, & iuris remissa actione, omnibus venia concessa. Nec minimi momenti fuit, id licet in tenuibus hominibus contigerit, molestū sane dissidiū sublatum. Rusticus adolescens ita auerso erat animo a patre, vt, cum magna familiae perturbatione, nec sine ingenti periculo suo, domo extorris vagam nullis certis sedibus vitam traheret. Erat hic filius familias, nostrae villae, praedioque vicinus. hunc aliquando nactus frater is qui villam administrat, graui reprehensione ita percelluit; vt ad patrem supplex accesserit; ad eiusque pedes aduolutus, & contumaciae suae veniam petierit; & vitam se aliam instituturum promiserit. Ita tum simplex candor animi in fratre nostro, & alienae studiū salutis magnae eruditionis instar fuit. Magnum etiam fuit a laesis iniuriarum condonationem extorsisse. Vir nobilis ab altero sibi arcto propinquitatis vinculo coniuncto, armatorum numero circunuentus, duodecim vulnera acceperat. is nostrorum suasu & veniam dedit iniuriae, & pacem cum aduersario magna totius ciuitatis voluptate fecit. Alij duo, diuersis quamuis temporibus idem fecerunt: quorum alter graui vulnere ictus in capite, fustibus praeterea male acceptus erat: ab eoque viginti quatuor horis pacis assensus est expressus. Ab altero letaliter vulnerato, in ipsa vulneris acerbitate venia est impetrata. Fuit & in hoc genere opificis, nostri studiosi, & in sodalitate eorum, qui nos adeunt adscripti laus commendabilis. is dum in sua officina suo esset intentus opificio, ab inimico occupatus, vulnus in capite accepit. cumque inimicus se recipiens in limine officinae ita corruisset, vt a vulnerato opprimi potuisset: non modo ille se vlcisci noluit; sed etiam permisit ei opem ferri, dum se erigeret, & reciperet in tutum. Et cum haec, tum illud, magna esse

apud omnes Societatem existimatione, argumento est. Graui morbo afflictus decumbebat Praetor vrbis: vt medici iam de illius salute desperarent. Is P. Rectorem sibi adhiberi voluit ad cofessionem, a quo admonitus, vt pecuniam aliquam in sacrarum familiarum subsidium largiretur, eidem P. Rectori eius rei causſa quingentos aureos iussit numerari. quibus fideliter erogatis, videtur religiosorum inopum, ac religiosarum precibus magna ciuitatis gratulatione vitae reseruatus. Sed, vt aliquid de Academia litterarum attingamus, Collegium priore anno schola de iure conscientiae auctum est, frequentia tanta, vt e Gymnasii exedra in templum schola transferenda fuerit. posteriore anno eadem frequentia continuata. Sodalitas etiam discipulorum virgini Matri dicata primariae Romanae est aggregata. Quo tempore omnes ad aedem B. Virginis, cui à Prouenzano nomen est, quae extra moenia magna religione colitur, agmine iuerunt, tanta modestia, & pietate, vt viri nobiles non possent aspectu satiari. Librum carminum in B. Matris laudē a se scriptorū, venuste, & cum dignitate compactum, speciosumq; vexillum sacro templo dono dederunt. Poëma dictum est, habitaque in ipsius Virginis laudem non inelegans oratio.

Aucta sunt etiam vectigalia Collegij non modico additamento. Illustrissima Amalfij Ducissa e familia Picolominea, nomina quaedam nobis concessit exigenda. Vir nobilis Aurelius Chigius agrorum tantum nobis attribuit, vt non modica ex ijs annuatim pecunia percipiatur. Sacerdos e nostris, Senis illustri loco natus, pensionem octogenorum aureorum in annos singulos adiecit. Sacerdos alius eadem natus ciuitate, tirocinij biennio expleto, vniuersum patrimonium, ad quatuor millia aureorum Collegio fruendum dedit. Matronae nobiles duae Senenses mille quingentos altera, altera trecentos aureos nobis legarunt testamento.

MA-

MACERATENSE COLLEGIVM.

IN Maceratensi Collegio priore anno, praeter vsitata, concionum fructus extitit praecipuus in vocatione adolescentis ad Societatem. in quo consilio ita fixus haerebat, vt multis appetitus oppugnationibus nō moueretur. Posteriore anno alter in iuris ciuilis scientia Laurea donatus, magna expectatione in Societatem admissus est. Sex adolescentes, scholarum, & minoris sodalitatis alumni, felix vtique anni vnius messis, contulere se ad Capuccinos. Illustre pietatis vir primarius e maiorum Sodalitate edidit exemplum. hic grandi natu, & magnae existimationis in ciuitate ab adolescente, quamuis locuplete, non tamen pari nobilitate, ob sermonem in deteriorem partem detortum, palam fuste appetitus, pulsatusque, conuersus placide percussorem affatus: *iniuriam facis*, inquit, *adolescens: quid me petis?* veniamque illi à Deo precatus, omnem illam acerbitatem & ignominiam se Dei causa libenter suscipere professus est: templumque ingressus, gratias etiam egit Deo immortali; quod se illo die eo beneficio affecerit. protestatusque est, se nullo modo iniuriam persequuturum. quin etiam de pace compellatus: nihil opus esse affirmauit: se inimicitias nullas suscepisse: eodemque die, propinquis licet aduersantibus, eumque ad vltionem inuitantibus, ad nostrum Collegium contendit; accitoque adolescenti, nulla petita satisfactione, veniam dedit. Quin etiam Praetorem legibus se ad publicam iniuriam vindicandam armantem exorauit, ne sacrificium, (ita enim ille dicebat) quod ipse Deo obtulisset, contaminaret; & cum Romam ad supremum eius iurisdictionis tribunal supplex libellus ipsius fratris nomine, de illa puniendа iniuria missus esset, Romanae quoque curiae Magistratum à

prosequendo crimine auertit; idemque vt faceret fratri persuasit: communique consensu contestati sunt, libellum non à se scriptum esse, sed a sycophanta falso nomine suppositum. Hic nobilis ex grandium sodalitate prodijt fructus. Non aeque alterius illustre factum, neque in totius theatro ciuitatis: sed constantiae fortasse non minoris. Vir item primarius, & magna apud omnes aestimatione ex eadem sodalitate, nondum matrimonij iugatus sacramento, & florenti adhuc aetate (tricesimum circiter agebat annum) improbae mulieris, quae illum imprudentem multo ante obseruarat, arte circumuentus, cum prope iam manu teneretur, fallacia perspecta, elapsus muliebrem audaciam elusit, rectaque ad Collegium, eam sibi gratulatum victoriam contendit. Eadem Constantia in adolescente minoris Sodalitatis perspecta est: eoque maior, quo periculum fuit diuturnius. Erat hic externus, & studiorum caussa Maceratae versabatur. Hic saepius procacem mulierem, a qua lacessebatur, a se repulit. Illa, vt hunc ad suas condiciones adigeret, per speciem officij curauit, vt pecuniae, quae ad menstruas pensiones domo adoloscenti mittebantur, ad suas manus venirent: summa fide se adolescenti repraesentaturam. rata nimirum se necessitatem facturam adolescenti ad se veniendi. sed maluit probus adolescens illarum pensionum facere iacturam, quam improbae mulieris in potestatem venire.

Haec priore anno: sequuta posteriore diffidij reconciliatio aeque difficillimi, ac periculosissimi. quod neque metu legum, neque potestate magistratuum componi poterat; & ciuitatem vniuersam in duas disciffam factiones pertrahebat, Sed Dei beneficio, nostrorum opera incendium restinctum est; paxque tandem ciuitati reddita. quae res ita omnium animos in nos conuertit, vt non huius modo, sed & vicinarum ciuitatum ho-

homines ad suas sedandas controuersias, expediendasque difficultates nostros homines arbitros sibi adhibendos censeant. Monticulus est opidum septem milliarijs Macerata diffitum, & celebre & opulentum: sed multis opidanorum dissidijs, intestino inter se odio inimicitias exercentium per id tempus ita pertubatum; vt nulla pene familia in frequentissimo opido ab ea contagione esset libera. eoque res venerat, vt in publicum prodire auderet nemo: ne illi quidem, qui nullius sibi conscij essent iniuriae. solitudo erat locis omnibus. quos necessaria negotia domo exigebant, angiportus, & diuerticula quaerebant. opidi senatores ad auxilium Societatis respexerunt. P. Rectorem orant, velit sua auctoritate laboranti populo opem ferre: ne tantis dissidijs discissus in extremum ruat exterminium. Eidem negotium datur a Praetore. Erat omnino res multis difficultatibus implicita; & quae, nisi multo influxu Diuinum adesset Numen, superari nullo modo posset. Multae hinc inde caedes hominum animos exasperauerant. aliqui extorres vagantesque ijs, qui domi sedebant immìnere videbantur: alij martiales homines illatis acceptisque iniurijs efferati, pacis consilijs aduersabantur; terrorique erant vniuersae multitudini, ne ad pacem conspirarent: tum qui laesi erant, quorum multo maxima pars fuit, plerique iniuriae dolorem non coquebant. Tracta res est in multos menses; excisaque difficultate vna, tanquam ex hydrae capite plures repullulabant. Sed Praetoris potestate coercitis nonnullis, qui dissidentium odia fouebant, Diuina ope tandem aliqua sese via expediri coepit ad reconciliationem animorum. Magnum fuit multorum exacerbatos animos placare: maximum imbecillum mulìebrem animum mulcere. in indomito mulieris viduae odio mitigando plus operae ponendum fuit, quam in tota pene reliqua sedanda tempestate. Et hic quoque Dei bene-

ficio vorticosus Euripus superatus ; compositaque ad tranquillitatem omnia . Vno die quinque & viginti pacificationes , quae ad centum prope familias pertinebant, publicis tabulis solemni stipulatione consignatae: quadraginta capita inter se dissidentium eo die in pacis amplexum conuenerunt . Manauit laetitiae fructus ad vicinitatem vniuersam : publicaque gratulatione non Monticulus tantum , sed circumiecta etiam opida , vt pote contagioni obnoxia Deo. O. M. grates egerunt. Monticuli praesertim supplicatio nostrorum hortatu ad templa instituta : sacrumque solemne celebratum ; quo magna pars opidanorum , in primisque qui reconciliati erant , secundum confessionem peccatorum , sacrosancta synaxi reconciliationis foedus renouarunt.

Hactenus de fructu nostrae operae, nũc de piorum liberalitate erga nos . Templi aucta sacra vestis impensa plus quingẽtorum aureorum, argenteoque, ac pereleganti calice . Est etiam summa cum religione , & apparatu transiatio celebrata sacri capitis vnius e Thebaeorum legione, Treuiris ex antiqua Gallia allati . tantoq; splendore traducta pompa , quanta maiorem nullam viderit haec ciuitas . Quadraginta horarum supplicatio extremis Bacchanalibus habita, vt reticenda non sit, facit tum rei nouitas in hac vrbe , tum plenaria culparum remissio a Summo Pontifice horam in precibus ponentibus concessa . Quibus diebus nostrum templum incredibili concursu celebratum . Eadem religio pari omnium studio Pentecoste repetita.

COLLEGIVM TIBVRTINVM.

TIBVRE anno nonagesimo quincto , ad templi speciem decus accessit duarum aedicularum, quas pictura recens eleganti opere exornat . & quidem eorum altera , Crucifixo dicata iam pridem absoluta

erat;

erat; sed proxime est pictura elegantiore illustrata. Altera Virginis Matris inuocatione, eo plus religionis habere visa est, quod religiosa vnius fratris nostri manu elaborata est. magno ciuium cõcursu encaenia celebrata sunt; cantuque tubarum ac symphoniacorum solemni ritu amota aulae, tanto omnium sensu pietatis, vt multi lacrymas non tenerent. Eam non ciues modo, sed e finitimis populis excitae familiae totae per eos dies pie inuiserunt: & nunc etiam ad idem sacellum damnati vota persoluunt.

Doctrina Christiana, quae superioribus annis in pluribus Vrbis Ecclesijs aetati tenerae tradi coepta est, feliciter Dei beneficio procedit. Quo die primum Reuerendissimus Dominicus Toscus nouus vrbis Episcopus, nunc etiam Cardinalis, vrbem solemni pompa iniuit, instituta est processio puerorum, qui ad Doctrinam conuenire solent, agmine bene longo obuiam extra vrbem nouo Antistiti prodeuntium. Ex ijs aliqui sumptuosius ornati circa ipsum Episcopum, decenti ordine dispositi carmine sacri Antistitis laudes decantabãt. Ad portam vt ventum est, ab vno ex adolescentibus est latina oratiuncula exceptus. Erant per vrbem tum alij ornatus dispositi, tum arcus varij iusta per interualla excitati. His locis omnibus est vario carminum genere salutatus. fuit ea gratulatio & ciuitati vniuersae grata, & ipsi Reuerendissimo Pontifici iucunda. quod ipse postero die cum magna gratiae significatione P. Rectori se salutanti declarauit; hortatusque est, vt strenue susceptum de Christiana doctrina studium promoueatur.

Ditata est hoc anno non magis Ecclesia nostra, quam ciuitas vniuersa sacro admodum thesauro sanctarum reliquiarum, in quibus capita duorum Sanctorum Thebaeorum praecipuum obtinent locum. Excepta sunt ea, qua par fuit religione & pompa XI. cal. Octobr.

pridie die festi Sanctis Mauritio, & socijs Thebaeis dicati sacra pompa traducta, & pretiosa pignora in Vrbem illata. Templum non ita magnum, sed antiqua religione venerandum extra vrbem est in plano colle Latio obuersum. aedes est Virgini dicata, cui ab Oliueto nomen est. Hic tantisper sacrae reliquiae depositae. huc decãtatis vesperis, Clerici religiosaeq; familiae conuenere. hinc coepit agmen procedere, nostris Sacerdotibus sacrorum ossium ferculum gestantibus. Adfuere etiam sodalitates laicorum, & ciuitas magna frequentia. Processit quoque Christianae doctrinae agmen puerorum, multas, variasque proprio quamque ornatu & insignibus diuorum caelituum personas referentiũ. Vrbis plateae, qua erat trãseũdũ pro copia ornatæ: studiũ suũ eo die & facum ingẽti numero, & omni argumento pietatis ciuitas vniuersa declarauit. R. P. N. Generalis cũ Sacerdotibus aliquot, indutus pluuiali ad tẽpli fores progressus, põpã excepit; terna genuflexione sacra pignora veneratus, ad aram vsque principẽ prosequutus est. Arae sacris loculis impositis, precibusque rite persolutis, facta potestas est cunctis accedendi; coronas precatorias admouẽdi: tantoq; studio, & pietate, & eo die, & sequentibus ciuitas sanctas reliquias celebrauit; vt nõ nisi multa nocte tẽpli valuae clauderẽtur. Postero die, qui proprius fuit Sanctorũ Thebaeorum sacrum solẽni ritu & musico concentu celebratum est, R. Patre Nostro faciente. Peracto sacrificio, positis sacris vestibus, sumptoque linteo e suggestu, templo refertissimo, licet dies esset operosus, concionem habuit ciuium magna voluptate. Tenuit ea celebritas in totum triduum, vt ad noctem vsque non defuerit frequentia. post triduum tandem sacrae sanctarum lypsanum Thecae suis loculis conditae. Sperandum addito sanctorum caelituum patrocinio, ciuitatem magis indies ad pietatem processuram.

Non omittam hoc loco non vulgare caritatis documentum

mentum in pio misericordiae operae praestando; quod ciues vniuersi expetebãt. nemo ne impẽso quidẽ pretio aggredi audebat. Quod vt intelligatur, cognoscenda est Vrbis natura, & situs. Est vrbs in edito monte sita: & nisi qua continẽti Appẽnini iugo prominet, vndiq; decliui. Qua parte Romã spectat, latã, amoenãq; infra se planicié expandit; laterũ deiectus profundae valles amplectũtur. Anio flumen, poetarũ celebre carminibus, e monte Trebanorum labens, magnam vrbis partem, quandiu in summa collium planicie fluit, leni agmine circumluit. at postquam totam planiciem emensus, ad praerupta venit, repẽte alueo quasi praeciso, praecipiti casu asperis cautibus primum excipitur: tum horrẽdo hiatu intra cauernas montis totus absorbetur, & adhuc intra vrbem. inde montis viscera peruadens, per abditos meatus, ex auerso montis latere extra Vrbem, duobus, tribusue ostijs erumpens, ex altis admodum catadupis horribili aquarum fragore, in subiectam vallem se praecipitat, tanta mole, vt allisae aquae alte admodum resiliant; atque in densissimas minutissimasque guttas diuisae, nubis instar ad ipsas prope catadupas impetu remittant. inde rapidus, nouo sibi aperto alueo euoluitur. Accidit vt in superiore parte fluminis homo notus misero casu mergeretur; vndisque reuolutus per omnes illos horribiles anfractus, in horrendum vallis stagnum cum omni aquarum mole eijceretur. Aegre conspectũ agnitumque cadauer est, expetebatur ad sepulturam. Locus erat inaccessus, & ipso aspectu horrorem faciebat. nemo reperiebatur qui se rei horroris plenissimae exponeret. erat iam sexagesimus dies à miseri illius obitu. enim vero indignum videbatur Christiani hominis, corpus relinqui insepultum. Itaque recusantibus ceteris vnus e nostris fratribus, excutiente metũ caritate, periculũ superauit: seque in immanem illum pelagum superne per funem demitti passus est: donec extractum e sabulo

ca-

cadauer, & linteo obuolutum, funibus sursum tractum est, & Christianae sepulturae datum. sabuli enim beneficio factum erat, vt integrum ad eam diem perstitisset.

COLLEGIVM SETINVM.

SETIAE nouum Collegium, nouaque nostrorum anno huius biennij priore commigratio Doctrinae Christianae explicationem, sacramentorum vsum, aliaque Societatis nostrae munia, nouas in hac ciuitate consuetudines induxit. e quibus communes, & vsitati fructus erumpere coeperunt. Illud praecipuum. Quidam inimicum suum nocte opperiebatur ad necem. id cum resciisset noster sacerdos, eo se contulit; efficaciq; oratione inde hominem abductum, illa ipsa nocte cum inimico reconciliauit.

Posteriore anno schola vna puerilis inducta. eius regendae negotium fratri nostro Hieronymo Gualdio, nobili Vincentino, datum est. Is cum octo circiter menses, magna cum discipulorum vtilitate, ac vitae exemplo docuisset, in morbum incidit, è quo excreationibus ac vomitionibus sanguinis tertio mense consumptus est. Venerat ad Societatem ex conuictu Romani Seminarij. Quanta cum pietate vixerit, cum pluribus doceri potest, tum extremus eius vitae actus, magno nostri teporis excitamento declarauit: Nam dum valuit, legum nostrarum religiosus fuit obseruator, intimeque cum sui praesulis voluntate semper coniunctus. quem vicesimo quoque die minimum adire solitus erat; ac de scripto accurate illi omnem animae suae statum explicare: rogare etiam vt se aspere tractaret; despicabilique se semper oratione alloqueretur. Magno flagrabat studio salutis animarum; vt sæpius ad moribundos iuuandos mitti flagitaret. Graui vehementiq; morbo patientissimus adolescens conflictatus est, ardenti

denti aestu febrium, intentis capitis, cordisque doloribus; quae mitissima patientia pertulit omnia. Et cum valens multa cum Deo coniunctione frueretur, vt nihil fere, nisi de re spirituali aut loqueretur, aut cogitaret; tum in morbo fassus est, maioribus se, quam vnquam antea spiritalibus sensibus perfundi solitum. magnum sibi ardorem moriendi, spemque caelestis beatitudinis consequendae sentire sibi diuinitus iniectam. vt cum sudaria, linteaque alia cruore cerneret infecta, laetus diceret: mortis vexilla emicare. Et cum vomitiones, crebraeque excreationes cruore mistae, meraeque illi essent infestae, natali die Matris Virginis impetrauit, vt ex eo die sanguis consisteret. vt quamuis saepe tussis impetu contente excreare cogeretur; moneretur que vt si posset, tussim cohiberet, ne, contentione venarum cicatrices exacerbarentur; securus à Diuina Matre accepti beneficij, nihil esse periculi testaretur. & sane ita contigit, nullum ad extremum vsque spiritum, ne tenue quidem cruoris signum in excreationibus apparuit. Die festo S. Hieronymo ipsius patrono dicato, pusillo adhuc huius Collegij grege ad cubiculum suum euocato, suam delictorum culpam professus, a singulis veniam postulauit. Ante diem demum V. cal. Nouembres purgatum spiritum Deo reddidit; cum multo ante quam exhalaret animam, oculos tandiu fixos in caelum tenuisset, donec, puro abeunte spiritu, eos placide demisit. Inter illius commentarios duo chirographa reperta sunt, claro testimonio illius virtutem indicantia: quorum altero patri spirituali reddebat animi sui rationem; altero quid quotidie, per singulas horas, horarumque particulas a primis excubijs ad vsque nocturnum cubitum sibi agendum esset, descripte admodum, & accurate adnotatum erat. ex quibus, quanto pius adolescens, quanque perenni studio animi sui perpurgandi, virtutemque in dies augendi teneretur, apparet

non

non obscure. Operae pretium futurum existimassem ad aliorum documẽtum simul, & incitamentum ea illa hic ascribere: nisi satietatem esse vitandam iudicassem. Hic primus de Societate Setinum solum, suo deposito, vt ita dicam, consecrauit. Spes est non leue patrocinium Collegium hoc in sancti adolescentis precibus habiturum. Et vt auctum est illius in caelo patrocinio, auctum est etiam in terris vectigali. Paulus, Gilius nobilis Setinus quingentos aureos nobis legauit. Quo nomine amoena & frugifera vinea est nobis assignata, adiectis oliuetis, & castaneis consitis nemoribus, pratis in super aliquibus admodum gratis. Templi praeterea auctus ornatus aulaeis frontalibus ad aram, conopeo ad sacrosanctae Eucharistiae pegma obducendum; linteis indumentis, velisque ad calicem tegendum, auro ornatis, magni pretij. Abunde praeterea eleemosynae suppeditarunt. Est praeterea eodem anno in nouum domicilium facta commigratio: e quo viginti familiae magna omnium pace emigrarunt. Locus breui nec magno sumptu ad habitationem, & nostros vsus commode resartus. nouam quoque quamprimum aedificationem cogitamus.

MISSIONES PROVINCIÆ ROM. Anni M. D. XCIIII.

E COLLEGIO Romano nostri Patris iussu in Chium insulam maris Aegei, cum Sacerdote nostro, qui inde venerat petitum supplementum, missus frater vnus Graeci idiomatis peritus, ad Graecos Latinosque eius insulae iuuandos. Duo sacerdotes in Corsicam profecti sunt, cum quibus alij duo e Mediolanensi prouincia iungendi erant, ad maiorem pietatis lucem ei genti inferendam. Aestiuis vero temporibus

ribus in vicina loca multi solito cum fructu excurrerunt. Roma duo profecti in Sabinos: ad Vmbros duo alij.

E Senensi Collegio in circumiecta loca item duo: quibus per aestiuos calores tantum fuit operae; vt ex eodem Collegio tertius auxilio mittendus fuerit. Opidum est in Piceno & opulentum, & frequens, cui à S. Genesio est nomen. Huc e Maceratensi Collegio missi sacerdotes duo, consuetis laboribus rem Christianam promouerunt. Sed magni in primis momenti fuit inter primarios opidi viros constituta pax: quos multi ante reconciliare multa contentione in cassum conati erant. Saepius enim ad manus ventum erat, disploſae vtrinq; fistulae, & vulnera vtrinq; interceſſerant. ita exacerbatis animis, spes iungendae pacis aut nulla, aut perexigua ostendebatur, graueque imminebat ei populo exitium. nam cum maxime res ad compositionem spectare videbatur, tum maxime multorum inteſtina erumpebant odia: vt res nullo modo coire posse videretur. Diuina tandem ope peruicere nostri patientia, & assiduitate, vt res componeretur. vt vel ob vnam hanc rem nauasse nostri operā videantur, si nullae aliae vtilitates sequerentur, quod in id opidum excurrerint.

Sed clarae in primis fuere in diuersas dioeceses sexdecim Sacerdotum Missiones Veliternam, Tarracinensē, Anagninam, Tiburtinam, Reatinam, Nepetinam, Castrienſem, Corythanam. bini in singulas profecti: Aduentu ineunte dimissi, in Ianuariū mensem anni insequentis peregrinati, omnino plus quadraginta, vrbes opidaque maiora obiuere: quāto cum fructu & labore, quilibet non imperitus facile conijciat: cū praesertim vbiq; tanquam homines e caelo missi exciperētur. Multi obuiam ijs cum lacrymis prodibant: abeuntes item cum lacrymis prosequebantur. Clericos, & primates magnis vocibus rogabant, ne eos abire paterentur.

Conti-

Contigitque vt lacrymis multorum victi, nonnullis in locis diutius, quam constituerant, morarentur. Quocumque veniſſent, primum plenariam culparum remiſſionē a Sūmo Pontifice indicebāt, quę res incredibili ſtudio omniū animos ad occaſionē vrgēdā incitabat: deinde ad opa alia manus admouebāt: praedicādi verbi Dei: aetatis tenerae erudiendae: paenitentiae adminiſtrandi ſacramentum. in multam noctem opus confeſſionum trahebatur. Doctrina vero Chriſtiana tanto vbique plauſu accepta, vt ſenes, & longaeui lacrymabundi ſe doceri paterentur; beatamque iuuenum aetatem praedicarent; quae in tales magiſtros incidiſſet. fuereque in vrbe non ignobili viri primarij, ac totius illius vicinitatis in primis opulenti, qui grandi natu, decantandis Chriſtianae diſciplinae rudimentis, puerilibuſque precatiunculis adoleſcentibus praeirent. Nam de reconciliatis amicitijs, pacificationibuſque magni momenti ſuperuacuum, & taedioſum ſit omnino dicere. Et vt intelligatur, quantum hae fuerint Miſſiones opportunae, quantumque per ſuos miniſtros Diuina bonitas profecerit: incredibile eſt, quantam inſcitiae rubiginem deterſerint: quae etiam clerum ipſum in rudibus populis, ac ſemotis contingebat. fuit igitur doctrinae lux multis in locis inferenda: docendi ſacerdotes, neceſſitatem praecipue rei reddendae alienae, neque eſſe dignam alieni damni compenſationem, ſi vel Eccleſiae, vel Sacerdoti ad preces faciendas, vel quantumuis egentibus eleemoſynae darentur. quos errores inſcitia eorum, qui periti eſſe debuerunt, inuexerat. Neceſſitas alibi quotidiani recitandi officij clarius aperienda. tum quam nefarium ſit paenitentiae ſigillum ſacroſanctum non haberi: fuit etiam vbi arcani parum tuta fides haberetur. Quod ſi paſtoribus talia pabula paranda, quae fuerit ouium condictio, in promptu eſt cogitare. Superſtitioſa chirographa, contractuum formae illegitimae,

vitia

vitia multa ita moribus inolita; vt eorum deformitas non cerneretur, sublata. Quaestionibus multis de iure, contractuum praesertim, satisfactum. Sed nullus tam certus, tamque assiduus, quam confessionum audiendarum labor. vt vltra intempestam noctem traheretur quotidie: non enim satisfaciebant ipsi sibi, nisi conscientiae pondus apud nostros Sacerdotes ponerent. Mille & quadringentas generales confessiones duo soli numerarunt. In dioecesi Veliterna Coriolos, tres tabernas, Ostiam lustrarunt.

Qui Tarracinam venerunt primis diebus benignitatem ciuium desiderarunt. Leuauit tamen illorum molestiam Reuerendissimi Episcopi Vicarius: sed victus difficultatem pro tenui copia, non vt volebat, potuit leuare: studio certe, & laborum communicatione non defuit, cum praeter cetera pueros ipse per vrbem ad catechismum corrogaret. Sed breui Dei beneficio, ciuium torpor excussus. Tarracinae quandiu fuerunt, vetuit Vicarius ordinarios ciuitatis Sacerdotes confitentibus opã dare; nisi forte nostris laborantibus, ad operis societatem, accirentur. vt ciues nostris confitendo, sacramẽtum illud rite obire docerentur. significauitq; postea idem Reuerendissimus Vicarius obseruasse se profligatissimos quosque eiusdem ciuitatis iuuenes nostris confiteri voluisse. quin aliquos ex ijs professos esse; se, ne per occasionem quidem Iubilei, confessionem adituros, nisi nostri adueniissent. Est in eadẽ dioecesi in ijsdẽ montibus Volscorum opidum Semninum, illuc per quadragesimã missi Sacerdotes duo cõcionibus, atechismo, confessionibus, explicatione etiã quaestionũ de iure cõscientiae magnũ fecere motũ animorum. Nunquã eo nostri Sacerdotes venerant. itaque syluã ad excolẽdum valde obsitã nacti sunt: sed ingenia videntur ad diuini verbi satus praeparata inueniisse, vt nõ difficile fuerit inolita vitia reuellere: in ijs ipsorũ monitu lege lata cautũ est, ne

quis

quis festis diebus opus faceret: qui secus faxint multa irrogata. Inductus frequens sacramentorum vsus: instituta etiam sodalitas piorum hominum, qui tum hoc, tum alia pie suscepta promoueant. Conquisitae eleemosynae, pro modulo opidi copiosae, ad opidanos inopes iuuandos exhilarati etiam animi grato spectaculo dramatis de paenitentia, quod catechisticae scholae pueri exhibuerunt. Monasterium etiam sacrarum Virginum multum adiutum, & in eo laxata disciplina, est ad praescriptum reuocata. Rebus ita compositis, exacta Quadragesima inde discessum. Eodem reditum mense Decembri. ijdem labores repetiti, vetereſque fructus renouati. Sodalitas, quae Quadragesima instituta erat, magnum accepit incrementum. discordes suscepit reconciliandos; eos praesertim, de quibus aliqua posset esse suspicio futurum, vt profugorum inuitatu, qui, vicinis in montibus vagantes, obsident itinera, solum verterent. Et iam pacificationes duae non minimi periculi, dum adhuc ibi nostri essent, compositae erant; quae ad quatuor familias pertinebant. Inde Priuernum IV. Non. Ianuar. anni M. D. X C V. reuerterunt. ibi ad X V I. cal. Februar. morati praeter vsitata curarunt, vt, quod Tarracinae, & Semnini factum erat, lex adolescentulis scholam frequentantibus daretur, singulis mensibus sacramenta obeundi. Hinc digressi, eadem vtilitate Sermoneta, Magentiaque obitis, nobilibus eius vicinitatis opidis, peregrinari desierunt.

Qui Ananiam profecti sunt, opida eiusdem dioeceſis multa & frequentia, diuini verbi sementem circumferentes adierunt. in ea peregrinatione ad arcem S. Ioannis peruenerunt. memoria S. Thomae Aquinatis illustratam. illam aedium partem inspexerunt, in qua Sanctissimus adolescens, custodiae traditus cingulo castitatis Angelorum ministerio se constringi sensit. ea

nunc

nunc in sacram aediculam conuersa est. Inde eadem exercentes ministeria finitimas alias dioeceses obiuerunt, Alatrinam, Babucensem, Ferentinatem: quae loca sedes olim fuerunt Hernicorum, vulgo nunc Campestria Romae nominantur, licet duorum triumue dierum itinere distent ab vrbe. Ferentini cum primum in vrbem pedem intulissent, licet pedites, & peregrinantium habitu veniissent, introducti tamen honesto canonicorum comitatu, personatos, qui tunc forte per vrbem bacchabantur, eorundem canonicorum monitu, modeste reprehenderunt. tanta fuit erga religiosos pereginos reuerentia, vt e vestigio detraxerint personas; ac quandiu ibi nostri haesere, personatus per vrbem incedere auderet nemo.

Longum esset peregrinationes referre singulorum. Nepete hospitalis domus in Sodalitatis cuiusdam erat patrocinio, sed iniuria temporis paene collapsa: vectigalia in vsus alios auertebantur. curatum est vt noui Sodales, honesti viri, adscriberentur; domusque & cura hospitalitatis restitueretur. in ea dioecesi senex ad eam diem vitae in omnem licentiam proiectae, vno de confessione audito sermone, coepit duobus contrarijs spiritibus agitari. Suadebat illi bonus, oblatum vt peccati remedium admitteret: contra nequam, rei difficultatem, inolitam consuetudinem proponebat. peruicit tandem improbus, vt ea se molestia eximeret, certamineque liberaret: astu serpentino, ne diuinae sonum vocis admitteret, loco cessit. Quietus animo sibi videbatur, cum repente cubitum euntem tremor occupat. in eo pauore Crucifixi obijcitur imago, sanguine conspersa, ipsum alloquens: se ob illius scelera ijs cruciatibus affectum esse, blandoque sermone hominem hortatur: vt eum ipsum, quem infenso odio vitaret, adiret Sacerdotem; suaque ei peccata patefaceret. redit in vrbem: semel & iterum adit con-

fessariũ: paenitentium multitudine accessu prohibetur. redit tertio: in septimã noctis horam opportunitatẽ nõ sane opportunã opperitur. Et cum eum Sacerdos vellet in crastinum differre, omnem rei seriẽ expossuit, itaq; loquutus est, vt statim ei satisfaciendum iudicauerit. tantoque cum animi sui fructu, vitam omnem explicauit; vt cuius aspectum antea ferre non posset, ab eo, post confessionem aegre discederet. Alius in eadem dioecesi contenta voce palam professus est, suae salutis caussa Sacerdotem illum à Deo missum esse. nunquam sibi fuisse in animo peccata confiteri, neque vnquam se tota vita, quamuis senex esset, confessum esse: sed nunc illius praesentia sentire se diuinam vim. Confessus quasi suae salutis caelesti pignore accepto, caeleste in se beneficium protestari non cessabat. Pari contumacia senex alius aleator, ac diuini numinis exsecrator paenitentiae remedium aspernabatur; impieque dictitabat, valde bonum mancipem esse diabolum: proinde nolle sese eius mancipio eximere. (sed miserationes Dei super omnia opera eius) is quoque perspecta vitae mutatione aliorum, & serenitate animi, salutaria remedia adhibuit, tanto cum fructu, vt ob vitae commerita, paratum se ad quamcunque satisfactionem praebuerit. Haec mutatio dexterae excelsi.

In Castriana dioecesi praeter multas inimicorum reconciliationes, in quibus saepe qui laesi erant, abiecti ad pedes iniurioforum, per Dei merita veniam rogarunt: alij etiam, & si initio peruicaces, cum lacrymis tamen in mutuos amplexus conuenerunt. Ex opido quodam inueteratum quinquaginta annorum odium, quod vniuersum populum in duas discíderat factiones, sublatum: caedes vtrinque factae erant, nonnullique decimum duodecimumue iam annum, ne odia remitterent, sacramentis abstinuerant. Huc Patres cum veniissent, rogati, de pacificatione ad populum verba fece-

fecerunt, concione frequentissima, cum vtraque factio, armis instructa conuenisset. Cumque multa Sacerdos e suggestu de malo discordiae, deque periculo diuinae animaduersionis disputasset, in ipsa contentione vsus est illa comminatione: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam:* protestatusque se in diuino iudicio testimonium dicturum contra ipsos; quod se Christi praecepta praedicante, diuinae parere voluntati recusassent, tanta animorum commotio facta est, vt vna cum lacrymis omnium voces Misericordiam inuocantes audirentur. ita dimissa concione, quae pars obstinatior esse videbatur, vltro venit ad pacis consensum deferendum.

Est in montibus Vmbrorum Reatinae dioecesis opidum Leonissus, frequens & non ignobile, nongentae in eo familiae censentur. Huc Decembri mense, obito solito cum fructu Reate, Sacerdos venit vno adiuncto comite: summa omnium beneuolentia exceptus: continuoque arma Diuini verbi expedita tanta cum ominũ vtilitate, vt confessionum, pacificationũ, restitutionum tum pecuniae, tũ famae, multorumq; nodorũ dissolutionum numerus iniri non potuerit. Cõcionum tanta probatio, vt e finitimis locis multi conuenirent; multique aliarum familiarum sacerdotes in diuini verbi praedicatione adhuc a via se errasse faterentur; statuerentque se ad nostri Sacerdotis normam suas in posterum conciones redacturos. Confitentium interim tanta multitudo: (nam e vicinis locis eius rei caussa Leonissum confluebant) vt necesse fuerit concionem intermittere. Tanta in populo morum facta mutatio est; vt cum plateae, vicique essent ijdem, non ijdem esse incolae viderentur. Nulla in Deum Sanctosue caelites maledicta, nulla sermonis petulantia, voces incommodae nullae: omnia ad modestiam religionemque composita. Nihil pensi habebatur ante alie-

nam famam violare; nunc obloquutiones de rebus alienis non modo vitantur, sed ne auditu quidem admittuntur: seque mutuo reprehendunt, si quem contingat lapsu linguae in eam licentiam incurrere. Duo praeter cetera sunt duarum religionum conuentus Augustinianorum, & Franciscanorum, qui conuentuales nominantur: vtriusque familiae fratres, quod mirum est, a nostro Sacerdote spiritualibus exercitationibus exculti, magna cum ipsorum Praesidum laetitia; qui tantam disciplinae accessionem factam in coenobio mirari non desistunt. Porro ipsi fratres incredibile est, quanta beneuolentia, ac reuerentia nostros prosequantur. ipsi senes, & Theologiae Magistri Sacerdotem admirabantur; eumque de rebus ad animae suae statum pertinentibus studiose consulebant. Franciscanorum Praeses suis potestatem fecit apud eum sua peccata confitẽdi. Quot scelera impedita, quot incõmodis obuiã itum, dici vix potest: caedes prohibitæ, sacrilegia sublata; censura Ecclesiastica multi liberati, illegitimi cõtractus reuocati. Praeter vitae mutationẽ, quae passim tota in gẽte facta est, multi praeterea maiorum rerũ consilia ceperunt. In eadem familia gemini fratres erãt geminaeq; sorores: illi Religiosorum, hae monialiũ habitũ, vitamq; suscipere decreuerunt. Alij Societatem nostram cogitarunt. Adolescẽtes multi e primarijs familijs, qui nondũ tam alte respexerunt, quod proximum tamẽ fuit, se a communi aliorum, ad puriorẽ sanctioremq; viuendi rationem receperunt. quotidie nobiscum versabantur, domum nostram veniebant, aegre a nobis digrediebantur; ad pie viuendum instrui se nostris monitis flagitabant. tantaque pietate erga nos perfundebantur, vt, quidquid nostra causa fecissent, id se aliquibus e caelitum numero praestitisse existimarent. vsque eo, vt etiam lances a mensa nobis perpurgare contenderent. Horum mentibus diuina bonitas

aspiret,

aſpiret, conſilia promoueat. Labores interim confeſſionum continuabantur. hos interpolabant quaeſtiones eorum qui de iure conſulebant: quorum bene magnus erat numerus, & frequens interpellatio. Super haec, multis flagitantibus, repetenda fuit concio. Ita continentibus laboribus grauatus ſacerdos, incidit in morbum, quo non mediocriter laborauit. In eo morbo & opidanorum beneuolentia, & noſtri Sacerdotis modeſtia perſpecta eſt: nam cum pro ſe quiſque ſtuderet munuſculis illius in commodum leuare, multaque ſubinde mitterentur; ille partim eorum benignitati remiſit; partim ita quae mittebantur excepit, vt nihil ſibi retineret; omniaque egentibus, qui in opido aegrotabant, diſtribuenda curaret. Interim ab omnium ordinum hominibus preces ad Deum de illius incolumitate ſumma ſolicitudine fiebant. neque ille interim deſtitit e lecto confitentibus ſatisfacere, & conſulentibus conſcientiae difficultates expedire. Sed cum indies morbus ingraueſceret, pro miraculo habitum eſt, vt difficillimo anni tempore, caelo aſperrimo, incommodo domicilio, ipſe corpore imbecillo, nunquam laborum intermiſſa opera, tam breui conualuerit. Ante diem III. non. Ianuar. praeter omnium ſpem ita melius habere coepit, vt triduo poſt firma valetudine dixerit ad concionem. Interim ſtatuta ad peregrinandum dies effluxerat. Quare ante quam diſcederent, proceſſionem ſcholae catechiſticae inſtituerunt: in qua pueri cum ſuis quiſque praemijs, quae toto illo tempore in certaminibus conſequuti erant, proceſſerunt: nouum ſane, & iucundum toti opido ſpectaculum. Multa alia digna, cur Deo gratiae agantur, narrari poſſent: ſed ne toti hac vna re occupati videamur, eorum iactura patienda eſt. Illud tamen non omittendum viſum eſt. Negotiator pecunioſus, & magnis, ſed parum

legitimis negotijs implicitus, primo audito sermone, conscientiae stimulis perculsus, domum redit: coniugi animae periculum demonstrat, reque cum ipsa communicata, nostrum adit Sacerdotem; multisque praesentibus, rogat cum lacrymis, viam sibi expediat ad salutem: se magnis tribus criminibus ad inferos addictum: & quod vsurae labē in contrahendis rebus admiserit; & quod diu cōceptum odiū aluerit; illoque ipso die inimici caedem cogitauerit; tum quod, cum Religionis olim voto teneretur, se matrimonij vinculo constrinxerit. Haec tanta animi consternatione, multis audientibus, prosequebatur; vt Pater, veritus ne in desperationem rueret, eum multis alleuare conaretur. Is accepto consilio, omnes pecuniae partus primum redhibere, tum negotia corrigere, & ad iustitiae normam reuocare constituit: multaque ac matura cogitatione, diligentique actorum suorum conquisitione peccata confessus, mutata mente, nouoque suscepto consilio, totus in diuinarum rerum cogitatione, ac comissorum paenitudine nunc defixus haeret. Studiose admodum non domesticos solum, sed multos praeterea ad confessionem adducere contendit. Non possunt veteres amici, eiusque familiares multi, qui eum antea hominem & facetum & dicacem norant, non eius repentinam mirari pietatem. Itaque obuiam factum etiam iocis & scommatibus lacessunt. quibus ille magna constantia ita respondet; vt noua se vitae instituta, noua suscepisse consilia profiteatur: eosque moneat, sacerdotem nostrum adeant: nihil ei gratius posse contingere, quam cum id genus hominibus, magnis peccatoribus (hæc sunt differta eius verba) sermonem habere. Ita magna constantia vulgi rumores & petulantium hominum voces contemnit. Catechismum vna cum pueris, aliaque pietatis officia vir ante sagaciſſimus, nunc sui contemptor egregius, pue

rili

rili plane simplicitate obit. totumque tempus, quod ei ab expediendis conscientiae difficultatibus, negotijsque ad aequitatem reuocandis supereſt, aut precibus in templo, aut cum Patribus traducit. Eum, quia Ioannes nomen habet, solet noſtet Sacerdos à simili ingenii mutatione Ioannem Columbinum appellare: nomine videlicet hominis in sua patria diuitiarum cogendarum solertia noti; & poſt abiecta humanarum rerum studia, vitae sanctimonia, & sanctiſſimae familiae inſtitutione clariſſimi. Ieiuniorum, flagellorum, ceterarumque corporis afflictationum, ni Patris imperium cohibeat, nullus modus. Cum inde noſtri diſceſſuri erant, ei cum coniuge conuenerat; vt ipsa cum filiola in monaſterio incluſa, ipſe tantiſper, dum creditoribus satisfaceret, domi maneret. mox omni pecunia Monaſterio addicta, se quoque demum Monaſterio addiceret. Diuinus spiritus, qui dedit velle, dabit aliquando & perficere. Haec de Miſſionibus anni M. D. XCIV. quae in Ianuarium totum inſequentis anni tractae sunt.

MISSIONES ANNI MILLESIMI Quingenteſimi Nonageſimi Quinti.

ANNO M. D. XCV. recentibus adhuc veſtigijs proximarum Miſſionum, minus neceſſe viſum eſt, populos & ſi salutaris eſcae auidos fatigare: manipuli tamen aliquot Quadrageſimae concionibus reuecti; tum excurſione in Valeriae montes, populi multi solito cum fructu obiti. In Tiburtina dioeceſi opidum vocant à loci natura Vallem frigidam, hic magnum inimicitiarum incendium compreſſum; quod inteſtinis odijs succenſum, in multorum perniciem exardeſcebat. difficilis ad compoſitionem res omni-

no videbatur. diuina tandem ope ita consentientibus animis in pacis fedus conuenerunt, vt, confessione expiati, nostro stante sacerdote, qui rem composuerat, Sacrosanctum illis Eucharistiae Sacramentũ praebituro, sponte surrexerint; mutuoque sibi veniam & a læsis, & ab opidanis omnibus petierint; coramque tremendo illo sacramento, Sacerdoti tanquam Dei internuncio, & opido vniuerso fidem suam obligarint, se eo nomine nullare in posterum inimicitias persequuturos: eiusque fidei stipulationem vt faceret, publicum scribam rogarunt. In Piceni opido, cui a S. Victoria est nomen, magna Praedicatoris nostri contentione ingens pecunia vindicata, quae multis annis ante in pauperum subsidium legata, alio interuersa, ita lacerata erat & implicita, vt non sine detrimento eorum, qui illam implicauerant, redigi potuerit. Restitutus ibidem Pietatis mons, qui eorum paucitate, qui praeessent, paene iam collapsus erat; cum iustas ob causas nobilitas, contagionem plebeiorum deuitans, illa administratione abstineret. Sacella quoque altariaq; atq; adeo aedes ipsae sacrae in certarum familiarum patroeinij iure constituta, a situ & squalore, quae vetustas, & negligentia obduxerant, ad dignum cultum nitoremque reuocata.

Suscepto interim in Vngaria bello contra Turcam, auxilia a Summo Pontifice partibus missa sunt. illiusq; iussu Sacerdotes aliqui sacrorum caussa militibus ministrandorum de Societate missi. Halae in Austria copiae conuenere. Ibi dum recensentur, nostri in castris ara excitata, sacra facere, milites ad confessionem, proposito periculo adhortari coeperunt. futurum enim, vt si praesentem labi sinerent occasionem, eius in posterum facultas repetendae fortasse non daretur. Magnus militum numerus confluxit; bonaque illorum parte expiata, in nauibus impositi, per Danubium ad exercitum

tum proficiscuntur. Interim nosocomis, ad valetudinaria paranda praeeuntibus, aegroti multi relicti, abiecti humo decumbebant: curarunt nostri, vt & illi nauibus impositi veherentur. Sequebantur copias mulierculae nonnullae perfricti pudoris. indignum visum est, ad bellum quod pro Christiana religione gereretur, inter Pontificias cohortes, in oculis tot haereticarum nationum, tantum flagitium versari. data est opera per nostros, vt eae nauibus excluderentur. Cum ad imperialia castra venissent, Iobeleum à Summo Põtifice concessum in eo bello praeliantibus indictum vniuersos Italici nominis milites ad eam expiationem excitauit. Nobilissimus quisque militum & gregariorum multi generali confessione animum purgarunt. Porro in ipsis castris nostri, praeter assiduam confessionum operam quotidie primo diluculo munitiones obibant; milites ad preces aliquantisper Deo faciendas, tum ad missae sacrum venerandum excitabant: aleatores a pagellis & tesseris aleatorijs auertebant. Tum in sua quisque castrorum tetrade sacra offerebant. festis diebus etiam de Euangelio ad milites verba faciebant. tentoria aegrotantium obibant; illisque sacramenta ministrabant. stratos aegrotantes per castra exquirebant, eosque ad nosocomia curabant deportandos: alimenta ministrabant; saucijs vnguenta, vulnerariosque accersebant; in idque strenue inuigilabant, ne qua in re deessent aegrotantibus. defunctorum funera, & piam sepulturam Christiano ritu procurabant. Per eam occasionem validos praesenti morientium spectaculo ad frequentem mortis memoriam excitabant. Eadem persaepe in agmine munera exercuerunt. multi enim inter proficiscendum confessione expiati, piacularia que grana illis distributa. sed tum maxime ea diligentia adhibita, cum instructa acies ad Visgradi oppugnationem ageretur. Inter haec, continentibus

labo-

laboribus, tum itinerum, tum assidui muneris occupationibus, accedente praesertim insueti caeli grauitate, P. Nicolaus Fabrinius, Praefectus Missioni graui morbo corripitur. Ei Illustrissimus S. Georgij Commendatarius, legatus copiarum Mediolanensium e suo penu abunde omnia praeberi iussit. & cum ingraueſcente morbo, Viennam reportandus esset, nauem suam nobis, cum toto apparatu benignissime concessit. Viennae demum magno nostrorum obijt incommodo. Visgrado demum deditione recepto, nostri, dum Turcae loco cederent, in arcem introducti gratulatoriũ hymnum in laudem sanctissimae Trinitatis publica supplicatione decantarunt. Arx quinquagesimo, quam in Turcam potestatem venerat anno, per nostros solitis expiationibus ab omni Mahometis foeditate rite expurgata. Nostrorum item consilio Alcorani, alijque Mahometicae superstitionis codices Turcis adempti. Turcae inermes cum singulis vestimentis per Danubium Budam dimissi.

PROVINCIA SICILIA.

SICILIA Prouincia priore anno homines trecentos septuaginta sex e Societate numerauit: posteriore ad vnum supra quadringentos excreuere. omnes septemdecim in familias distributi. Panormi in Professorum domo fuere sex & quadraginta: in eiusdem ciuitatis Collegio quadraginta octo: Messanae in Collegio septuaginta sex: Catanae viginti duo: vno minus Syracusis: duodeuiginti Biuonae: totidem in Collegijs Calataieronense, Drepanitano, & Monte regalense. Melitae tredecim: Marsalae quindecim: quatuordecim Minei: vndecim Rhegij. In Mamertina probationis domo triginta tres: in Panormitana vnus & viginti. in Calatanicetana sede quinque; in Chiensi Missione quatuor. E vita excesserunt priore anno quinque, admissis in Societatem duobus & viginti: posteriore anno vita functi nouem, additi ad nostrum ordinem viginti quinque.

PANORMITANA PROFESSORVM Domus.

IN Panormitana Professorum domo obiit priore anno frater vnus, cuius nomen in benedictione est: alter posteriore Franciscus Fuda coadiutor. triginta quatuor in Societate annos vixerat spectatae vir obedien-

dientiae, & patientiae suique ipsius despicientia paene admirabilis. ad has virtutes egregia erga B. Virginem pietas accessit. Obijt praeterea magno cum luctu ciuitatis, & nostro praecipuo Illustrissima D. Maria Pimmentelia, Oliuarij Comitissa, ac Proregis coniux. femina cum singulari pietate, & modestia, tum erga feminas egentes benignitate tanta, vt communis totius ciuitatis patrona, & parens haberetur. Sane commune fuit certumque perfugium indigentium: sed praecipuam, magnamque illi debet gratiam haec domus. cuius opera & liberalitate, praeter cetera, templi aedificationi vltima manus accessit. Nam cum ciuium, atque ipsius Proregis liberalitate fabrica esset ad culmen perducta, multa tamen adhuc ad absolutionem operis desiderarentur, impetrauit in id opus pia femina a Prorege extra ordinem mille aureos. tum Buterae Principissae, alterique feminae primati persuasit, vt nobis in eam rem eleemosynas conquirerent. hae duabus sibi alijs primatibus adiunctis, cum omnes pro se quaeque de suo quantum possent, contulissent, tantum breui collegerunt, quantum ad opus absoluendum satis esset. Et nunc magna totius ciuitatis gratulatione, templo vtimur nostris vsibus percommodo, non modo ad laxitatem, sed etiam ad speciem, & contra quam opinabamur, ad elegantiam, & iustam symmetriam. Quod cum generosae Principis opera pietateque absolutum sit; optauit summa illius pietas illud oculis aspicere. factaque voti compos, letali morbo occupata, ad caelestem Ecclesiam transiuit. Exemplum sane magnatibus feminis reliquit, in summa bonorum affluentia modeste sancteque viuendi. Nam licet summo loco nata, multis clara titulis omni rerum copia abundaret; in saeculari tamen vita, religiosae vitae merita, moresque studiose, accurateque aemulabatur. A decimo tertio aetatis anno tota pietatis studijs

intenta,

intenta, singulis hebdomadis sacrosancta mysteria sancte frequentabat: corporis afflictationes vsurpabat, integramque suo confessario obedientiam religiosissime praestabat, vt plane appareret in spiritali Societatis nostrae disciplina longe ad pietatem processisse. Sed voluit Diuina bonitas dignis praemijs tantam compẽsare pietatem. Moriens bene magnam pecuniam huic domui, alijsque pijs vsibus legauit; quam statim Prorex tantarum virtutum amantissimus, representari iussit. Mandauerat idem corpus exanime nostro in templo deponi: sed multis Archiepiscopi precibus fatigatus, Ecclesiae primariae concessit, ne a S. Nymphae Panormitanae Virginis memoria, cuius ipsa sacrum caput Roma aduehendum curauerat, eique in eo templo sacellum adornarat, seiungeretur. Haec de pia matrona, de nobis optime merita reticenda non fuerũt.

Ceterorum ciuium liberalitas erga nos fuit egregia. nam in magna annonae difficultate ab ciue vno tantum vini, quantum toti familiae in annum satis esset, accepimus. Aeris quoque alieni magnam partem dissoluimus. Quotidiana nostrorum ministeriorum opera praestita est solito cum fructu. Sed praecipue Turcarum classe Calabriae oram infestante, quadraginta horarum supplicatione ciuitatem vniuersam ad pietatem excitauimus. Priuatis quoque concionibus Monasterium Sacrarum Virginum adiuuimus. In eo Virgines summo loco natae, cognita praestantia humilitatis, virginibus alijs ad eam capessendam praeiuerũt; sponte humillima quaeque, ac sordidissima culinae totiusque coenobij obeuntes ministeria. Haec anno nonagesimo quarto.

Nonagesimi quincti fructus non dissimiles fuere. Aliqui praeterea aere obstricti alieno, qui soluendo nõ erant, nostrorum opera carcere exempti sunt. Ex opificum oratorio varij varias religiones susceperε. Quidam

dam cum aduersario non sine aliqua diuinae indignationis comminatione reconciliatus. Is ob iniuriam non leuem inimicum suum coercendum curauerat; &, vt eum pessundaret, iter mare faciebat, non odio solum, sed ira etiam succensus: quod ore, vultuque praeferebat. Ibat eodem itinere eademque naui, cum alijs etiam nostri ordinis Sacerdos. Is, vt honesta aliqua oblectatione vectores a procacibus iocis auerteret, Ludum proposuit, vt e libello Virginis precatorio suam quisque sententiam sortiretur, quam certae paginae certa linea cuique dedisset. paginam lineamque sibi quisque quotam vellet definiret. Sortientibus alijs, homo feruenti in inimicum iracundia, ne contumax in comitatu haberetur, & ipse sortitus est. obtigit illi Antiphona, quae legitur dominica XXI. post Pentecosten. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Tum serio iocans Pater tam apte eam sententiam illi conuenire demonstrauit, vt si in illa ipsa re tum primum nata esset. Perculsus ilico homo ingentis spiritus, & si remisit, non tamen extinxit iracundiam. Postero die iter prosequentes in piratarum insidias prolapsi, aegre multa prece periculum effugiunt. In eo periculo residuum illud iracundiae, quod in stomacho feruebat adhuc, omne metus eiecit: seque totum potestati Patris permisit; litterasque dedit, atque id etiam Patri commendauit, acta omnia vt rescinderetur, & miser ille e custodia emitteretur. itaq; Dei beneficio aequissimis conditionibus sancita pax. ille nũc cura inimicitiarũ liberatus, Dei sibi propiciam benignitatẽ & agnoscit, & vbiq; prædicat. Ciuitatis benignitas erga nos etiam hoc anno suppeditauit abũde. Auctus tẽpli ornatus veste peregregia auro intertexta magni pretij, & sacra supellex tribus argẽteis lãpadibus septingentorũ aureorũ aestimatione.

COL-

COLLEGIVM PANORMITANVM.

IN Panormitano Collegio priore anno Octauius Troisius scholae Magister designatus, qua nostri fratres humanitatis studijs erudiuntur, longo molestoq; morbo consumptus est, multis praeclarisque editis patientiae exemplis, veraeque erga Deum, Sanctissimamque matrem pietatis, cui fuit semper addictus: nullumque diem praeterijt, quo non aliquandiu, cogitatione duntaxat, cum ea sermonem habuerit. Adolescens fuit bene litteris excultus, & praeclaris ad munia Societatis dotibus instructus. Hunc sequuti altero anno quinque, Alphonsus Cardona Florenti aetate nec vulgaris expectationis. diuturna, molestaque phthisis facultatem ei praebuit & virtutis exercendae, & animum ad excipiendam mortem comparandi: quam ille non tranquillo solum, sed laeto etiam animo excepit. Missus domum patrij caeli experiundae salubritati, praeter cetera pietatis exempla, nunquam ab alio tractari voluit, aut sibi necessaria exhiberi ministeria, quam a fratre, qui ei comes datus erat. Sacrosanctae ille Eucharistiae pio amore multum tenebatur. qua extremo in morbo saepius se recreari postulauit. Multa in eo, dum vixit morum suauitas, comitasque, ita omnium sibi animos adiunxerat, vt in morbo certatim illi studerent inseruire. sed pomum iam suam dulcedinem adeptum caelestis Domini mensae fuit inferendũ. post hunc Ioannẽ Nicolaũ natione Frãcum beata sors excepit. fuit hic ex ijs qui e Galliae naufragijs huc N.P. Generalis iussu appulere. hic grauissimo cõflictatus morbo, & cõmunem calamitatem, & propriũ peregrinationis, & valetudinis incommodũ inuicta patiẽtia, & summa animi tranquillitate superauit. Ludouicus Lauechia tertius ad palmam properauit, adolescens suae par vo-

ca-

cationi. is quasi pignore accepto, tam certus de sua salute exijt e corpore, vt in grauibus morbi doloribus ipse valentes confirmaret; seque pro ijs ad diuinum tribunal deprecatorem polliceretur futurum. Non longo interuallo praeeuntium clausere agmen coadiutores duo Anastasius Naccius Florentinus, & Angelus Brancolbius Lucensis: vterque obedientiae & pietatis apprime studiosus. nunc ad prioris anni operam veniamus.

Scholae & numero, & nobilitatis flore magnum hoc anno sumpserunt incrementum, nec sine fructu pietatis. quod satis indicauit adolescens; qui lacessitus iniuria, se Deum precaturum pollicitus est pro eo, qui se laeserat. quod vbi domum venit, accurate fecit. Quantum B. Virginis Sodales pietate profecerint, multa testantur. Ex ijs adolescens a parente certae rei caussa ad domum missus viri nobilis, a muliere nuda comprehensus, Iosephum imitatus, relicto pallio, euasit, seque domum cum thorace retulit. Alius nihil mali suspicans prauis ab amicis ad hortos suburbanos abductus, insidijs eorum circumuentus, retinebatur ad flagitia. & hic reluctans elapsus integer, cum in vrbem venit, sacram ingressus aedem, Virgini Matri castitatem vouit, Voti nuncupationem religionis est consilium sequutum. Idem a viro nobili circumuentus, praeter attentatam vim sceleris, fuste etiam multatus erupit. Alius castitatis votum nuncupauit. Euocatus alius per caussam colloquij a femina, non obscuris signis insidias suspicatus, festinus inde se proripuit. ex eoque tempore, licet suis negotijs eo saepe vocaretur, transitu tamen per plateam illam semper abstinuit. Rogati aliqui, quibus artibus incentiua libidinum repellant: memoria B. Virginis responderunt; & ea maxime S. Bernardi cohortatione: *Cum tentationibus pulsaberis, respice stellam, voca Mariam*. Neque vero in sui corporis

poris victoria tantum insignes, in superanda vero iracundia calcandoq; humano fastu inaniq; dignitate sunt inertes. Quidam eorum a petulante puero ignominiose percussus, licet per aetatem, & robur posset illam iniuriam vlcisci, & pleniore etiam rependere mensura: memor tamen pietatis, quamuis cum aliorum indignatione, abstinere maluit. Et ne vmbratili pugna tantum delectari videantur, duo nostrae militiae, tertius Capuccinorum, Dominicanorum quartus nomina dedere: reliquorum magna pars, & praecipue e familijs nobilibus, eandem nobiscum militiam inire in votis habent. Sequente anno Academia, & Sodalicium additum eorum qui Philosophiae studeant, quatuor alijs Religionibus, Societati duos peperere.

DOMVS PROBATIONIS Panormitana.

NOua probationis Panormitana domus Calendis Octobribus anni cIↃ. IↃ. XCIV. incoli primum coepta est. Sane parum fuit opportunum, tum ob aedificationis impensas, tum ob annonae caritatem huius anni nouam alendam familiam suscipere: tanta tamen fuit fundatoris festinatio, & studium primo quoque tempore nostros illuc inducendi, cuius rei caussa sexcentos hoc anno ad fabricam aureos numos adiecit, vt iniquum visum fuerit, non illi satisfacere. Immigrarunt omnino duodecim; cum pluribus ad victum non suppeteret, nouicij sex, totidem veterani. Die festo Assumptionis B. Virginis, cui parua aedicula, qua nunc vtimur, dicata est, & dicanda erit Ecclesia, cum fuerit extructa; R. P. Proprouincialis in ea primum sacrum fecit, magno nostro, & vicinorum gaudio. qui se in vicinia templum, quo caruerunt adhuc, laetantur habituros. Nam cum tenues homines sint, ac ferme inopes, & templa longe

absint, non modo diebus operosis, sed saepe etiam sacris, Missae priuabantur sacrificio. nunc profestis etiam diebus conueniunt. Tirocinij exercitationes cum primum nouicij venerunt, institutae, progredi coeperunt, vt in tanta potuit tironum paucitate. Ex ijs vnus grauibus de vocatione oppugnationibus appetitus, P. Rectori animi sui aperit vexationem. Erat ibi inter alias etiã B. P. N. Ignatij effigies. eam iubetur osculari, atque illius opẽ implorare. paret ille toto animo. Tum Pater, vt a me nullam, inquit, sed omnem a Parente nostro gratiam agnoscas, redi ad contubernium: nihil enim in praesens te monebo: tantum caeleste praestolari beneficium te iubeo: ei tamen mandat, redeat in crastinum. redit ille postero die, omni tentatione liberatus, testatusq; est, se, simul atq; ad sanctae imaginis osculum accessit, statim animo tranquillitatem induisse. Eadem arte Pater idem alios turbulentijs similibus liberauit.

Altero anno, aucto nostrorum numero, tenerae arbusculae, quae priore gemmauerãt, coeperunt aliquem fructum aperire. Discurrebant vicatim noui Christi milites aere campano gregatim pueros ad catechismum collecturi. nihil amplius: tantum humilitatis indole, ac sanctimoniae profecerunt, vt homo a cogitatione auersus pietatis, impudicae licentiae amator, turpiq; amore improbae mulieri addictus, tironum aspectu repente commutatus, cum balbutientibus pueris huc se contulerit, atque ad pedes P. Rectoris abiectus miserum animae suae statum deplorauerit, opem cum lacrymis petierit, seq. totum illius fidei, consilioq; permiserit. Homini pro tempore opportunum latum auxilium. Diuinae bonitati laus. Ceterae exercitationes, quae ad veteres exuendas, nouasq; induendas consuetudines, nouos rerum sensus imbibendos, & Diuini spiritus feruorem excitandum, pertinent, vt maior cultura est adhibita, in pluraq; iugera opera prolata, sic ad

fructum pietatis, vberiore etiam prouentu, noualeſegetes fudit laetiores.

COLLEGIVM MAMERTINVM.

QVI in Collegio Mamertino fuerunt, morbis, & grauibus, & diuturnis vexati ſunt. Mortem obiere priore anno duo, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitae. Sacerdos expleto ſuorum ſtudiorum curſu verae caritatis, & ſuae ipſius abiectionis in primis ſtudioſus; qui cum doctrina, tum his virtutum inſignibus, magnam de ſe expectationem concitauit. alter non minoris expectationis adoleſcens; qui cum ingenij laudibus maxime floreret, e medio Philoſophiae curſu ſublatus eſt. Sed, vt viuentium operam perſequamur, mulier a veneno fibi propinando reuocata. Alia florenti aetate, & honeſto loco nata, a paulo liberiore, ad ſanctiorem viuendi rationem traducta: a conſilio interficiendi necromantis, a quo ſe deluſum putabat, alius abductus. meretrices ex infami vita extractae, atque honeſto in matrimonio collocatae. Itum eſt obuiam raptui cuiuſdam virginis: magnumq; ſcelus, multo labore, & induſtria noſtri Sacerdotis antequam erumperet, compreſſum. Inter alias difficiles, periculoſaſque, vna praeter ceteras pacificatio coniuncta eſt; quae diuturnis odijs ita inueterauerat; vt cum potentia diſſidentium, tum mali vetuſtate, ingens aliqua ruina timeretur. res a multis tentata, conciliari non poterat; quod altera pars non niſi in eas condiciones conſentiret, quae alteri parti eſſent iniquae. Sed Diuina voluntate factum eſt, vt noſtri hominis induſtria illud cõſilium iniretur, quo aequis vtrique parti condicionibus, violatae alterius exiſtimationi ſatisfieret.

In ſcholis inferioribus diſcipulos habemus, numerõ quibus plures ipſae capere non poſſunt, nobilitate flo-

rem ciuitatis, probitate quales volumus: B. Virginem communi cõsensu, pietate, cultuq; studiose prosequuntur. Est iam tota ciuitate vsu receptum, & a multis annis Italia tota iuuenum consuetudine peruulgatum, ad caput muliebriter comendum, frontis capillamentum alere prominentius. in puellarem eam molliciem inuectus est aliquando primae classis magister. coepit adolescens ex ea classe manu sibi comam vellere. correptus a magistro, negauit se pati posse, quod Deo non placeret. Ita omnes ad vnum frontis dehonestamentum illud posuere. Vnus supererat Baronis cuiusdam filius, quem mater ab eo consilio, pro imperio auertebat. is cum paedagogo ambulans per vrbem, protestatus malle se in ea religione magistro obtemperare, quam parenti, tonstrinam ingressus, inutile sibi frontispicium aequari iussit. Magister idem alia occasione eos ad generalem confessionem cohortatus tantum profecit; vt non illi modo, sed ipsorum exemplo alij quoque scholarum aliarum discipuli & ad generalem confessionem obeundam, & frontem nube illa capillorum denubeudam adducerentur.

Sodalitas scholarum superiorum tres hoc anno nostrae Societati dedit, alijs beneficium idem flagitantibus: scholarum vero inferiorum plus viginti alumnos praeparauit, eundem expectantes aquae motum, praeter alios quatuor, quos Patres fecere voti compotes; tresq; alios qui ad alias religiones trãsiere. Per Quadragesimam e nostris multi in rusticanos vicos concionum caussa exiuere, magno vicanorum bono. in duobus eorum sodalitates institutae. diebus festis ad pios habendos conuentus congregantur: & aut pius aliquis codex legitur, aut auditur de rebus ijsdem sermo, quem loci parochus paratũ habet. Hæc anno nonagesimo quarto.

Sequẽte anno incommodis multis obuiam est itum. Sublata domus aleatoria, quae totos dies aleatoribus refer-

referta, tanquam putrida ciuitatis vomica, malorum omnium saniem, in multorum perniciem cogebat, reddebatq;. Mulieres hoc quoque anno e lupanaribus eductae, & in tuto collocatae. Ad confessionem aegrotus, ac paene iam depositus adductus, qui ab ea valde abhorrebat. hic nostri sacerdotis comitate, & peritia non libenter modo & magno animi sensu confessionem integerrime peregit; sed & testamentum condidit; qua de re prae tristitia, ne verbum quidem ante admittebat. demum in magna animi tranquillitate constitutus, extremum quod illi temporis superfuit, in diuini beneficij commemoratione transegit. Restinctum incendium, quod ex dissidio duarum nationum Italicae, & Hispanicae succensum, in magnā alterutrius, aut vtriusque gentis perniciem, & magnum ciuitatis detrimentum exarsisset. Vir insigni audacia, & manu promptus, sui similium manu succinctus, in necem immerentis hominis cōspirauerat; vt illo e medio sublato, tanquam impedimento liber, miseri vxore potiretur. hunc ab ea mente prudenti & apta oratione noster Sacerdos abduxit. Nobilis aleator ad insaniam vsque execrandae pestis cupidine tenebatur. is cum sua omnia infami voragine absumpsisset, ad vxoris bona, quae sola supererant, mentem adiecit; eratq; ei consilium, illis pessundatis, vitam rapinis, latrocinijsq; sustentare. Huic arte ad se adducto noster sacerdos & vitae emendationem, & peccatorum confessionem persuasit. Eundem in suscepto consilio confirmauit nocturnum visum. quo per quietem grauiter obiurgatus est, quod se bonis suis spoliasset, eandemq. perniciem vxori quoque inferri cogitaret. proinde Patrem adiret Iesuitam, quem nosset; eiq. se totum regendum, formandumq. permitteret. Paruit monitis, nouumq. vitae genus ex eo tempore instituit. Profugi duo, vagamque trahentes vitam, latrocinijs regionem infestabant: opportuna nostri Sacer-

dotis oratione, qui forte illis occurrerat, ad meliorem frugem reuocati.

Nobilium sodalitas maiora in dies capit incrementa: grandaeni, & affecta iam aetate senes diebus Sabbathis ad flagellationem conueniunt. Instituere vt quotidie certus eorum numerus valetudinarium inuisant, aegrotis inseruiant, vlcerosis faniem detergant, pedes abluant, lectos componant, magno exemplo veraе caritatis.

Feracissima ingeniorum, virtutumq. est scholasticorum altera Sodalitas. ex ea decem ad varias se religiones transtulere, ad nostram quinque, ex ijs, qui idem petunt, delecti. vt vere haec religionum seminarium possit nominari. Vltima opificum illud hoc anno nouum habuit. Festis diebus duodeni vicatim vrbem obeuntes eleemosynas, ad pauperum varios vsus quaeritant, ducentos hoc anno numos aureos collegerunt, quibus panperrimorum inopiam leuarunt, & obaeratos, qui soluendo non erant, nexu liberarunt.

DOMVS PROBATIONIS Mamertina.

QVI in Probationis domo Messanae versati sunt magnam Septembri prioris anni ineunte occasionem exercendae pietatis habuere. Turcarum classis per id tempus fretum ingressa, exscensione facta in Calabriae oram, omnia rapinis, incendijsq. foedabat. Tota ciuitas in armis erat: praesidia, & machinae ad arcendum hostem, locis opportunioribus dispositа: excubiae, vigilesq. in muro collocati. Et quia domus haec est moenibus applicita, fuere saepe milites nostra intra tecta admittendi: illorum sarcinae seruandae, aqua ad refrigerationem subministranda; multis denique in rebus, non sine assiduo labore magnoque incommodo

nostrorum custodes adiuuandi. Haec nouicij infracta patientia, sedato animo tulere. Fuere etiam ex iis ita animi, motuumq. custodiae imminentes, ita sensus castigantes suos, vt ex tanto bellico apparatu, quod fragore militari, tympanorum, ac tubarum strepitu, machinarum reboatu omnium animos erigeret, cum haec omnia oculis subijcerentur, nihil eorum tamen vnquam aspexerint. Periculo tandē nos diuina bonitas liberauit.

Sequente anno tres insignes trium fuere Sacerdotum peregrinationes. Hi studiorum suorum spatijs emensis, tertium probationis annum decurrebant. Profecti e tirocinio, suum quisque opidum sortitus tantam inuenere messem, quantam par est esse in locis idoneis colonis destitutis: & quo, aut nunquam, aut longo interuallo nostri peruenissent. Eorum vnus in Calabriam transmisit, opidum S. Agatham excolendum suscepit. Hic, praeter vsitata, illa euenerunt. Mulier mariti caede irritata peruicacissime diu sermones de pacificatione repudiauerat. Haec cum Sacerdotem concionantem audisset, palam se Deo monenti obsistere non posse affirmauit, quare non ipsa solum ad pacem consensit, sed etiam socerum, socrumque ac propinquos reliquos ad idem compulit, magna opidi totius voluptate. Sororis necem alter cogitabat. vocatus ad concionem, aegre perducitur. agitur in concione de condonandis injurijs, quae disputatio ita pectus hominis peruasit, vt in posterum diem sponte se redditurum polliceretur. Noctu per somnum ab Aethiopis hominis specie terretur, nisi conceptum scelus animo eijciat. Terrorem blanda speciosissimae Virginis species abstergit, idem ei consilium suadens. Mane templum petit: duo truculenti Aethiopes strictis gladijs accessu prohibent. territus ille concidit: opeq. implorata Virginis, importuna spectra euanescunt. Templum ingressus, voto se obstringit, omnem se concepti facinoris cogitationem deponendi factaq.

vitae totius confessione, id viuendi genus instituit, vt omnibus, qui eum nossent, esset admirationi. Quatuor annis vna e nequam aëreis potestatibus puellam in eo opido infestauerat, vt saepe illi noctu stragula detraheret: nonnunquam etiam fuste castigaret, effusoque cachinno irrideret; alia etiam non spectante nemine indigna faceret; tum quod omnem calamitatem superauit, intra biennium duos ei Germanos fratres vita spoliauit: vt mirum sit, tantam diabolo datam potestatem. multa interim remedia tentata nullo fructu, longo tamen vsu infestatio vertit in obsequium; vt ad pueliae nutum vmbra teterrima obtemperaret, ingentes a flumine lapides afferret; corbes frugum plenos e longinquo rure apportaret; horas, percussa pelui, significaret; tibijs, cythara, lyra tam scite caneret, vt cum peritissimis conferri posset. Rem noster sacerdos resciuit; vnaq; cognouit puellae patrem apud se alterius nuptam retinere. rem ad domesticam puellae disciplinam non sane opportunam; & exempli ad illecebram periculosi. Agit cum homine de scelere tollendo; nihil proficit. Venit ille die alio ad concionem, agitur de poenis ob scelera parentum diuinitus in filios immissis. Homo dolore perculsus supplex ad patrem cum lacrymis accedit: culpam suam agnoscit; seq. in eius potestate futurum pollicetur. Ita aliena mulier proprio viro reddita: puella, appensa particula agni caelestis, mali praestigijs liberata est. Haec in opido S. Agatha.

Brontium alter, tertius Liminam opida Siciliae profecti, ijsdem laboribus, exercitationibusq. eorundem fructuum copiam vberem reuexere. Brontij tamen, praeter vsitata, aliqui ab exilio, quod testibus scelerum conuincerentur: duo alij a capitis periculo nostro sacerdote deprecante, liberati; Multi, multaeq. impudice viuentes e coeno extracti. Sed duo praeter ceteros, turpi consortio viuentes, sacramenta obire non verebantur,

bantur, rati satis esse momentaneam ad praesens tempus a peccato abstinentiam, nullo facto diuortio. Et quo se maiore confidentia tuerentur, nostrum Sacerdotem vesani in suam sententiam trahere conabantur. a quo saepius repulsi, ad sacrilegam rediere sacrae synaxeos consuetudinem: biduoque exacto, conuictum de more repetunt inpurum. Venit postmodum pauoris plenus eorum alter ad nostrum Sacerdotem: se inferis clamat addictum: tribus iam noctibus sibi fauces a diabolo constringi. Facto tandem diuortio, sanctiore pietate vtrique confessionis sacramentum obiuere. Multae & ridendae superstitiones ablatae. cribrum farinaceũ, ad furta detegenda, forficibus impositum opera daemonis circumagebatur, cum certa illius infamia, quem id genus maleficij furem prodidisset. Praeterea si quis extremo mortis agone in emittenda anima laboraſſet, eum piaculum aliquod insigne commisisse existimabant. piaculum autem erat, aut felem necasse, aut ligneum, quo iunguntur boues, iugum igni concremasse. in eo videlicet ingens naturae cardo vertebatur. Ratio autem piaculi soluendi illa erat: vt vna e propinquis, domo egressa, tres supra tectum moribundi iaceret lapillos, ita eum tranquillum obitum sortiri. Vide stultitiam, & mirari desine remotissimos Indos, Mexicanos, Peruanos stulte id genus suspersitiones insanire, cum in ipso Catholicae religionis meditullio similia portenta audiantur: ita sunt alti vbique sentes stultitiae; & supereſt ingens adhuc sylua perpurganda. Scelus item putabatur, ni noua nupta anno toto crucis aspectũ, quae funeribus praefertur deuitaret. puniriq. intra annum morte coniugis oculorum contumaciam. Harum ineptiarum vanitatem fuit imperita multitudo dedocenda. Iam superuacaneum sit dicere, quantis vlulatibus, genarum lacerationibus, capilli vulsionibus, ritu Maurico mulieres funera defunctorum perturbarent. quin in

ipsum

ipsum sepulchrum, Lamiarum instar, descendebant, & sordes omnes, putridamque tabem eorum, qui antea sepulti erant, propinquae contrectabant, componebant, pulvinos substernebant: quasi nullam requiem illorum manes habituri essent, nisi qualem cadauera etiam putrefacta in sarcophago sortirentur. Omnis illa stultitia Dei beneficio sublata. Dum vellendis spinis noster occupatur, pluuia iam longo tempore desiderabatur. Indicta nostri hortatu ad S. Placidi reliquias quadraginta horarum supplicatio. Maximus fuit ad sacramenta venientium concursus. Primo die sereno matutino, tanta repente vis imbrium delapsa, vt sata iam paene arescentia reuixerint. Non est omittendum iniuriae magno animo ferendae nobile exemplum. Obuiam factus quidam inimico, contumeliosis verbis oneratus, vulnus in capite accepit. is quamuis ira ebulliret, memor tamen, se eo die multa de tolerandis iniurijs in concione audisse, non modo animum sedauit, sed ad pedes postea inimici cõcidens, veniam petijt. Re cognita noster Sacerdos curauit vtrunque noua gratiae reconciliatione iungendum. Re igitur Christiana bene tribus in locis administrata, nouaque religioni facie restituta, magno sui desiderio relicto, Messanam rediere.

COLLEGIVM CATANENSE.

TRES in Collegio Catanensi sodalitates adhuc fuerunt, nobilium virorum, discipulorum, & opificum. Nobilium etiam viris in dies crescit, & virtutibus: & cum alijs pijs exercitationibus de more, tum praecipue egenis subleuandis inuigilant. Ex eorum numero moriens Sodalis quinquaginta legauit modios frumenti, singulis annis pauperibus distribuendos. Tres alij non modicam pecuniae summam ad inopes aegrotos subleuandos. E discipulorũ sodalicio vnus Capuccinorum,

alij

alij alijs sese religiosorum familijs dicarunt. Opificum conuentus, qui remiserant, priore huius biēnij anno ad frequentiam, & pristinum feruorem reuocati. Et quoniam bene magnus adolescentium numerus, ex alijs circa vrbibus, opidisque huc ad publicum Gymnasium studiorum caussa se conferunt, cogitationem suscepere patres, si qua posset in vagam illam ac liberam iuuentutem inijci religionis cura. Tentata felici euentu res est; quartaque ex ijs adolescentibus lecta sodalitas. Magnae fuit ciuitati vniuersae voluptati, simul & admirationi: cum triginta lecti adolescentes, quo die primum instituta est, vna omnes in nostro templo ad sacram mensam accesserunt: vt multi nobiles, & ex ijs qui erant in Magistratu, Societati gratias egerint de illato in ciuitatem tam salutari instituto. Ciuitatis voluntas erga nos, vt semper fuit egregia, magnaque de Societate existimatio; vt nulla tam grauis oriatur difficultas, quam non existiment posse facillime nostrorum interuentu expediri. quo fit, vt dissidia omnia, controuersiaeque, ad Societatis arbitrium componenda deferantur. Et cum aliae multae sublatae simultates, tum inter duos primae nobilitatis viros; etsi nonnunquam specie tantum reconciliari visi sunt; duodecim tamen ipsos annos occultum odium aluerunt; pax tandem, multis nobilibus praesentibus, magna ciuitatis laetitia per nostros certo fedele sancita.

COLLEGIVM SYRACVSANVM.

SYRACVSIS e discipulorum sodalicio in Societatem, multis idem optantibus, admissus est vnus. E nobilium congregatione, ob infrequentiam missus erat vnus. is ad mortem cum aegrotaret dolenter admodum ferebat, se discedere de vita congregatione B. Virginis excluſum. quamobrem a P. Rectore multa prece impe-

impetrauit, vt in eam iterum adscriberetur: adscriptus, & a sodalibus vsitatis caritatis officijs domi salutatus, tantam laetitiam percepit; vt ob id ipsum aequo se mori animo testaretur. Difficilis admodum & multis implicita difficultatibus discordia sedata est. Nobilis adolescens insigni contumelia se a consobrino suo affectum esse sentiebat: qua ex re graues exarserant inimicitiae. &, vt multa odij irritamenta praetereantur, laesus doloris vlciscendi caussa eum, a quo laesum se existimabat, palam adortus in foro plano ense contumeliose verberauit. Lege duellari non videbatur ea nisi sanguine posse nota aboleri. Frustra remedia tentata: nostri ad plagae medelam accedunt. suadent, vt tribus viris e prima nobilitate rem omnem aequis vtrique parti condicionibus expediendam committant. post multos tandem, & irritos conatus, condiciones vtrinque accipiuntur. cum, ecce tibi, quo maxime die res componi debuit, eorum alter clam se subduxit, ex vrbeque profugit. sed diuinae scilicet potentiae fraeno constrictus tenebatur. nondum longe progressus, vehementi dysenteria celerius, quam discesserat, cogitur domum redire: actusque paenitudine, intempesta nocte nostrum accersit Sacerdotem; veniam petit leuitatis; polliceturque se futurum in ipsius potestate. postero die senatu praesente, ac primariae nobilitatis viris, pax in eas, quas conuenerat, condiciones composita, magna laetitia ciuitatis. Miles veteranus sex dierum itinere huc venerat, inimicum suum vt occideret. Is dum in templo nostro sacro Missae interesset, audito Euangelio, sensit se diuinitus commoueri. haesit primo; coepitque feruor ille animi sensim intepescere: mox etiam penitus extingui. non prius discessit, quam explicata totius vitae confessione, statuit saecularem militiam cum spirituali commutare.

CALA-

CALATAIERONENSE Collegium.

CALATAIERONE noui templi ſpecies, cuius ſuperiore anno abſoluta aedificatio eſt, piorum frequentiam facit ſolito maiorem, & religionis multo ſtudioſiorem. ingens tum nobilium, tum aliorum ordinum ad conciones concurſus, vt magnae quamuis laxitatis templum, tamen compleatur. & fuit in vrbe alijs quoque praedicatoribus ſua concio. Scholae, confluentibus e vicinis opidis, ad vrbem adoleſcentibus, non modicum ſumpſerunt incrementum: eae adoleſcentem vnum noſtrae Societati peperere. Ad ceteras vtilitates, quae a noſtrorum opera promanarunt, illa non leuis momenti fuiſſe videtur. Vir nobilis, quod profugam vitam maleficio tranſegiſſet, erat extremo ſupplicio afficiendus. is initio auerſo animo rem excipiebat. a noſtris confirmatus, tantam imbibit animo pietatem; vt alijs non modo hortator eſſet ad mortem forti animo ferendam, ſed magiſtrum quoque pietatis ſe praeberet, capita illis exponens ſacrarum meditationum, ad intimam culparum paenitudinem concipiendam, animumq. cum Deo coniungendum: quibus demum illud profectum eſt, vt pridie, quam traherentur ad ſupplicium, maximam noctis partem traduxerint in precibus; nonnulli etiam in ipſo carceris ſacello flagellis ſe caeciderint. Ad patibulum producti, carnifici pedes oſculati, magnam per eum ſe beneficij accepti Deo gratiam habere declararunt. Tanta reorum permouit adſtantes pietas, vt in fletum & lacrymas ſoluerentur, neque tamen eorum animi de ſuo robore quidquam remiſerunt. quin eorum vnus lacrymantium fletus caſtigauit; grauiore adhuc ſe ſupplicio dignum deputans. ſibi potius ſceleratae actae vitae ab ijs dari veniam poſtula-

stulauit. sublatisq in caelum oculis magno animi sensu, vt sua sibi scelera ignosceret Diuinum numen implorauit. sic profligatissimae vitae homines Diuina bonitas suorum opera in viam salutis reuocauit. Nec defuit nostrorum opera aegrotis. Ad decumbentem, ac morti proximum Sacerdos e nostris adit, consueta eius temporis officia praestiturus. aspectu patris recreatus aeger magna fiducia rogat, vt se cõtentis precibus Deo commendet: pollicetur Sacerdos, se postridie ad altare ipsius memorem futurum. postero die cognoscit de filio aegrotus, nostrum rem diuinam pro se obiuisse. tum alleuatus continuo se incolumem exclamat. seque ex eo temporis momento grauedine spiritus, qua praefocabatur, Dei beneficio sensit esse liberum.

Nec defuit piorum liberalitas erga nos. Vir nostri ordinis studiosus, duodeuiginti circiter annos pie nostrum templum, nostrorumq consuetudinem coluerat; saepeque nos eleemosynis adiuuerat. is moriens centum & quinquaginta legauit numos aureos quotannis, qui tribus sacris locis deinceps annis singulis primo hospitali domui; altero orphanis virginibus; tertio nostro Collegio perpetuo pendantur. Leontium praeterea Siciliae antiquum opidum missus Sacerdos praeter multas, & primariorum virorum magnique momenti pacificationes, aliaque nostrae Societatis consueta munia, pium Sodalicium instituit, ad eos e custodia emittendos, qui inopia pressi, aes alienum soluere non possunt, & vinctis inopibus bis quaque hebdomada cibos procurandos. Nobilium quoque sodalitatem, quae prope iam collapsa erat, ad pristina pietatis studia repetenda excitauit.

COL-

COLLEGIA BIBONENSE, Drepanitanum, & Monteregalense.

BIBONE nostri paterna Dei beneficia senserunt diuturnis probati morbis, ac periculosis. tribus enim exceptis omnes grauissime laborarunt, vnius tantum interitu, ceteris periculo perfunctis. Nunquam tamen in tanta strage vsitata Societatis munia cessauere; tum illorum opera qui integri a morbo mali expertes fuere, tum aliorum ope, qui subinde morbo leuabantur. Christo laus. Qui in tribus sodalitatibus sunt adscripti quantum proficiant in pietate indicauit vnus, qui ab improba muliere sollicitatus, malle se mori declarauit, quam animum mortali culpa inquinare. Et vt aliud ex alio, addam & illud: vt quantum inter vitam improbe actam, & innocentiam interfit, intelligatur. Duo in vicina vrbe vitam libidinose traducebant, nulla sui corrigendi cura, cogitationeue. Hi subito fulmine icti interiere, cum vitae integerrimae hominem, quem tum forte medium habebant, & cum quo sermones conferebant, ira caeli intactũ reliquisset. Quo prodigio territus alius eadem, qua illi fuligine tinctus, consilio suscepto melioris vitae, Bibonem contendit ad nos, diuinamq; nobis vltionem enarrauit. Profugi, exsilio damnati omnem circa regionem ita infestam habebant, vt ne villam quidem suam obire auderet quisquam. Data est opera per nostros vt illis fide publica tantisper caueretur, dum suis controuersijs compositis, in statum pristinum redierint. ita communi omnium laetitia publicae quieti ac securitati consultum. Auctus magnis impensis templi cultus, sacra veste, argentea pyxide, rebus alijs. Haec priore anno.

Insequentis anni mense Iunio ineunte horrendae caeli tempestates, procellosis imbribus, ac tonitruis ira-

tum

tum numen declararunt. templa de caelo tacta: afflati homines, pecudesque expirarunt. Territi mortales ad supplicia caelestis numinis diuinaque obeunda sacramenta, templum nostrum praecipue petentes confugerunt. multorumque saluti per eos dies consultum est. Agrigentinus Episcopus cum dioecesim obiret, Biboenem ad nostrum Collegium contendit, magna beneuolentiae significatione. Exceptus est a Scholis versibus Hebraicis, Graecis & Latinis, quibus mirifice delectatus est. Inter cetera beneuolentiae signa, sacros ordines in nostro templo contulit. Templum praeterea nouo Collegij domicilio accommodatum, cum annuo vectigali nobis benigne attribuit. Aedes praeterea ad inhabitandum opportuniore, & salubriore vrbis loco nobis attributae, & Illustrissimae Aloisiae a Luna vrbis Ducissae liberalitate Collegij tandem vectigalia constituta.

Drepani discipulorum sodalitas vnum Societati nostrae anno altero dedit alumnum, cum priore anno aliqui religionibus alijs se adiunxerint. Ex eodem cetu alius quantos in pietate habuerit processus declarauit colapho enim ab inferioris condicionis adolescente percussus, tranquillo animo se paratum ad alterum excipiendum praebuit; omnemq. iniuriam Christi causa remittere, quod postridie sacram mensam esset aditurus, professus est. Bacchanalibus eodem anno ad compescendam lasciuiae licentiam, puerorum per vrbem traducta supplicatio, rei nouitate, adolescentulorum modestia, & insigni variarum specierum ornatu mirum in modum ciuium animos ad spectaculum exciuit; vt multi agmen, nostrum templum repetens prosequerentur. ibi puer insignis Angeli specie, eximie ornatus, puerum alterum, quod egregie Christianae disciplinae rudimenta percurrisset, praemij loco fulgenti diademate ornauit, magna spectantium hilaritate plausuq;. Eodem

anno

anno Marianus Mongiardinus cum decem nobis aureorum millia, & peramplam domum, quae Collegio commodum praebeat domicilium nobis dediſſet, ſe quoque demum Deo in Societate conſecrauit. vbi duobus menſibus grauiſſimis totius corporis doloribus vexatus, menſe Nouembri, morbo extinctus, magnum pietatis ac ſanctimoniae documentum reliquit.

In Monte Regali Societatis auctoritas, & ciuiũ erga nos beneuolentia creuit vſque eo, vt nihil paene maiorum, aut minorum rerum; nihil neque publice, neque priuatim fiat, noſtris inconſultis. tanti refert vſu rerum, & conſtanti fide ijs ſatisfacere, quibus cum verſeris. In vrbe vberes admodum fructus hoc biennio ex conſuetis Societatis muneribus collecti. Quae res quamuis magnae ſint, quia vſitatae, omittuntur. Nouum fuit Quadrageſima ſupplicationem paenitentium cum flagellis inſtituere, ſpecioſa pompa, & ad eliciendam pietatem apprime comparata In ea antiquae religionis in hac vrbe Chriſti pendentis prolata eſt imago, ad cuius conſpectum ciues effuſe lacrymarunt. Ad priores Sodalitates acceſſit priore anno nouum adoleſcentium opificum ſodalicium nondum matrimonio iunctorum, Diuinae Matri dicatum, ijſdem quibus cetera & legibus & inſtitutis. Diſcipulorum ſodalitas alumnos duos Chriſti obſequijs addixit, in Benedictina familia alterum, alterum in Societate. Sacris tabulis duabus altaria duo exornata, circunciſio alterius, alterius Chriſti naſcentis hiſtoria eſt argumentum. Vtriuſq. magna religione, & concurſu ciuitatis, in primis vero confitentium frequentia celebrata dedicatio eſt. Caruerat adhuc Collegiũ ſuburbana amenitate, eodem anno Reuerendiſſimi Vicarij liberalitate locus ameniſſimus eſt nobis attributus: aedeſq. ſatis cõmodae extructae. ad eam fabricam iuuandam idem Vicarius poſteriore anno aureos centũ quinquaginta eleemoſynae nomine adiecit.

COLLEGIVM RHEGINVM.

RHEGII quoque eadem Societatis auctoritas & ciuium erga nos beneuolentia. In rebus omnibus summi, infimiq. confugiunt ad nos: vnaque est omnium vox, Societatis Patres commune esse perfugium totius ciuitatis. omnium vero beneuolentiam superauit Illustrissimi D. Annibalis Afflicti Archiepiscopi humanitas. familiariter nobiscũ agit: nos in honore habet: nostram operam, consilium exquirit: nobis fauet, patrocinatur. Omnia denique cum ad pietatẽ, tum ad res ceteras leni tranquilloq. cursu ante hoc biennium progrediebãtur. Sed fuit miserae ciuitati prior annus funestus, ac propemodum exitialis, agrorũ populatione, direptione vrbis, & incendio. Turcarum classis Cicada duce, famoso illo iampridem Christianae Religionis desertore, obseruata nostrarum nauium absentia, Italiae superuenit. Caussa illis huius suscipiendae expeditionis non vna fuit. primũ vt Italiae vires a bello Vngarico auerterent: tum irritati Turcarum animi direptione Patrarum Peloponesi Emporij, quod paullo ante Italicae triremes repentino aduentu expilauerant, magnamq. vim mercium Turcarum, ac Iudaeorum negotiatorũ asportauerant: Accessere etiam clandestinae perfidorum coitiones, qui firma aliquot praesidia in illa ora pacti erant. Fretũ igitur ingressa, Calabriæ appulsa, direptionibus, populationibus, incẽdijs omnia fedauit. Vrbs Rhegium Mamertino freto imposita, seu prima, seu omnium maxime belli calamitatẽ excepit. Videbatur aduersus subitã oppugnationem munita satis, posseq. momentaneũ hostẽ sustinere aliquandiu. idq. vt fieret nostri contendebant. eiusq, rei caussa cum ceteri suis quisque rebus consulerent; & se, suaq. hostili direptioni subducerent; nostri e sacro templi ornatu, cultuq. nihil omnino detraxerũt, quo maio-

res

res animos ciuitati facerent; nõ esse vllum periculũ pertimescendũ. cum tamen Ecclesiae aliae ita essent spoliatae; vt ne aera quidẽ appensa in turribus relinquerentur. Sed superiorũ temporũ damna erant in oculis: (est enim saepius vrbs, opportuna maxime iniuriae, Turcarũ rabie deuastata) nec meliores exitus territi ciues sibi proponebant. Tum, vt & opes, & animus non deessent; quis rei summã sustineret? vno imperio res administranda, an fuit in plura imperia dispertienda? vtrumque impeditum. Et temporũ angustiae deliberandi spatiũ non dabant. Re igitur desperata, quo tempore sacer fuit apparatus in latebras abdendus, superuenere ciues magno numero, tum nostri studiosi, tum inopes, pretiosissimis quibusque suarum rerũ latibula in nostris aedibus quaerentes. quibus dum nostri suarum rerum satagentes satisfacere laborãt, sua nihilominus cogũtur post habere. Extremo demum superueniẽte periculo, vna cum vrbe vniuersa Collegium hostium praedae relinquitur. Ciues partim se in vicinos montes recepere, partim transmisso ante hostium aduentum freto Messanam concessere; vnde suo cũ luctu miserae vrbis incendia prospicerent. Collegij Rector cum Sacerdote altero ab Archiepiscopo in vicinum opidum, tutum a periculo, vna cum ipso iussi sunt abire; magnoq. vt in calamitate tanta solatio, & adiumento miseris, qui eo perfugio vsi erant, fuere. nam praeter confessiones, eos quotidie in precibus habebant. neque irritae preces fuere. quippe timebatur, ne pestis latius se funderet. ac si diutius haesisset hostis, vrbs vniuersa solo aequaretur; ac tenues illae, quae latebant, inopum reliquiae eruerentur. Sed Diuina nos misericordia respexit. Nam cum in diem natalem Virginis ad sacram synaxim omniũ conuentũ, & pridie eius diei ieiuniũ Pater indixisset: postero die hostes se ad naues receperũt; pauloq. post mare toto cesserũt. Nostri, ad miserorum ciuiũ solatiũ, in vrbem direptã, ruinis, & incẽdijs

proſtratam inter primos redierunt. Et ſane Diuino Dei beneficio factum eſt; vt noſtris aedibus minus, quam ceteris illatum damni ſit. vt & Archiepiſcopus, & clerici, plurimiq. ciues tecto tantiſper dum ſua reſarciunt damna, excipiendi fuerint. Miſeranda omnino rerum facies,& miſeris ciuibus luctuoſa. non enim in tecta ſolum hortoſue, aliaque viuentium oblectamenta commodaue; ſed in ipſa etiam mortuorum ſepulchra ſaeua barbaries graſſata, oſſibus inde erutis, & igni traditis. Duo ſilentio non praetereunda noſtri, vrbe repetita, deprehenderunt. Primum noſtrum templum non ita a Turcis male habitum, vt cetera. Et cum barbara feritas in quaelibet Chriſtianae religionis ſymbola, indiciaue deſaeuierit; duae tamen vrbe tota cruces incolumes repertae ſunt: vna in noſtro templo, altera altero in loco. Deinde cum barbarico more ſacras imagines ſacrilegi comminuiſſent; tabulam quae in hortis Collegij latebat; in qua B. Virginis, S. Nicolai patroni ciuitatis, & S. Ambroſij imagines depictae erant, protulerunt; itaque circunquaque ad eam abolendam corroſerunt; vt, cum ad imaginum peruenisſent lineamenta, integra omnino a ſacrilega iniuria ſacra pictura perſtiterit. quae res pro miraculo habita eſt. In tanta interim ſuarum rerum ſtrage optimi ciues praeclare ſuum erga nos ſtudium, beneuolentiamque declararunt. Siquidem & e montibus, & e Mamertina ſpecula cum ſua incendia ſpectarent, in communi ruina ciuitatis, praecipuo dolore angebantur Collegij flammas proſpectantes. In vrbem reuerſi non minore ſenſu, lacrymiſque noſtris, quam ſuis ruinis doluerunt. neque vlla magis re illorum animi anguntur, quam non poſſe ſtatim noſtra damna reſtituere. Siquidem vniuerſa calamitas tanta eſt, vt omnes ad inopiam redacti ſint. In votis tamen habent, ſi vbi ſe fortuna reſtituerit, quod in praeſenti minus poſſunt, tempore opportuniore compenſare. nec

quid-

quidquam magis in calamitate tanta timuerunt, quam ne Collegium amitterent. Eiusque rei causſa tum Archiepiſcopus, tum ipſa ciuitas ad P. N. Generalem literas dedere; maiorem ſe Collegij, quam ſuarum fortunarum iacturam exiſtimare. Reſartis vtcunque tabernaculis, potius quam tectis redditaque vrbi qualicunque facie, prima cura fuit ciuitatem ad repetēda Chriſtiani hominis officia reuocare. Miſſae ſacrificia primo quoque tempore in templo celebrari coepta: reuocata concio magna frequentia: ſacramentorum vſus repetitus, ſchola duntaxat vna, retinendae iuuentuti in officio reſtituta: doctrina Chriſtiana tenerae aetati, rudibuſque tradi coepta; ac puerorum agmina per vicos vrbis circumducta. Poſtulante praeterea Archiepiſcopo, ad inſtitutionem clericorum, quaeſtiones de conſcientiae cauſſis inſtitutae. ad quas non clerus modo vniuerſus, aliarumque familiarum religioſi viri, ſed ipſe quoque Archiepiſcopi Vicarius, laicique permulti confluunt. Multique nobiles, qui tutis in locis extra vrbem ſedem poſt hoc excidium ſibi collocarunt, non ſine magno incommodo diuini verbi cauſſa, ſe ad vrbem conferunt. Denique quantum diligentia, induſtria, diuinarumque rerum cultu fieri poteſt, datur opera, vt in tanta ſolitudine, & vaſtitate ciuitatis, ſi minus latericia aedificia, at certe ſpiritales Hieruſalem muri aedificentur. Noſtrum porro domicilium, quamuis aliqua ex parte reſtitutum, in priſtinum tamen ſtatum breui tempore reſtitui non poterit. ex quo coacti ſumus capitum numerum imminuere. nam, cum antea quatuordecim hic verſarentur: poſt has ruinas primo quatuor rediere: paullatim tamen aucto numero non plus denarium expleuere. Ita quae, niſi haec accepta clades eſſet, communia & trita omittenda eſſent, nunc reſtitutis & vrbe & Collegio, tanquam noua licet praedicare. Reſtitutae tres ſodalitates nobilium, diſcipulo-

rum, & opificum. Nobilium sodalitati adscribi voluit Summus Antistes. Adiuti de more carcere detenti, & in nosodochijs decumbentes. Sodales opifices, res omnino noua in hac ciuitate, eleemosynas leuandis pauperibus vicatim certis hebdomadae diebus quaesitarunt. Pacificationes multae, & magnis difficultatibus implicitae, & ex quibus ad cetera mala ruinae adhuc multarũ familiarum timebãtur, magno certe labore, & contentione nostrorũ Sacerdotũ ad optatum exitũ adductae. Rebus vtcunque compositis, obuiam eundum fuit alteri generi incommodorũ, quae necesse est huiusmodi cladibus comitari. Nam post direptionẽ vrbis hostibus inde profectis, furta multa ab inopi plebecula (quasi quidquid residuũ esset, id ex hoste recipi videretur) cõmissa erant; tum alij aere obstricti alieno, facta suarũ rerũ iactura, soluẽdo non erant. his, alijsq. nominibus multi in carcerem coniecti erant. Data est opera per nostros, vt miseris laxior ad satisfaciendũ daretur dies, carcereque mitterentur. multis etiã, qui petebãt, persuasum, vt totũ debitum remitterent. fuitq. qui centum numos aureos ei, vnde petebatur, cõdonaret. quod in tam afflicta ciuitate, & tanta omnium inopia leue existimandũ non est. Nostrorũ praeterea industria pecunia alia curata, aurei centum ab egentissima ciuitate sunt expressi: prope totidem per Quadragesimam concionibus collecti: tantundẽ nobis rebus alijs collatũ: & haec omnia in egentes distributa. Sacro pietatis aerario quingẽti aurei collati: aliaque multa praestita; quae florenti ciuitate laudarentur, in euersa, & vastata maxima habeantur necesse est; cum praesertim qui benigne faciunt, miseri quasi de demenso suo sibi detrahant. Non quidem digna tanto excidio fuisse tam pia ciuitas videtur: sed certe, si tanti colligendi fuere fructus pietatis, non sine diuina prouidentia, & bonitate simul aduersarum saepe rerum turbines immittuntur.

MI-

MINEENSE, ET MELITENSE Collegia.

MINEI sacra agni cera S. Placidi reliquijs, & sacramentorum perceptione mulieri est auxilium allatum, quae ad septimum vsque puerperium extinctum fetum semper emiserat, ita Dei beneficio factum, vt octauo animato partu laetaretur. Priore anno magno cum totius vicinitatis maerore sementis tẽpus paene totum nullo imbre praeterierat. suasit concioni noster Sacerdos, vt semihoram omnes ante sacram Eucharistiam ponerent in precibus; vespere religiosa supplicatione per vrbem ire iussit, praemisso puerorũ agmine, ciuitas processit vniuersa; multique acerrime se diuerberarunt. probata est Diuinae bonitati pietas. coepit illo ipso die nubibus densari caelum: postridie tam opportuna pluuia expressa, vt aratores non optarent meliorẽ. Et, vt non nihil de B. Virginis alumnis dicamus, eleemosynas vicatim per vrbem emendicati sunt nobiles adolescentuli, magna omnium probatione, ad carcere detentos subleuandos. Eorum vnus patris experiri maluit saeuitiam, male multatus ab ipso, quam ad lasciuam comoediam spectandam se conferre.

MELITAE mulieres quinque ab impudica ad honestam, & religiosam etiam vitam traductae, monasterio Paenitentium, quod in hac vrbe nunc primũ instituitur, initium dederunt. Quatuor in hac vrbe Cõgregationes institutae sunt. Fratrum militum S. Ioannis vna, discipulorum altera, tertia opificum, quarta puerorum Seminario addictorum. Explicantur etiam in templo nostro quaestiones de iure cõscientiae, ad quas Clerici conueniunt. P. Io. Baptista Carminata Dominicis diebus, & sexta quaque feria breues habuit ad populum sermones. ad quem audiendum cum frequens populus conue-

nit, tum viri primarij, & Religionis proceres, maiore signo crucis insigniti. nonnunquam etiam Summus ipse Religionis Magister. Haec priore anno contigere. Posteriore in vtroque Collegio & Mineensi, & Melitensi iaci coepta fundamenta sunt noui domicilij solemni cerimonia, & magna populi frequentia. Cetera a communibus dissimilia non sunt.

NOVVM MARSALENSE Collegium.

ANNO nonagesimo quincto Marsalense Collegium incoli coeptum est. ineunte Iulio gymnasium apertum. Habita ea de re oratio, magno discipulorum & nobilium concursu, probationeque. Parietes vario carmine, atque emblemate in laudem viri clarissimi Stephani Frisellae fundatoris conuestiti. Sacrum solemni ritu concentuq. musico postridie celebratum, templum pulcherrime ornatum tanto apparatu, quanto vix antea in hac vrbe. Festam auxit laetitiam pulcherrima protomartyris Stephani imago eleganter, artificioseq. depicta, quam aduehi Roma, & eo die proponi iussit idem munificentissimus Collegij fundator. is nouis semper muneribus curat veterem suam erga nos munificentiam cumulare. Nam ad quindecim aureorum millia, quibus vectigal Collegij fundatur, quinque millia adiecit ad nouum templum extruendum. Felicibus omnino auspicijs Collegium est institutum. Ciuitatis beneuolentia tanta, tanta de Societate existimatio, tanta eius apud omnes auctoritas, vt vix dum nobis huc appulsis, nihil prope, neque publice, neque priuatim geratur, nostris inconsultis. Igitur omnes, qui e Societatis solent ministerijs, fructus eruperunt. Interhaec aduentu suo P. Prouincialis mirifice ciuitatem hanc exhilarauit, exceptus est omnium laetitia. multa constituit

rũt e re diuina. in primis salubre illud assumi iussit institutum, pueri vt ad Christianam doctrinam perdiscendam conuocentur. Quo in munere ipsi scholarum magistri certamen susceperunt. nam vexillo praeeunte, ipsi, campano aere personante, sequebantur aduocantes pueros. Tantam tam secundi rerum cursus felicitatem cumulauit vnus e ciuibus Mamertini Archiepiscopi propinquus, is Societatis amplexus institutum, cum alijs beneficijs, tum quinque aureorum millium adiectione Collegij fundum amplificauit. Sed quia exitu laetiora esse solent initia difficilia, & Diuinae bonitati felicitas accepta referenda est, & suppliciter petendum. vt secundus rerum cursus ad ipsius Maiestatis gloriam, & huius bonum ciuitatis ne interrumpatur.

SEDES CALATANICETANA.

CALATANICETANI magno Collegij desiderio tenentur; interim dum fabrica consurgit, e paucorum hominum consuetudine, quos possunt percipiunt fructus. in sacello pro tempore adornato diuina obeunt mysteria, & diuinae lectionis audiunt interpretem; ac suis in rebus nostrorum & consilio, & opera vtuntur: neque nostri vlla in re suam operam desiderari patiuntur. Ita & suo, & communi totius ciuitatis studio permota Illustrissima Ducissa, vectigal mille aureorum, quos in fundationis stipulatione pollicita erat, se daturam, cum, domicilio toto ad culmen adducto, Collegium incoli coepisset, iam huius biennij priore anno repraesentauit: voluitq. ab anno huius saeculi nonagesimo secundo percipi. quo anno Bibonensem ipsa iniuit Dynastiam. quo magis aedificatio coepit promoueri. & iam posteriore anno bona eius pars ad culmen perducta erat. Ad nostrae fundatricis benignitatem accedit etiam Illustrissimae Principis Paternoae liberalitas,

ralitas, quae ad nos iuuandos cum ad alia multa, tum praecipue ad sacellum ornandum prolixe admodum se porrigit. tantaque est in eo pietate, vt nomen ipsa sibi aeditimae assumpserit. sacram vestem, argenteamque supellectilem candelabris fecit auctiorem. Haec anno priore. Addita est posteriore argentea lampas pretij non contemnendi. Quod si in crepusculo nondum orientis collegij tanta liberalitatis lux effulget, orto iam sole, maiora his initijs, vt spero, respondebunt. Diuinae bonitati laus.

PRO-

PROVINCIA VENETA.

IN recensendo numero eorum, qui hoc biennio in prouincia Veneta versati sunt, sequemur rationem anni posterioris, quoniam prioris anni litterae, & Collegium Placentinum praetermittunt, & non ita accurate locorum singulorum ineunt rationem, vt certus numerus colligatur. Summa tamen septem & trecentorum capitum collecta est, quo in numero centum viginti quinque Sacerdotes recensentur. Posteriore anno e singulorum Collegiorum familijs summam colligo trecentorum quadraginta vnius, Sacerdotum centum triginta quinque. Venetijs in domo professorum fuere triginta sex, e quibus Sacerdotes septemdecim, reliqui non sacerdotes. In Collegio Patauino sexaginta duo, e quibus quindecim sunt Sacerdotes. in Ferrarienſi tres & viginti. in Brixienſi triginta: duo plures in Bononienſi: in Foroliuienſi quindecim: totidem in Placentino. in Mutinenſi duodecim, duodeuiginti in Parmenſi: duo plures in Veronenſi: vigintiquatuor in Mantuano. vnus & quinquaginta in domo probationis Nouellarienſi. his annumerantur Sacerdotes decem cum fratribus tribus, qui e Gallia exacti hic excepti sunt. In Residentia Forocornelienſi, & in insula Creta, huic prouinciae adnexa, bini vtrobique patres, fratresque. E viuis excessere priore anno quatuor, septem posteriore. admissi in Societatem sunt vtroque anno quini deni: decem priore anno ad litteras, posteriore quatuordecim; ad vsus reliqui domesticos.

DOMVS

DOMVS PROFESSA VENETA.

ANNO priore, ob belli Turcici suspicionem Venetijs parata classis erat, omni apparatu bellico instructa. in eam a Trierarcho nostri acciti erant. sed fuit quies Venetis a Turca: vt neque maritimis copijs opus esset; & nostri, licet industria cessarit, prompti animi praemio non frustrarentur. Patricij aliquot adolescentes, nostris Patauinis scholis, & Partheniae Sodalitati assuett, sublatis inde vna cum scholis etiam congregationibus, repetita patria, piarum exercitationum desiderio incensi, contenderunt a Patribus, vt similis Patauinae, Venetijs quoque B. Virgini dicata Sodalitas excitaretur. Pijs optimorum, & benemeritorum adolescentium votis non annuere iniquum visum est. facti voti compotes ita serio pietatis studia colere coeperunt, vt non indigni felicium primiciarum nomine iudicentur. sic prorsus vt, & viros graues rapiant in admirationem; & aequales exemplo virtutum ad imitanda studia alliciant. Hoc felici initio fuit prior annus insignis. Posteriore anno reconciliationes animorum, per nostros procuratae, multorum causſam bonorum attulerunt, & incommodorum auerterunt. Reo homini & latrocinij damnato, qui crimen cum alijs integris communicauerat, ab vno e nostris persuasum, vt, & animi sui saluti, & innocentium incolumitati simul & existimationi consuleret; datisque sua manu litteris ad consilium Decemuirum, veritatem contestatus, insontes periculo exemit. Christianae doctrinae scholae Venetijs octo institutae; in agro Taruisienſi tres; duae in dioecesi Torcellenſi. Et cum multis in rebus Diuinae prouidentiae curam erga nos experti sumus: tum eam praecipue viri patricij declarauit liberalitas. is enim quadringentorum ducatorum eleemosyna multas nobis

difficultates expediuit. Ex ijs,qui hic versati sunt, obijt Dominicus Patinus Coadiutor, annos natus quatuor supra triginta. In Creta insula P. Franciscus Massarellus, domo Perusinus, votorum quatuor professus. puer olim venit ad Societatem, Generali Praeposito P. Iacobo Laine. indeque a primis sui tirocinij temporibus magna cum vitae laude in Societate perpetuo versatus est. Docuit Rhetoricam, Philosophiam, Theologiam, & conscientiae quaestiones explicauit. Rector aliquando, proxime Praefectus Cretensis Missionis, sex annos per multas aerumnas, & incommoda transegerat. nullumque ei fuit incommodum acerbius, quam in Diuina caussa non posse, quantum opus esset propter aduersariorum oppugnationes laborare. Florenti adhuc aetate (sextum enim & quadragesimum agebat annum) quo potissimum tempore e fecunda, & iam corroborata arbore laeti fructus legebantur, vitae cursum abrupit. cuius exitum quasi iam praesagiret animo, multo quam ante attentius coepit de sequutura vita cogitare. Deus O.M. viri maxime pij vota abire irrita passus non est.

COLLEGIVM PATAVINVM.

PATAVII pia nostrarum meditationum exercitatio cum alios multos,& in ijs sacris homines initiatos ad sanctius vitae genus renouauit,tum praeclaræ indolis adolescentem Societati dedit. Nostrorum opera religionis suae desertores tres ad conuentum quisque suum rediere.

Collegij aedificatio egregie promouetur,& iam pérbona eius pars est absoluta. Villa quoque in praedijs exstructa;& pratum receptum, quod multis abhinc annis alienatum erat. Non defuit Patauinorum liberalitas huic Collegio. Est Nicolaus Gallerius vir magnae auctoritatis, Canonicus Patauinus, & Apostolicus Protonota-

notarius; qui olim magni illius Caroli Borromaei Cardinalis, vitae sanctimonia clarissimi, in Mediolanensi Archiepiscopatu magna cum laude Vicarius fuerat. is nobis ducentos aureos, quasi praesagium maioris futurae erga nos benignitatis, eleemosyna donauit. Ciuitas porro vniuersa viros primarios legauit ad Venetum Senatum, qui publico ciuitatis nomine peterēt, vt scholae duntaxat Humanitatis, quas triennio ante subitus turbo disiecerat, nobis restituerentur. accessere etiam Collegij Iurisconsultorum postulata, idem a Duce Reip. flagitantium. Acta de more res est in minore Senatu, quod Collegium vocant. cuius est illa discutere, de quibus ad primarium Senatum referendum est. Introducti aduersarij cum peroraſſent, postulatis tamen assensum est à Senatu, sententiaeq. publicis tabulis perscriptae. sed recenti adhuc vulnere, necdum inuidiae obducta cicatrice, ne quid nostrae causſae praeuaricaretur, vt de ea ad maximum Senatum referretur commodius tempus tantisper dum quorundam odia consenescant, expectandum visum est. Haec priore anno.

Posteriore peregre vtiliter est opera posita. Domi diē suum obiere duo: Bernardus Gallina coadiutor formatus, patria Heluetius, opificio murarius, annos natus sexaginta quinque, triginta quinque in Societate trāsegerat. Hic anno ante obitum, quasi praesagiret, breui sibi esse e vita emigrandum, incolumis adhuc totius vitae repetijt confessionē. ex eo tempore accuratiore studio coepit de sui ipsius victoria, & caducarum rerum expoliatione cogitare. &, vt inde suae migrationis faceret initiū, pia munuscula, quae ad fouendā pietatem priuato cuique solatio esse solēt, omnia distribuit, hydropiq. mensiū duorū extinctus est. Hunc sequutus est Iacobus Barza Brixiēsis, formatus item coadiutor, homo insigni praeditus mansuetudine, & caritate. quod vel ex hoc potest intelligi, quod viginti octo annos, quibus vixit in

Socie-

Societate, fuit semper culinae ministerijs addictus, nulla cum vllius offensione, summa animi alacritate, & omniũ probatione. His duobus tertius adiungi potest vir doctrina, prudẽtia, rerũ vsu, & multa integritatis, ac pietatis laude cõspicuus, in Romana Curia sua dignitate notus, & de Societate benemeritus, quẽ modo nominaui Nicolaus Gallerius, homo annos natus sexaginta quinque, graui morbo implicitus, pro sua vetere erga Societatem obseruantia, enixe cõtendit, vt in Societatẽ cooptaretur. Non debuit tam clari viri, tamq. de Societate meriti tam pia aspernari postulatio. Factus voti cõpos, ex hac in eam, quae est in caelo Societas, emigrauit. Is, antequã id cõsilij susciperet, testamenti tabulas cõdiderat. eo vita functo resignatae tabulae nos haeredes ex asse declararũt. ea haereditas decẽ millibus aureorũ aestimatur. Compar erit hic Drepanitano Mongiardinio. Digna res cur Deo O.M. vtriusque Collegij nomine gratias agamus: tantae esse illi curae hanc vineolam; vt etiã vndecima extrema hora in eam coloni submittantur: vt quod illi minꝰ possũt, vicaria aliorũ opera possit egregie suppleri. Nunc ad ea, quae peregre facta sũt, veniamus.

Autumnalibus ferijs Sacerdotes tres cum singulis comitibus, noui Episcopi rogatu Patauinam dioecesim excurrerunt. Quantam syluam, ac quanti laboris expurgandam susceperint, illud vnum sit argumento: quod multi suorum sacerdotum imperitia perspecta, quod montani essent homines & sui similes agrestes, ac propterea superiorum temporum confessionibus diffisi, totius vitae maculas, facta apud nostros, quos peritos sacerdotes vulgo nominabant, vniuersa confessione, delere voluerunt. accedebat & illud commune omnibus incitamentum. communicatio thesauri coelestis ad tollendas peccatorum poenas nostrorum hominum excursionibus a Romano Pontifice concessa. In valle quadam, seu pago incolis bene frequente, homines ita,

mutuis

mutuis caedibus vltro citroque illatis, sibi erant infensi, vt nihil nisi de vlciscendis iniurijs, necandisque aduersarijs agitarent. alij parentes, alij filios, alij fratres, ac coniuges aliae, propinquosq. ita lugebant, vt non nisi sanguine ac caede aduersariorum illis parentarent. Triennio toto in eo tractu nemo, nisi ferro obierat: & obierant bene multi. Nostrorum opera numine fauente, non solum ad praesens tempus sublatae simultates, & pago reddita pax est; sed actum etiam cum quinque primarijs eius loci viris, quorum auctoritate omnia geruntur, vt in posterum nascentibus inimicitijs occurratur, ne manent latius, & odia quamprimum extinguantur. ita spes est res dehinc quietiores fore. In Monasterio sacrarum virginum, ita dissidia suecreuerant, vt in duas diuisae factiones, octauum iam diem infenso odio dissiderent. Ad nostrorum aduentum de indulgentia admonitae, quam per confessionem consequi fas esset, assensere nonnullae. habitus est ad eas sermo de bono pacis, & concordiae. sermonem sequutae sunt confessiones; quarum decem circiter auditae erant, cum sororum conuentu a Matre Abbatissa conuocato, mmuni omnium consensu simultatem omnes posuerunt, atque ad communem concordiam conspirarunt. Nulla plane fuit, quae non ad consequendam culparum propitiationem, se confessione, & pleraeque vitae totius expiarit. Confessione perpurgatis animis, rursus pio sermone, acdemum sacrosanctae Eucharistiae communione recreatae sacrae virgines, ingenti animo laetitia cõcepta, & sibi gratulabãtur; & Deo immortales gratias agebant, quod e tantis malis coenobium tandé emersisset.

FERRARIENSE COLLEGIVM.

FERRARIAE anno posteriore magno & nostrorum, & ciuium dolore diem suum obijt P. Marcus Anto-

Antonius Mellinus praeclarum virtutum omniũ exemplum, laborum vir patientissimus, & tradendae pueris tum vrbanis tum paganis Christianae doctrinae magister solertissimus. multas eius disciplinae scholas, & ipse instituerat, & institutas opera sua sustinuerat, & cum vicinos pagos, tum dioecesim Ferrariensem vniuersam circumferens doctrinae rudimenta obire solitus erat. nec tamen non assiduam operam audiendis confessionibus praestabat. Tribus & viginti annis ita vixit in hoc Collegio, vt omnibus incitamento esset, & facem praeferret ad virtutem. Assiduis tandem laboribus, ac morbis difficilibus fractum corpus tandem indefessus spiritus destituit.

Scholae hoc posteriore anno fecundae admodum fuerunt. nam cum multos ad Societatis vocationem excitarint, tum quinque praestanti indole adolescentes nobis dedere. In ijs vnus praeclaris naturae muneribus instructus, per aspera, & angusta iter sibi ad nostrum cetum expediuit. Parens enim, adolescentis cognito consilio, verbis minisque & omni asperitatis genere se praeclaris filij conatibus opposuit. Sed neque his difficultatibus, neque Principum virorum precibus a suscepto consilio moueri potuit. Elapsus tandem e patris potestate in locum tutum tantisper se recepit. Admissus pater ad colloquium vsitatis parentum machinis iterum adolescentis animum aggreditur. Quibus ille non modo obstitit inuictus: sed patris etiam ira mitigata, ita ipsius animum emollijt; vt appareret, eum non odio religionis, sed filij desiderio moueri. Filium igitur ad tirocinium abeuntem ad portam vsque ciuitatis perbeneuole est prosequutus.

Germani quatuor adolescentes nostri Sacerdotis opera, Lutheri fallacijs abiectis, veram religionis viam sunt ingressi.

COLLEGIVM BONONIENSE.

BONONIAE Sacerdos Roma missus, reparandae causſa patrij caeli beneficio valetudinis, lenta, assiduaque febri consumptus est, praeclaro pietatis & patientiae exéplo omnibus relicto. hunc conijcio P. Marcum Antonium Bolognetum fuisse, de quo in Collegio Romano facta mentio est. ac propterea fortasse hic reticent Prouinciales litteræ. Duodecim adolescétes partim e Sodalitatibus B. Virginis, partim e reliquo scholarum cetu contulere se alij ad Carthusianos, alij ad Capuccinos, alioſq. ordines. ſuntque adhuc multi, qui tum Societatem nostrã, tum alias cogitant religiones. Ex ijsdem Sodalitatibus hic quoque adolescétes duo vetus impudore tuendo Ioſephi exemplum reuocarunt. Vir primarius alterius religionis, graui morbo vexatus e nostro Collegio sibi delegit confessarium. factaq. totius vitae confessione, omni morbo liberatus est. Non est tacẽda piarum feminarum liberalitas, quae nostri templi parietes, columnaſq. chonchyliato peripetaſmate conuestiere. Alius de Societate multis nominibus optime meritus, cuius nomẽ dignũ perpetua memoria videtur, paucis ante mortẽ diebus, tantũ pecuniæ nobis attribuit, vt inchoatã templi porticũ pficeremus. Haec priore anno.

Posteriore hic quoque haeretici duo cum Ecclesia reconciliati: multique haereticorum libri sublati. E meretricibus, quae se a turpi vita abduxerunt, vna praeter ceteras nota ciuitati, magna cum omniũ admiratione, & sui animi laetitia coenobio se poenitentium inclusit. Virgines nobiles sacris mysterijs in nostro templo assuetae, diuino amore incensae, repugnantibus parentibus se sacro coenobio addixerunt. Est in hoc Collegio Sodalitas, quam perseuerantiũ appellant. haec pietate, numero ita floret, vt multi iam viri primarij in eam se

voluerint adscribi. Est altera quae Doctrinae Christianae nomine indicatur, nempe quod eius tradendae negotium suscipiat: ex ea nonnulli in nosocomijs inopes inuisunt: & cum eis pedes lauerunt, Christiana eos imbuunt doctrina, & ad confessionem peccatorum adhortantur. Nec desiderata est piorum erga nos hoc anno liberalitas: quidam enim collegium aureorum centum, alij quinquaginta scripserunt haeredem. Sed honesta femina praecipue, cuius antea in nos benignitas saepe perspicua fuerat, moriens mille aureos Collegio legauit. Horũ nomina, hominibus ignota, Deo nota sunto.

COLLEGIVM FOROLIVIENSE, & Mutinense.

FOROLIVII praeter vsitata, quae vbique magna sunt, illud ad memoriam accidit insigne: noui in nos humanitas Episcopi, & beneuolẽtiae significatio singularis. Is est Alexander Franciscius e Dominicana familia, iampridem dicendi praestantia ad concionem Italia tota inter primos clarus. Qui cum in rebus omnibus nostra opera vtatur peramanter, tum die anniuersario Assumptionis Virginis sacro nobiscum in Collegio esse voluit; & mensa primum, tum vario poëmate exceptus est. & si pro sua modestia suas pluribus celebrari laudes non est passus. & cum alias saepe, tum praecipue extremis Bacchanalibus diuinum panem & immortali Deo offerre, & pio populo nõ sine illustri concione distribuere voluit. E scholis, & Sodalitate praecipue Parthenia quinque ad religiosorũ familias se cõtulere. Non defuit ad ornatũ templi piorũ liberalitas, neq; ciuiũ pietas ad nostra sacra. Nõ est silentio praetereũda Diuinae Matris bonitas erga nos ne, an erga alios nostræ religionis studiosos? Mulier parturiens, cũ maximis vteri doloribus torqueretur, nostrorũ preces expetijt. nostris igitur

in templo ante Virginis aram ipsius causſa proſtratis, magna partus felicitate vno momento & vitae diſcrimine, & vtero, & doloribus leuata eſt. Accerſiti in opidum vicinum noſtri praeter vtilitatem ingentem, quam vſitatis miniſterijs populo attulerunt, diſcordiam etiam inter ſacras coenobitidas ita compoſuerunt; vt, cum antea mutuis incenſae odijs, diuiſaeque in factiones, nullius opera reconciliari poſſent, prima noſtri Sacerdotis oratione ira poſita, in mutuos omnes concurrerint amplexus, magna totius opidi gratulatione & ſtudio crebri ad ipſos reditus noſtrorum.

MVTINAE maiore quotidie & ciuitatis vniuerſae, & in primis Reuerendiſſimi Antiſtitis vtimur beneuolentia. Nullum paſtor egregius menſem praetermittit, quin in templo noſtro rem diuinam faciat; & diuina ouibus ſibi commiſſis pabula miniſtret. Auctum priore anno eſt tum collegium, tum vrbs vniuerſa pretioſiſſimo theſauro, & inaeſtimabili beneficio Illuſtriſſimi Comitis Nicolai Caeſij. Is nuper ſub Parmenſi Duce in Belgio exercitus Regij Tribunus, ab Archiepiſcopo Colonienſi ob ſua in clariſſimum Antiſtitem merita ſacrum caput vnius ex vndecim millibus Virginum, & alterum e militibus Thebeae Legionis, cum cruribus duobus ex eadem Legione, dato a Romano Pontifice diplomate, impetrauit. eaque cum certo ipſius Archiepiſcopi, & Abbatis eius Monaſterij, vnde ſumpta ſunt, teſtimonio Mutinam in patriam ſuam deportata noſtro templo beneuolus attribuit. Quo die ſacrae reliquiae allatae ſunt ad noſtrum templum transferendae, agmen ab aede primaria proceſſit. Conuenerat Clerus non vrbanus ſolum, ſed vniuerſae etiam dioeceſis, & cum religioſorum familijs ſodalitates laicorum. Incedebat in eadem pompa agmen Virginum ad ſeptuaginta Sodalidatis nuper inſtitutae S. Vrſulae inuocatione, cum cuſtodibus matronis, compoſito ornatu, ordine illo, & modeſtia,

destia,quae tantam deceret religionem. prosequebatur vniuersus populus. viae, vicique, qua transibat agmen, erant eleganter, magnificeque ornatae: templum vero ornatissimum, tum cetero apparatu,tum maxime vario carmine, & emblemate pereleganti, ad admirationem vsque ciuitatis. Illatis in templum,araeque impositis sacris pignoribus, augustissimum sacrificium a Reuerendissimo Antistite solenni cerimonia, concentu musico celebratum est.Missae sacrum latina sequuta oratio est, ab vno e nostris habita, de eius diei religione, de Sanctorum Martyrum, quorum reliquiae eo die celebrabantur, laudibus, & qua ratione ciuitas thesaurum tantum consequuta esset. Idem Antistes de eadem re concionem habuit pomeridianam. Celebrata in triduum religio est. posteroque die pius Antistes bene magnam populi partem eodem in templo caelesti pane recreauit. Nec defuere in tanta gratulatione,& ardore pietatis diuini signa patrocinij, a caelestibus illis animabus impetrati. Honesta & magnae grauitatis femina, quo die sacrae reliquiae transferebantur, graui pressa morbo decumbebat. haec Sanctorum Martyrum ope implorata, repente conualuit. eodemq. die gratulabunda venit ad templum votiuas laudes persolutum.Huc illud quoq; pertinet magna ex parte. Puella e fastigio excelsae domus,subuerso corpore,præceps delapsa in medio casu Beatissimae Virginis, ac S. Vrsulae opē implorauit. nullo paene damno corporis ea illi ruina stetit. quin in magnum vertit bonū animi.nam de tanto grata beneficio Vrsulanis Virginibus se adscribi voluit. Haec prioris anni. Annus sequēs,& in vrbe,&in agro e nostrorū opera fructus nō modicos collegit. illud p̄cipue dignū memoria. Praefectus militū, audita nostri Sacerdotis concione,ita p̄motus est,vt inimicū suum, cui erat infēsissimus,vltro adierit;eumq. lacrymabūdus amplexatus,pacis osculo,&Christiana se cū illo caritate recōciliauerit.

BRIXIENSE, PARMENSE, ET Veronense Collegia.

BRIXIAE bene longum & felicem vitae cursum confecit Philippus Bitius Foroliuiensis Coadiutor, annos natus octoginta quatuor, sui contẽptor egregius, & otij aduersarius acerrimus, patiẽtiae, obedientiae, caritatis, & in Deum pietatis insignibus ornatus. ea fuit corporis temperatione, & pio affectu erga diuinae legis obseruantiam; vt homo tanto natu, communia, stataq. totius anni ieiunia, cõmuni semper victu ad extremum vsque vitae tempus integre seruauerit. Is demum pituitosa, lentaque febri consumptus, cum admirabili animi tranquillitate iucũda in morbo de morte colloquia frequenter haberet. Quadraginta horarum supplicatio, extremis celebrata Bacchanalibus, hoc nouũ habuit priore anno, quod frequentia maiore tum populus tum maxime nobilitas confluxit. Scholarum discipuli, praeter quotidianos cõuentus exercitationesque, etiam diebus festis piarum exercitationum caussa matutino tempore; catechismi vespertino, in suas quique scholas conuenire solent. His ingens aliorum puerorũ numerus se adiungit; qui scholas nostras nondũ frequentarunt. omnes simul & in scholis catechismi pensum reddunt: & in templo intersunt explicationi. De Parthenijs Sodalibus illud memoratu dignũ. Adolescens pueritiae annos praetergressus, in vorticoso ipso periculoso q. ætatis flexu, abiecta bonæ institutionis disciplina, licentioré viam ingressus, virum se factũ ratus, ferro accinctus coepit insolentius lasciuire: nostroque ordini, pro eius licentia aetatis, quasi, vnde emissus esset, claustra perosus succensere. E Parthenijs duo illi familiares, hominé data occasione, adorti, ita cũ illo egerũt; vt, relicto nupero vitae itinere, ad pristina modestiae studia rediret; factaque nostro Sa-

cerdo-

cerdoti vitae totius confessione, spiritualibus quoque se B. P. N. Ignatij meditationibus excolendũ praebuerit. quo in studio ita profecit; vt, nostrae Societatis cõfilio suscepto, non modo eius dilatis votis, in sententia persistat, sed alios etiam ad eandem pietatis secum ineundam viam adhortetur. Hos fructus priore anno Sanctissima Mater e vineola sui collegit Sodalicij.

Fructus eiusdẽ patrocinantis Matris item fuit posteriore anno in multiplici, diuturnoq. morbo ad finem vsque egregij adolescentis tolerantia. Is sodalicij Praefectus, mentis, corporisque candore integerrimo, mira in aegrotos caritate, dura in se austeritate, proq. in Deum, Deiq. parentem affectu, quod a Deo postularat, morbi grauitate, & doloribus corporis vegetum, ac perpurgatum spiritum Deo reddidit. Eius desiderium boni sodales perhonorifici funeris maerore leniuerũt. Laudes immortali Deo, cuius beneficio terrae vndique lectissimos fructus in caelestes oras proferunt. Haeretici quatuor ad sinum S. Ecclesiae Catholicae Sacerdotis nostri opera rediere. idem multis alijs profligatae vitae hominibus, quorum vniuersas confessiones excepit, adiumento fuit. Alius, excursione facta in Bergomatem agrum, tam strenue in animorum salute procuranda incubuit, vt non in vicis tantum, quo adibat; sed in ipsis etiam tabernis ac diuersorijs confessiones, atque interdum de vita vniuersa exciperet. Ad Gymnasium schola accessit hoc posteriore anno de caussis ad conscientiam spectantibus.

PARMAE scholas nostras hoc priore anno primũ coepit nobilitas etiam fraquentare. nam tenuioribus tantum antea complebãtur. Quod ad operam pertinet nostrorum, praeter quotidiana, subuentũ est domicilio mulierum, quae a flagitiosa vita resipiscunt: quod iam paene collapsum erat. recepere sese in illud hoc anno ad viginti, suntque illarum, quae altiorem perfectioris

vitae ſtatum cogitent. aſpiret Diuinum numen, conſtantiamq. praeſtet. Agnoſcenda pij Sacerdotis claro genere orti gratia, beneuolentiaque in nos Deo precibus commendanda, qui moriens trecẽtos aureos Collegio, templo legauit quinquaginta.

VERONAE hoc priore anno templo, quod ſexennio ante aedificari coeptum eſt, tectum impoſitum. Inſumpta in eam aedificationẽ hoc anno aureorum duo millia; & omnia eleemoſyna, vt cetera, collecta. Tantam ciuium benignitatem Deus aliquando compenſabit; fructu maxime, qui ex eius templi cultu colligetur. Vir inter primos nobiles ad ſacellum primarium ornandum trecentos aureos attribuit: totidem, eoque plures ad operis abſolutionem daturus.

Antiſtes cum dioeceſim cognoſcendi cauſa obiret, Sacerdotem noſtrum ſecum circumduxit. is eodem itinere duplici munere functus eſt: & operam ſuam explicandis difficultatibus praeſtitit Antiſtiti; & ſolita noſtrarum Miſſionum munia exercuit, multorum magna cum vtilitate. Alij in alios dioeceſis vicos excurrentes, plenaria indulgentia promulganda, ijſdem miniſterijs populo viam expediuerunt ad ſalutem. Ceterum in vrbe cum rebus alijs a noſtris vtiliter opera poſita: tum ex ijs qui a nobis pietatis rudimentis inſtituuntur, varijs coenobijs ſeſe addixere multi, vnus Societati noſtrae nomen dedit. Non exiguus hic fuit prioris anni fructus.

At poſterior fuit ſuperioribus omnibus feracior. Sex enim nobis dedit. e quibus quatuor e noſtra prodiere inſtitutione. Et quoniam non minus aduerſi exitus, quam ſecundi in hoc genere diuinam noſtri curam proteſtantur: tres alios ad maturitatẽ ſuam cultura quamuis diligens adducere non potuit: quorum duos mundani algoris pruina aduſſit: tertium ante diem ſua manu decerptum caeleſtis ipſe ſibi colonus delegit. Erit operae pretium ſingulorum exempla prodere memoriae.

Fouit

Fouit aliquandiu miser adolescens consilium & studium nostrae Societatis ineundae, sed vt est aetatis inconstantia, vna cum religionis, etiam litterarum studia, & clericalem, quo vtebatur, habitum abiecit; neque ita multo post miser a vita, qua se liberiore fruiturum cogitauerat, ipse deseritur: vtriusque, & quae contempsit, & quae captabat commodis amissis. Alter transactis rebus omnibus factus voti compos, ac tantum non domicilio exceptus erat, cum repente maternis blandicijs emollitus, non tam e studio, quam ab ipso occupando brauio reuocatur. sed miserae parenti haud stabile ex ea victoria fuit gaudium. orba enim breui filium oculorum suorum lumen, aqua intercute extinctum amisit. Feliciorem tertius exitum sortitus est, hic ipso sesqui anno graui pressus morbo, multis patientiae ac probitatis signis editis, consumptus est. Quam grata conditori suo ea fuerit oblatio, funeris apparatus declarauit; quod condiscipuli pie pariter, ac liberaliter cohonestarunt: pegmate multa cum face in templo excitato, lugubri adhibita symphonia, vario carmine explicato, multis ad expiandum animum curatis sacrificijs, & funebri quoque addita laudatione. Nec defuere alia diuina monita, quae nostram incolumitatem Deo curae esse declararunt. Vir e praecipua nobilitate, multa de nobis obloquutus incommode, resipuit; veniaque petita, eidem, de quo omnium grauissime loquutus erat, Sacerdoti peccata sua poenitentiae sacramento detexit. Alius intemperantia eadem vsus, graui excepto vulnere in nostrum templum se recepit. P. Rectorem accersit: ei suarum culparum confessionem instituit: sed cruore abunde e vulnere manante, ad eum sistendum in Collegium deductus omni humanitatis genere fouetur, ipse viris nobilibus permultis audientibus multa & grauia de nobis male mentitum esse professus est. Intermissa hoc posteriore anno ob aeris alieni magnitudi-

nem templi aedificatione, vnus ad eam ducentos, trecentos alter numos aureos attribuit.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

IN Collegio Placentino quo magis noui domicilij aedificatio promouetur, eo magis vetus habitatio coarctatur, veteres aedes nouo aedificio subinde occupante. quae res numeri minuendi necessitatē attulit, domus angustijs pluribus locum non praebentibus. sed tamen ad modicam laxitatē, domus nostris aedibus coniuncta priore anno empta continuataque est, Leolazari Halleri Praefecti arcis maxime ope, beneficioque. Is enim mira beneuolentia, & obseruantia erga nos, quod saepe multis in rebus declarauit, cum inaudisset, nos ad eam emendā bene magna pecunia egere, neque mutuā ab amicis reperire facile; vltro pretiosas, quas habuit gēmas oppignerauit; pecuniamq. quanta nobis opus esset, confecit, eamq. nobis nec postulātibus, nec opinantibus mutuā dedit. Vir sane de nobis optime meritus, & omni beneficētiae laude cumulatus. quippe qui & vltro dat: & libenter dat: & nec sine incommodo. Neque ipse modo suis eleemosynis fabricā sustentat, sed alios quoq. ad eandem liberalitatē adhortatur. vt nō quae ipse solā, sed & quae alij cōferunt, illi magna ex parte debeātur. itaque illius opera maxime aedificatio strenue vrgetur. Accessit ad eam rem etiā a Sereniſſimo Duce pecunia nō parua: vt prope quarta iam Collegij pars cōfecta sit.

Scholae non exiguum fructum tulere hoc priore anno, cum domos illustrium familiarū, atque adeo ciuitatē omnem iuuentute cōpleuerimus, pudoris, modestiae, ac pietatis laude florentissima. Sed Sodalitas inprimis B. Virgini dicata primas laudes tulit. in ea magnus primae nobilitatis adolescentium numerus ita feruent studio pietatis, vt perfectioris vitae in Societate nostra consi-

lium

lium susceperint. Duo iam sunt facti voti compotes: tres ad alia coenobia profecti: alios a votis cõsequendis retardat aetatis immaturitas. dilatione interim votorum, concepti diuini flamma ignis ardescit magis. Eorum vnus exemplorum lectione ita castitatis amore succensus est, vt in ipso sodalium conuentu, vbi ea legebantur, perpetuam Deo castitatem vouerit. Alius conceptam tantisper flammam intra animi penetralia conclusit; donec domum rediens, in sui cubiculi secreto, magno animi sensu, multis cum lacrymis virginitatem suam voto obstrictus Deo consecrauit. felix germen, & pretiosissimi odoris fructu iucundissimum; caelesti vtique aspiratione dignum ad tempestatum ardorem, & hyemis asperitates superandas. Tertius & difficili omnino, & lubrico ad lapsum certamine integer euasit. ingressam ad se mulierem dum suis intentus studijs solus moratur, precibusq. ac blandicijs ipsius emollire animum tentantem, generoso & constanti animo eiecit. Alius famulum lupanar cogitantem precibus, minis, religione, alijsque machinis adhibitis non modo a concepto scelere amouit, sed magnam etiam noctis partem in templo secum habuit.

DOMVS PROBATIONIS Nouellarienſis.

NOVELLARIAE nouæ domus fabrica Illustrissimi Comitis liberalitate crescit in dies, ea specie & laxitate, vt vel celebri vrbe sit dignissima, & ad inhabitãtium valetudinẽ accõmodata. Comitis liberalitatẽ fratris vxor imitata B. Virginis tabulam, effigie ab Aesquilina, quae Romæ est, desumpta, huic domui a R. P. N. Generali missam, ornandã suscepit: eique in nostro templo, aram ferreis clatris munitã, erigendam curauit. sacerdotalia quoque adiecit indumenta, cum toto aræ ornatu con-

contendentia: eadem, neceſſaria peregrinatione ſuſcepta, filium huius ditionis hæredē deſignatum P. Rectori cuſtodiae reliquit. Eares adoleſcenti longe quam ante Societatem magis & diligendi, & venerandi cauſſa fuit. ſpem praebet non exiguam magnae futurae in nos beneuolentiae. Nec deeſt noſtrorum opera de more iuuandis proximorum animis. Pertinet hoc opidum ad dioeceſim Rhegienſem. eam cum Epiſcopus obiret, huc veniens magna in nos beneuolentiae ſigna praeſe tulit. Gymnaſium inuiſit. ſalutatus eſt oratione & ſoluta, & adſtricta numeris. noſtrum Sacerdotem impetrauit, qui ſemel duntaxat in ipſa vrbe Rhegio haberet concionem. auditus eſt totius ciuitatis voluptate: magnum tum Epiſcopo, tum ciuitati reliquit Societatis deſiderium. Excurſum eſt a noſtris per occaſionem promulgandi Iubilaei noſtrorum miſſionibus conceſſi, in vicos circa poſitos: & ex vſitatis miniſterijs vſitatae vtilitates reportatae.

Et vt aliquid de nouicijs dicamus, in duorum vocatione vellem poſſe plus lucis afferre: ſed rem cogor ijſdem vmbris inuolutam reddere, quibus accepi. Duo potiſſimum, illuſtrium & potentium parentum minis, ac blandicijs mira conſtantia, & parentum ipſorum laetitia ſuperatis, quaſi per ignem & aquam ad vexillum crucis euolarunt. Hoc breui fuſioris hiſtoriae indice excitare potuimus, ſitim vero cognitionis extinguere non potuimus. Patrem alius compellauit, ſibi vt liceret bona eius venia ad Societatem venire. is quamuis prolem aliam neque haberet, neque ſperaret, tanta tamen fuit animi aequitate, & pietate, vt diuinam cauſſam longe ſuis conſilijs anteponeret: filiumq. quem vnicum habuit, Abrahami oblationē imitatus, ipſe magna adoleſcentis, & noſtrorū omnium laetitia ad nos deduxerit.

Poſterior annus inſignis fuit hic morte Illuſtriſſimi Comitis Camilli Gonzagae, huius domus fundatoris,

cuius

cuius exitus nec dissimilis fuit morti Alphonsi fratris, sexennio ante vita functi; & vitae ab eo pie, sancteque traductae simillimus. tot enim, tamque illustria signa dedit fortitudinis, patientiae, pietatis, humilitatis, virtutumque aliarum, vt epistolae modum excedere sit necesse, cuncta si recensеantur. Iam primum ingraueſcente morbo, magno animi sensu, & lacrymis vitae totius confessionem repetijt. Ex eo tempore totum se cum Deo colligens, in acta recognoscenda aetate, & Diuina misericordia imploranda defixus, id quod fuit vitae reliquum transegit: sed inprimis humili de seipso, deque suis meritis extremo illo tempore sensu afficiebatur: vt se indignum caelo, indignum diuina misericordia iudicaret. ab eodem sensu etiam factum, vt a familiaribus, vassallis, ac famulis, si qua in re eos vnquam offenderit, veniam peteret: nostros vero pie, ac reuerenter amplecteretur. multa alia praeclara suae erga nos beneuolentiae signa dederit. Morti proximus P. Rectori narrauit daemonem ementito habitu sibi ad pedes adstitisse, suam in Deum fidem labefacturum: sed a se, Apostolico symbolo pronunciato, fugatum. Domui huic latifundium reliquit. argenteas cistulas tres, (ita est in litteris prouinciae) aureorum octoginta: aurea aulea, peristromataque alia ornando templo; & legata quaedam alia minora, partim bibliothecae instruendae, partim alijs huius prouinciae collegijs dispertienda: & vt Sacerdotes decem, quos Gallia pulsos huc accersendos curauit, in sexennii alerentur constituit. Cautum etiam quantum humana prouidentia potuit, perpetuae huius domus incolumitati voluit. Nam, si quando aedes corruerent, suos haeredes restituere testamento iussit. Ac si quo casu, quaue iniuria nostri hinc extruderentur, Mediolanensi Archiepiscopo negotium dedit nostrum ius persequendi, nosque ab omni iniuria integros praestandi. eiusque rei caussa quadringentenos aureos ad

aliquot

aliquot annos legauit. Qui tam sollicitus de nostra incolumitate, suorumque popularium salute, & ornamentis decessit, consentaneum est, tot religiosorum virorum animas, quae illius vsae olim beneficio iam Deo fruuntur, aliorumq. qui huius domus ope aeternam salutem sunt adepti, de tam munifici, ac benemeriti patroni esse sollicitas.

Obijt quoq. Rhegij Lepidi Illustrissimus Comes Carolus Rhegiensis. is nostri ordinis amantissimus, & Collegij in ea vrbe fundandi studiosissimus, moriens duo ducatorum millia, si quando fundetur in ea vrbe Collegium, nobis assignanda reliquit. certam praeterea pecuniam quotannis ad mensarios pietatis deponi mãdauit. & quaedam alia non parui momenti iura legauit: quae omnia nobis reddantur, cum eo commigremus. Duo nostri Sacerdotes ei morieti plures noctes (nam longo & laborioso certamine, forti tamen patientia, & pietate perfunctus est) vigilando adfuerunt. Domi praeterea ex hac vita emigrauit Dauid Bireta formatus coadiutor e Monte Regali Subalpinorum. annum agebat septimũ & quinquagesimum. pharmacopola inprimis probatus, cuius peritiam cum caritate iunctam tum domestici, tum externi saepius experti senserunt. rustici praesertim, qui dum ab eo corporibus medicinam exquirunt praecepta quoque ad animi reparandam, aut retinendam valetudinem hauserunt. Hic vbi summum diem adesse sensit, generali confessione, ac votorum repetitione se ad extremum illum agonem comparauit, totumque se in diuinae misericordiae, ac Sanctissimae Matris tutelam coniecit, ab ipsius adspectu Virginis, quam viuens pie, sancteque coluerat, oculos nunquam deiecit: ab illius inuocatione quandiu potuit, non destitit: & cum illum vox defecit, digitum ad eam intendebat. Patres fratresque singulos peramanter complexus, summa tranquillitate emigrauit. Ac licuit tum di-

uinam

uinam erga nos benignitatem animaduertere. nam tali ac tam diligente suae artis ministro destitutis, vix hora tertia ab huius sepultura elapsa, nobis e Gallia a suo Prouinciali missus, eiusdem bene peritus artis, frater alter superuenit, ita Diuina bonitas, pro sua clementia, nostra damna reparauit.

MANTVANVM COLLEGIVM.

MANTVAE diem suum obiere anno priore Sacerdos cum fratre vterque solidis virtutibus instructus, & operi apprime deditus. speramus vna cũ animabus, ipsorũ quoque nomina esse Deo cognita. Posteriore anno P. Benedictus Taborotius, vnus prope dicere possumus, e Galliae cõfessoribus, qui dignus habitus est in Christi caussa tam acerbam calamitatẽ subire, e sua prouincia potentiũ iniuria eiectus. Patria fuit Burgũdio, Philosophiã docuerat: annũ agebat circiter tricesimũ. in morbo difficili, ac diuturno, in ipsoque mortis certamine patiẽtiae, obediẽtiae, aliarumq. virtutũ praeclara documenta dedit. Templi aedificatio eo iam perducta est, breui vt speremus absolutũ iri. Ceterum ferax operis fuit hic prior annus Mãturnis nostris. Nam, vt omittam excursiones agrorum rusticae plebi iuuandae, & plenae culparum propitiationi communicandae, in ipsa vrbe Christianae doctrinae institutum explicandae belle procedit, & meliores in dies processus videtur habiturum; oratorio ijs, qui eo munere funguntur excitato; & multis patriciorum primoribus negotium studiose promouentibus. Quadraginta horarum supplicatio triduo ante cineralia vt hic commemoretur, facit rei nobilitas. Apparatus fuit rei maiestate dignus, symphonia muficorum, quae deceret apparatum. sed habuit inprimis admirationem nobilium, ac primariorum virorum frequentia maxima, quibus Sereniſſimi

Duces

Duces exemplo pietatis praelucebant. inprimis vero Sereniſſima Heleonora Auſtriaca Sereniſſimi Ducis parens. Quae quaſi diuinaret breuem ſibi fore earum religionum vſuram, vix vnquam ab altari recedebat; cum populo iam in Bacchanalium laſciuiam ſoluto, ibi ſuos ipſa ludos, ibi ſua oblectamenta eſſe diceret. Felix animi femina, & pietatis ſenſu prudentiſſima. Addidit etiam ſplendorem Illuſtriſſimus Antiſtes; qui ſemel & iterum rem ſua praeſentia illuſtrauit; tertioque die ſub noctem ſacroſanctam praeferens Euchariſtiam pontificali ritu populo benedixit. Quod vero attinet ad noſtrorum operam, quae communia ſunt, & vbique magni fructus, hic quoque ſtrenue praeſtita ſunt. Sed in male quaeſitorum redhibitione illud fuit inſigne: cum vno tempore ab vno duo aureorum millia legitimis dominis reſtituta ſunt. Adoleſcétulae praeterea aliquot ex imminente pudoris naufragio, in tutum & honeſtum portum receptae. Illuſtre diuinae miſerationis effectum in homine Iudaeo, & ſeptuagenario perſpectum eſt. hic ſaepius a noſtro Sacerdote ad intuendam lucem Euangelij inuitatus reſtitit ſemper dura pertinacia. graui tandem preſſus morbo, diuina ſancti Spiritus luce illuſtratur. quare per ſpeciem certi negotij Sacerdotem noſtrum ad ſe accerſitum docet, in animo ſibi eſſe in Chriſtiana religione mori. Sacerdos Epiſcopi & Auſtriacae matris ope aegrotum ſenem in locum tutum deportandum, ibique catechiſmo inſtructum ſacro Baptiſmate curat abluendum. Renatus in Chriſto, verae fidei, ac patientiae in morbo multis datis documentis, venit ad extrema; itaque eum anima defecit, vt iam pro mortuo haberetur. poſt aliquantum reſipiſcens, diductis palpebris, erecto capite, facie, quaſi caelum ſibi aperiri cerneret, hilarata, recens purgatum ſpiritum Deo, quem modo noſſe coeperat, reddidit. Profuit tam feliciter obita mors, & ad laetitiam filiarum,

quae

quae dudum baptizatae erant; & ad pellendas ex animo tenebras trium aliorum, qui Iudaismo relicto, ad baptismum postea sunt instituti.

Claudetur laetitia luctu ex sanctissimae feminae nostrae fundatricis, & parentis optimae, Heleonorae Austriacae, Mantuani Ducis matris obitu, consentaneo vitae pie, sanctissimeque actae. Ea cum per aestiuos calores in morbum incidisset, nihil prius habuit, quam vt animum confessionis, atque Eucharistiae sacramentis ad exitum vitae compararet. Inde tota in Deum coniecta, nihil nisi cum Deo, de Deo, deque diuinis rebus & cogitabat, & loquebatur. Serenissimis Ducibus filio, & nurui cum alia multa, tum maxime Collegium nostrum commendauit. sensibus adhuc integris, extremo se vnctionis sacramento ad vltimum certamen confirmari voluit. quod postremum vitae subsidium, magna ipsius laetitia, ab Illustrissimo Antistite administratum est. Ita multis sanctimoniae, ac tranquilli animi, cum Deoq. coniuncti datis signis, mense Augusto ineunte corporis ergastulo eius spiritus emissus est, quem corpore abeuntem vsitatis Ecclesiae precationibus Episcopus cum aliquot Canonicis, Capuccinis, nostrisque Sacerdotibus prosequuti sunt. Aderat Serenissimus Dux cum coniuge, & ex aulica familia nobilissimus quisque. Corpus e villa, vbi decubuerat, de secunda vigilia in vrbem deportatum, comitantibus, suo quibusque ordine, clericis religiosis, & ex nobilitate magno numero cum funalibus, & funebri psalmodia. Ad vrbis portam a Reuerendissimo Praesule, & clero S. Barnabae, quod est proprium Ducum templum, excipitur: eodemque in templo depositum biduo ad popularium solamen insepultum iacuit. Quo tempore quantum apud omnes omnium ordinum homines sui desiderium reliquerit, plane intellectum est. cum nobilitatis praesidium, perfugium inopum, bonorum omnium, non ciuium modo,

sed quotquot in Mantuani Ducis ditione sunt, cõmunis & patrona, & parens, omnium sermone diceretur. Biduo exacto e S. Barnabae in nostri Collegij templum eodem ordine & pompa noctu item transiatum est ad sepulturam. id enim ipsa mandauerat. Postridie maximo apparatu celebratus dies est depositionis, sacris operante solenni ceremonia Episcopo, Sereniſſimo praesente. Die demũ ab obitu trigesimo in amplissimo templo, regio plane apparatu per biduum a Sereniſſimo filio iusta tricenaria persoluta a P. Antonio Possevino, qué ipse Dux ea de caussa Patauio celeriter accersendum curauerat, laudata publice est. femina rariſſimis omnino laudibus, & praestantiſſimis titulis cumulata. Quae nobiliſſimi Ducis conjux; maximorum Ducum, Archiducum soror, mater, socrus, potentiſſimorum Regum, & Imperatorum filia, sobrina, amita, in tanta titulorum gloria ita Christianam mansuetudinem, modestiamque coluit; vt, cum dignitate summis excelleret, comitate, Christianaq. humilitate par infimis esse videretur. gentisque Austriacae religionem, & gloriam, suis ipsa virtutibus augens, clariſſimarum, sanctiſſimarumque feminarum vetera exempla nostra aetate renouauit. Nostrum certe collegium patrona, ac parente optima orbatum est. Nam, praeter fundationem, egregiamq. eius in nos munificentiam; & subsidia quotidiana, moriens etiam sacram vestem, pretiosamque nobis legauit supellectilem. Adiecit etiam fundum suburbanum, & ad animi remissionem, & ad fructum opportunũ, cum omnibus, quae adhuc habuerat immunitatibus. quae omnia Sereniſſimus Dux, pro egregia sua voluntate erga nos, altero a matris optimae sepultura die nobis iussit attribui.

Iustis tam meritae matri persolutis, Dux ipse prouinciam suae ditionis Montem feracem, (Monferratum vulgo nominant) inspicere constituit. Placuit id negotium

tium Sereniſſimae Heleonorae Medicae coniugi dare: & cum ea, ad populos ſalutari doctrina imbuendos, P. Antonium Poſſeuinum proficiſci. Pertinet enim ea Prouincia ad Subalpinos: & commercio finitimarum gentium metus erat, nequa religioni labes, ex prauis Galliae dogmatibus, ſe infudiſſet. de qua profectione paullo poſt dicetur.

Hae variae ſecundarum rerum, aduerſarumq. temperatione Mãtuae nonageſimus quartus annus praeterijt. Nonageſimo quinto, templo facta eſt acceſſio, argéteis lipſanothecis duabus, & ſacra veſte benignitate Sereniſſimi, & Gymnaſio ſchola Logicae adiecta. Ac, praeter vſitatos operae quotidianae fructus, puellae duae praeſenti pudicitiae periculo ſubtractae; & dote illis piorum beneficentia contracta, coenobio ſacratae. Obiti quaeque magno cum fructu excurſione agri Mantuani vici.

P. ANTONII POSSEVINI EXcurſio in Monferratenſem ditionem.

SED vt ad Monferratenſem expeditionem nonageſimo quarto anno ſuſceptam redeamus, Pater ipſe Poſſeuinus de ea volumé dedit ad R. P. N. Generalem; e quo multa operae pretium viſum eſt excerpere; & ea, quamuis in maiorem contracta breuitatem, accurate tamen explicare; vt noui milites, qui in hoc genus militiae proficiſcuntur, ſtrenui veterani, in quod intueantur, habeant exemplum. Profectione igitur Sereniſſimae Ducis, de qua modo diximus, adornata, antequam proficiſcerentur, monuit Pater Sereniſſimum, eſſe multum e re Chriſtiana, prodeſſeque ad continendos in religione populos, ſi piorum librorum copia diſſeminetur; qui varij variorum ordinum hominibus, pro ſuo cuique captu, gratuiti, ac Sereniſſimi Prin-

cipis nomine distribuantur. maiore gratia id genus rerum excipi,& legi libentius, attentiusque cum a maximis Principibus dono dantur. hac arte nuper vsum esse magnae memoriae Stephanum Battoreum, Poloniae Regem, hac nunc vti Guilielmum Bauariae Ducem; hac eadem vsum esse Ferdinandum Austriacum Caesarem. Probauit consilium Sereniſſimus: librique id genus magno numero coëmpti. Erant autem distribuendi libri Sacerdotibus,Religiosis,Ludimagistris, Scholaribus,militibus, & multitudini ceterae; tum alij in Ecclesijs relinquendi; vt a clericis rudi populo diebus festis legerentur. vtile sane commentum, & aduersus irrepentes haereses,aliaque diaboli machinamenta praesidium valde oportunum. Libri autem fuere Catechismus Canisij: Ducatus peccatorum, alijque id genus libri Dominicani Granatensis. liber de milite Christiano, libelli alij de doctrina recte confitendi, deque studio, & ratione Deo supplicandi: alijque compacti eleganter, qui praemiorum loco Christiana praecepta omnium optime discentibus pueris darentur: etiam libri alij maioris, & corporis & impensae: vt Platus de bono status religiosi: qui in monasterijs relinquerentur.

Hoc instrumẽto comparato Sereniſſimam Duciſſam in prouinciam Monferratum cum imperio proficiscentem Pater prosequutus est. Per autumnum aut extrema aestate iter facere coeperunt. Sunt in ea ditione tres Episcopatus, arces passim tota regione dispersae trecentae sexaginta; munitae omnes, & praesidiario milite firmatae. opida alia perampla,& frequentia; vicique magno numero. Horum praecipua fuere adeunda: Casale primum ventum est, primariam illius ditionis ciuitatem. Hic biduum Sacerdos sibi sumpsit, ad se colligendum; totumque suae profectionis negotium cum Deo dirigendum. Interim, quae sibi agenda intelligeret, retulit in commentarium; egitque de ijs cum Sere-

niſſima

nissima; vt illius auspicijs res validius promoueretur. Illa omnia probante, opida insigniora placuit adire prius, quam opportuna ad itinera tempestas laberetur. Casali igitur ad opidum S. Saluatorem duodecim passuum millibus venere. Hic statim, quae vbique solennia fuere, administrari coepta. Concione aduocata indicebatur Pontificia vniuersarum noxarum expiatio, nostrorum peregrinationibus indulta. Sacerdotes confessiones excepturi (nam ab vno omnes in populis frequentibus non poterant audiri) opportunis praeceptis muniebantur, idem vt omnes saperent, idem vt omnes dicerent. Litterae quibus ratio continebatur confitendi, ceteraque rite obeundi, quae ad culparum propiciationem consequendam pertinerent, publicis locis affigebantur. Libri pij, pro cuiusque captu distribuebantur, tum operi expiationis animorum manus admouebantur. Ludimagistri & libellis Canisiani catechismi, & alijs praemiolis ad discipulorum acuendam diligentiam, sed maxime optimis praeceptis instruebantur: vt vna cum litteris Christianam pietatem teneris mentibus infunderent. Sicubi magistri non essent, aut minus idonei esse viderentur, dabatur opera, vt idonei accerserentur. Vbi Christianae doctrinae scholae non erant, instituebantur, tum puerorum, tum etiam puellarum. Haec communiter vbique, quocunque ventum est. In opido S. Saluatore ab Archipresbitero vno, & vno Parocho quatuor animorum millia regebantur. ac si quando in agrum, vbi ad quingentos numerantur, ad aegrotos exeundum foret, magnum diuini cultus detrimentum fieri in opido necesse erat. Actum cum Ducibus, vt ab Episcopo, & Romano Pontifice Sacerdotia nonnulla sine cura ad cathedralem Ecclesiam adiungerentur, e quorum redditibus sex alerentur Sacerdotes. Aditum inde opidum aliud Lumum. in eo, praeter ceteram multitudinem, quadringentae nobiles familiae censentur: in-

deque superioribus annis Cardinalis Bobba prodierat. Lumo Moncaluum discessum est. fuit ex itinere Fubinis cibi sumendi caussa subsistendum: opido bis mille quingentorum circiter animorum. Pater diuinum sibi negotium prādio praeteruertendū esse existimauit: & vt tam arctis potuit temporum angustijs, de statu rerum spiritualium sciscitatus comperit mille, & ducentos esse in opido, qui per aetatē maturi iam sint Eucharistiae percipiendae; neque esse, qui serio tot animorum curā idoneam suscipiat; neque in Ecclesia vllam Christianae doctrinae exercitationem, neque in schola permitti Canisianum catechismum explicari. Confirmatus nihilominus ludimagister (nam bona mens homini non deerat: sed aliunde vlcus intumuerat) eique tum Latini Canisiani catechismi in discipulorum vsum, tum alij pij codices dono dati. Praepositio Ecclesiae librorum quidem aliquid est datum: sed ad hominem commouendum visum est validiorem esse machinam adhibendam. Curatum est igitur, vt Ducissae nomine per primarium eius consiliarium moneretur, vt Christianae doctrinae negotium toto pectore susciperet, alioqui futurum, vt a Pontifice Maximo Sacerdotio submoueretur: dataque est opera, vt a Serenissimo ea de re ad Episcopum litterae darentur; qui faces negotio toti admoueret. Hoc prandio refectus Pater Moncaluum noctu venit. Trinum inde itum est, opidum secundum eius tractus ciuitates primarium ter mille & quingenti in eo opido sacram eo anno Eucharistiam perceperant. Erant religiosarum familiarum coenobia quatuor: duo sanctimonialium: tribus in templis doctrina Christiana tradebatur. id negotium matronae nobiles strenue susceperant; quod Heleonoram Austriacam Mantuae ei muneri praeesse cognouerant. Sed quod ea demortua, sensim eius rei studium remitteret. Pater ea de re concionem habuit; deque vtilitate bene educandae pueritiae,

deque

deque periculis a vicina haeresi multa disputauit. & commodum eo die stata catechisticarum scholarum supplicatio habenda erat, ita visus est rem inclinantem subleuare. Interim quod antea non obseruarat veterem iam in opido consuetudinem circa sacrosanctae Eucharistiae cultum animaduertit, dignam sane quae cognitioni detur ad exemplum. Trini fuit ante annos quadraginta Baptista Pergamus, vir pius & locuples, nullo haerede. is moriens totius suae pecuniae Christum Iesum fecit haeredem. nam, praeter cetera pia legata, etiam illud instituit; vt quoties sacrosancta Eucharistia ad aegrotos deferretur; quo maiore cultu, dignitateque tanta res perageretur, tredecim hominibus, qui adessent, albis facibus praeferendis, ex sua haereditate certus pecuniae numerus erogaretur. facibus quoque coëmendis idem legauit in sumptum. homines porro quos adesse oporteret, ex certa sodalitate essent, quae tutela gaudet Angelorum. hi talari linteo candido induti, sodalitatum more, IESV nomen & ante, & pone decenter habent inscriptum. Cum deferenda sacrosancta Eucharistia est, ad sacri aeris signum conueniunt sodales. Praecedit cum tintinabulo puer vnus, sequitur alter Crucifixi signum praeferens apud aegrotũ relinquendum. tertius succedit puer cum corporali, & aqua benedicta, & aspergillo. inde pueri duo cereis cum luminaribus vitro inclusis, hastis sublatis. post hos agmen incedit sodalium duodecim, qui bini cum facibus procedunt. claudit hoc agmen decimustertius, veste magis quam ceteri conspicuus, & face maiore ipsam vmbellam antecedit, sub qua it Sacerdos. hanc quatuor sodalitatis alterius quae Christi corpori dicata est, fratres gestant item cum facibus. omniũ postremi Sodales duo cum funalibus item accensis, ex disciplinantium sodalitate agmen totum claudunt. his comitatur cetera vtriusque sexus multitudo, suas quique incensas facula-

manu tenentes. Et hoc eodē apparatu, cultuq. vtuntur etiam si saepius in die fit prodeundū. Magna praeterea religione, venerationeq. tam augustū sacramentū prosequuntur omnes. Mensibus singulis certo die, Quadragesima quotidie illud proponunt populo adorandū: neque ante secundā exactam noctis horam templi valuae clauduntur; vt ab agresti opere redeuntibus ad adorandū sit accessus: neque ante mane exeunt ad opus, quā ad sacram accesserint adorationem. Huius religionis tutela factū putatur; vt cum superioribus annis tota Monferratensis ditio hostilibus excursionibus vastaretur, Trinum solum steterit intactū; Ducissa interim ob coeli asperitatem Casale redeunte. Pater Locediū concessit. Est haec Cistercienſiū Abbatia, quae priscis tēporibus ab insigni religione locus Dei dicebatur: post sensim corrupto vocabulo factū est Locedium. Viginti quatuor ibi degunt monachi, Priore vno, cum Abbatis nomen Mantuanus sustineat Episcopus; idemq. cōmendatarius; eamque per Vicariū regit, virum doctū ex Dominicana familia. Patris aduentū & Vicarius, & Monachi iam ante expetierant. Quinque ad eos habuit hortationes, Iubilaeum ijs promulgauit; eosq. primae hebdomadae spiritalibus exercitationibus erudijt. Totius rei fructus ille fuit: vt omnes nostro Sacerdoti confessionē, & nōnulli vitae totius, in ijsq. Vicarius ipse, explicarint. Prior ante omnes lectum suū ac cubiculū totū tradidit reformandū, atque ad moderatā castigatamq. Societatis consuetudinē redigendum. id ipsum monachi reliqui imitati, Patrem ad suum quisque cubiculū lustrandū, libros inspiciendos; & si quid esset, quod minus deceret, detrahendū inuitarūt. Plati liber de bono Religionis illis datus; quē quotidie in capitulo legere constituerūt. Inde Casale ad Ducissā se recepit, ibi illa eadē, quae locis alijs administrata, indictumq. Iubilaeū. Erant p eos dies in vrbe histriones, illecebra admodum periculosa auertendis animis a religione.

gione. Quieuere tamẽ tantiſper dum ſe ciuitas Iubilaeo expiauit. Vltimo eius religionis die, quo ciues coeleſti epulo paſti erant, is fuit dies Sanctorũ omnium cõmemorationi ſacer, in noctem, quaſi altare cõtra altare inſignem comoediã parauerant: his ſcilicet ſacrificijs cõmuni defunctorum expiationi parentari conſtituerant. Id vbi reſcitum eſt, data eſt opera, vt ea abominatio tolleretur; comoedia prohibita: eiecti ex vrbe ludiones alio ſibi victum quaeſitum exularunt. Iubilaeo expedito, multiſque Caſali e re diuina tranſactis, quae breuitatis cauſſa omittuntur, adulta iam hyeme, cõmeatu a Sereniſſima accepto, ad eam Monferrati partem obeundã, quae ad Albenſem pertinet Epiſcopatum, ſe conuertit. Comitem cum ipſo Sereniſſima Albẽſis Eccleſiae Praepoſitũ ire iuſſit. fuitq. ad diuinam gloriam ea res peropportuna. Nam Praepoſitus eo in itinere, obſeruatis Patris inſtitutis, monitiſq. quae vbique parochis, ludimagiſtris, alijſque aliorũ ordinum hominibus ſubinde dabat, illa eadem hauſta, etiã poſt diſceſſum Patris in ſua ipſe Eccleſia retinuit. Aſta, opidiſq. multis, multo cũ fructu obitis. Albam Pompeiam venit, ab Epiſcopo euocatus quod dioeceſana ſynodus habenda eſſet, optaretq. Epiſcopus eũ intereſſe, & eſt ea prouincia ampliſſima, nonaginta continet animarũ millia; partimq. ad Mantuanam, & Subaudenſem ditionẽ pertinet; partim ad Inſubres, & Ligures fines extendit. Inter hunc apparatum vſitatae in vrbe expiationes, & ſolita Miſſionum obita munia. Conuenere ad diem ex ampla, & late patente dioeceſi cum quinquaginta ſacerdotibus alijs centũ Parochi. omnes a noſtro Sacerdote optimis libris, & opportunis praeceptis inſtructi. Epiſcopo cõuentu illo toto noſter fuit a conſilijs: ſaepius ad ſynodum vniuerſam concionẽ habuit. Tum Epiſcopus ipſe, antequã canones, quos compoſuerat, proferret, cũ ipſo contulit: quod ille ſua ſententia probauit, id ratum eſſe voluit. Re Albenſi

obita.

obita. Reditum demum Casale, quo iam nouus Episcopus aduenerat. Is Patris praesentia, laetatus, illius consilio, & opera vti decreuit. & iam ante suum ex vrbe aduentum ad Patrem ea de re litteras dederat. Pater quatuor esse praecipue admonuit, quibus maxime Christiana res promoueatur; scholas puerorum, clericorum seminaria, parochos, & confessarios idoneos. Quae maxime probauit Antistes, & de singulis multis sessionibus actum accuratius. Et cum alijs multis tum tribus maxime de rebus Patrem in consilium adhibuit. Quid in enrationibus aegrotorum ad animi salutem medicos sequi oporteret Ea de re librum a se iam ante editum legendum dedit. Tum quibus maxime praeceptis Sacerdotes a cõfessionibus instruendi essent; vt cum poenitentibus idem omnes ad animorum salutem & sentirent, & loquerentur. In quibus illud praecipue suasit, vt concioni assidue interessent; ne ab ea doctrina dissiderent, quae e superiore loco spargitur ad populum, quin semina diuini spiritus, quae praedicatores audientium inserunt animis, in eorum confessionibus excipiendis, cum se offert occasio, altius infigant. Relatum est tertio loco ad Primatum conuentum, Sacerdotumque digniorum cum de rebus alijs, tum praecipue de iubendis clericis suis assidere Sacerdotijs, quamuis animarum cura vacuis. Quo in nodo dissoluendo, cum multae variaeque sententiae dictae essent, nostri tamen Sacerdotis sententia standum esse censuerunt, tentandam esse primum rationem quam mitissimam; ad normam videlicet Euangelicae correctionis. quae si minus ratio procederet, de ea re satis multa oecumenica praecipi Tridentina, & Prouincialibus synodis Mediolanensibus, a S. memoriae Cardinali S. Praxedis Borromaeo celebratis. His alijsque multis Casali peractis, Duciſſa discedente, Mantuam repetijt.

PRO-

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

IN Mediolanensi Prouincia socij numerati sunt anno cIↃ. IↃ. XCV. ducenti sexaginta octo: in Domo professa Mediolanẽsi triginta tres, in Collegio septuaginta septem; in Ienuensi Collegio octo & triginta; in Taurinensi triginta; in Vercellensi quatuordecim; in Nouocomensi quindecim; in domo probationis Aronẽsi viginti octo; in noua probationis domo ad Ienuam vnus & viginti; in Residentijs Gemonensi, & Alexandrina, & in Missionibus omnino duodecim. Minor aliquanto numerus fuit superiore anno; neque valde diuersus in vnaquaque familia. Obiere vtroque anno terni: admissi ad nostrum institutum sunt priore anno quindecim, viginti quatuor posteriore.

MEDIOLANENSIS PROfessorum domus.

IN professorum templo Mediolanensium hebdomada quae Quadragesimam antecedit, ad populum a Bacchanali lasciuia auocandum, exposita est sacrosancta Eucharistia, & ab vno e nostris Sacerdotibus historia Christi patientis explicari coepta sub vesperam; continuataque in totam Quadragesimam ternis quaque hebdomada diebus; Dominico & quarta, sextaque feria. Eadem sequente anno consuetudo repetita. Nobilium sodalitas, sexennio ante instituta, magnum coepit priore anno incrementum multis e prima nobilitate se illis adiungentibus, qui ante semel singulis

gulis annis, nunc magno fructu pietatis crebro diuina mysteria frequentant. Institutum est etiam, si non iustum Sodalicium, ac certis legibus deuinctum: at certe conuentus clericorum. multi enim Ecclesiastici ordinis, & ex ijs viri primarij certis hebdomadae diebus in nostrum domesticum conueniunt sacellum; deque spiritalium rerum studio agunt inter se: vno e nostris Sacerdotibus illorum quaestionibus praesidente. Manauit huius consuetudinis vtilitas etiam ad coenobitas, tum viros, tum feminas.

Domi haec priore anno. Posteriore absoluta templi pars antica: aucta sacra supellex, & ornatus templi. Nostrorum numerus fratre vno imminutus Hippolyto Gauellio, coadiutore, qui vna & religiosarum virtutum exemplum imitatione dignum, & magnum nobis sui desiderium reliquit.

Peregre vtroque anno loca multa solito cum fructu obita. Et quidem priore anno Illustrissimus Archiepiscopus eam suae dioecesis partem, quae ad Heluetios pertinet, obiturus, Sacerdotem nostrum in ea peregrinatione sibi comitem abhibuit. cuius fuit ad multas opportunitates opera perutilis. Inter dissidia reconciliata magni fuit momenti controuersiam composuisse inter cuiusdam Ecclesiae Praepositum & plebem. e quorum dissensione quadriennio iam templi aedificatio intermissa pendebat; nunc dissidio sublato, sacra aedificatio repetita. Perfectum etiam, ne iurisdictio Ecclesiastica laicorum iniuria minueretur. Per autumnum Sacerdotes septem varia huius amplissimae dioecesis opida obiuere, Iubilaeum hoc anno nostrorum Missionibus concessum circumferentes. Vbique magna laetitia, tanquam coelestes nuncij excepti, vt festiuo etiam campani aeris sono multa, quo veniissent opida personarent. tantaque fuit incolarum pietas, tanta de nostrorum integritate existimatio; vt super sacramentorum

per-

perceptionem, filios quoque suos, agrosque & sata ijs vt benedicerent, offerrent. rati ea religione omnia a daemonum infestatione & tempestatum iniurijs tuta futura. Praeter vsitata, quae magni vbique momenti esse solent, in opido quodam primores ita infesto odio dissidebant, vt non modo communibus sibi mutuo praestandis officijs abstinerent; sed etiam rixis, pugnisq. frequentibus, magno cum publico malo decertarent. non ante inde nostri discessere, quam contra omnium opinionem, incredibili cum omnium laetitia, tranquilla pace omnia componerent. Aliqui a peccandi simul, & patrandae caedis consilio auocati: multi a vulneribus, varijsque iniurijs vindicati. Virginum pudicitiae, quae in discrimen veniebat, dote comparata, consultum; multa adhuc tetriora flagitia, quae coquebantur, sublata. Haec priore anno. Posteriore opido in alio dicente nostro, ac de bono pacis, deque malo discordiarum disputante, tantus repente motus animorum factus est; vt multi, positis in concione inimicitijs, repente in mutuos amplexus conuenirent; alij se non ante cibum capturos statuerent, quam conquisitis inimicis, cum ijs in gratiam redirent. Eadem concione vidua mulier necem mariti interfectoribus condonauit.

COLLEGIVM MEDIOLANENSE.

TRES Partheniae Sodalitates, quae in Mediolanensi Collegio sunt, mire in pietate priore anno profecerunt. Extremis Bacchanalibus quadraginta horarum supplicationem hoc anno primum instituerunt, magno suo cum fructu, & probatione ciuitatis. cum per eos dies tantum adolescentium numerum, a temporis licentia auersos, circa templa versari tanta pietate cernerent. qui non praescripto sibi temporis penso contenti, in multas etiam horas precandi operam

quo-

quotidie traxerint. Tum ipsis adolescentibus maior ex ea re ad diuina mysteria iniectus ardor animi. Itaque rem tam ex sententia peractam, hoc anno primum institutam, placuit ad insequentis fructum temporis decernere, vt quotannis repetatur. Ex ijsdem Sodalitatibus adolescentes sex ad Capuccinorum se transtulere institutum, ad nostrum duo, alij ad alia. praeter hos alij duo, item nostri gymnasij alumni, nostrum item institutum sunt amplexi. Oratorium est cetus selectorum e tribus sodalicijs. hi arctiore disciplina, studioque maiore pietatem colunt. bis quaque hebdomada conueniunt: ad studium precandi Deum instituuntur accuratius: errata palam confitentur: poenas ob culpas quasque leuissimas iniungi sibi postulant: adeunt nosocomia frequenter: doctrinam Christianam rudes edocent: quos per vrbem audiunt impie, procaciterue loquentes, modeste corrigunt: in edomando corpore ieiunijs, cilicijs, flagellis ardor tantus, vt freno saepenumero sint cohibendi. E multis satis sit exemplum vnum aut alterum. Solenne erat adolescentulo, cum ad sacram synaxim esset accessurus, ad fedas insomniorum abigendas species, nocte, quae antecederet, cilicino thorace se munire: forte contigit, vt nocte quadam diligenter conquisitum non inuenerit. ita illo omisso, se quieti dedit. nocte intempesta dormientem inimicae imagines incessunt. odio obscoeni phantasmatis, & vsu eius luctae experrectus, prosilit e strato, vt flagello molestam dispellat infestationem. cumque ne illud quidem reperiret, linteo tantum indutus (& erat saeua hyems) in hortum domesticum descendit; ibique tamdiu inambulauit, donec nocturno frigore ardor sathanicus extinctus scelerata phantasmata aboleuit. Alterum cum sciisset parens Societatem nostram cogitare, Mediolano in patriam reuocauit, diligenterque ne pararet fugam, custodiuit. omnes,

ad

ad iuuenis animum labefactandum, machinae adhibitae: matris lacrymae, patris minae, propinquorum & amicorum suasiones. contra quas inuictus stetit animus adolescentis. Pater tandem, diuina perspecta voluntate, eum denuo Mediolanum adductum, diuino ipsemet obsequio addixit.

Inuisere diuersis temporibus collegium hoc tres Illustrissimi Cardinales, Flaminius Platus, Mediolanensis, nostri P. Hieronymi Plati germanus frater, Franciscus Sfortia Romanus, & Federicus Borromeus, magni illius quondam Caroli Borromei, sanctimoniae, & rerum gestarum fama clarissimi patruelis frater. omnes tum prandio, tum vario carmine, alijsque id genus argumentis honorifice excepti. Sed Borromeo, vt maiore comitatu duorum Episcoporum Nouocomensis, & Veronensis venit, ita etiam maiore apparatu voluntas explicata. Et sane maior illi & communi nomine, & nostro priuatim honoris significatio debebatur, & quod huius ciuitatis Archiepiscopatum hoc anno susceperisset; & quod magno eius patrueli Carolo plurimum ipsi deberemus. siquidem & sedem ad S. Fidelis, vbi nunc professorum domus est, & Abbatiam Breranam, in qua Collegium hoc situm est, & ab ea Brerani Collegij nomen traxit; & probationis domum Aronensem, ab ipso tanquam a fundatore accepimus. Inter prandendum habita de more concio declamatoria. A prandio datum illi drama non inelegans, quibus rebus omnibus se mirifice delectatum esse declarauit.

COLLEGIVM GENVENSE.

GENVAE diem suum clausit Vincētius Portus Genuensis tēporalis coadiutor, insignis huius Collegij benefactor, vir mira simplicitate, & pro sui status conditione, salutis animarū studio incensus. obediētiae,

& ora-

& orationis ad Deum cultor egregius. Speramus eum & rerum, & virtutum suarum a Deo O. M. praemium consequutum. Superiore anno ex discipulis nostri gymnasij Parthenia Sodalitas est instituta, haec maiora in dies capit incrementa, & quidem anno nonagesimo quinto Romanae primariae Sodalitati est aggregata. & iam Dei beneficio lectos sane fructus incipit proferre, quinque enim hoc biennio tirones diuersis Religiosis institutis, vnum peperit Societati nostrae; cum alij multi idem habeant in votis. Nobilium congregatio & numero, & pietatis studio in dies augetur. Ij doctrinae Christianae rudibus tradendae patrocinium susceperunt: & prudentia sua, auctoritate, & vbi opus est pecunia negotium perurgent. Multi praeterea a peccandi consuetudine abducti. famosa meretrix, aliaeque sex ad honestatem reuocatae. Alius prauorum hominum consuetudine totum se ludis, comissationibus, & vitijs ceteris, quae illi vitae comitatur, dediderat, vnius e nostris cohortatione resipuit; totusque pietati deditus, eam fecit morum mutationem; vt parentes, ac propinqui Dei gratiam agnoscentes, tam diuinum sibi gratulari beneficium non cessent. Restitutiones alienae rei factae non leues. Vni persuasum, vt bonorum quae iniuste possidebat, iusto domino possessione cederet, alius duo aureorum millia, iniusto conquisita lucro, quibus debebantur, reddidit. Duo viri nobiles, qui parum commode ante de nobis & sentiebant, & loquebantur, nobiscum reconciliati, extremo vitae tempore nostros sibi adesse voluerunt; sinistram opinionem vltimo sui iudicij testimonio; maledicentiam nostris laudibus compensantes. Reconciliati alij quoque inter se. Audita concione de condonandis iniurijs, duo Germani fratres, grauiter alter alteri infensi, sponte pristinam gratiam reconciliarunt. alius inimicum suum, a quo iniuriam acceperat, in publico amplexus, se fore illi in posterum

sterum amicissimum professus est. Tertius inimicum suum semel,& iterum interficere adortus irrito conatu, consilio nefario abiecto, omnem inimico ex animo iniuriam condonauit.

Excursum est in circumiecta opida, vsitatique abunde ex ijs reuecti fructus. fuitque qui continenti mensium trium peregrinatione,quadraginta sex huius dioecesis vicos obierit. Res accidit in vna ex his peregrinationibus diuinae prorsus benignitati tribuenda. Dabat operam noster Sacerdos audiendis confessionibus in templo, in multam noctem: multosque circa se habebat opidanos,occasioni praestolantes. quibus omnibus cum illa nocte satisfacere non posset, fessus iam continentis operae longitudine, eos beneuola oratione a se misit, reiectos in diem posterum. Egressis omnibus e templo, tectum iam vetustate putridum, totum repente collapsum vna omnes ruina oppressisset, nisi eos mature diuina prouidétia periculo ea ratione subtraxisset.

Missi praeterea circa Domini natalia anno huius biennij priore rogatu Senatus in Corsicam insulam Sacerdotes quatuor summa Praelatorum, & magistratuum gratulatione excepti sunt. Digressi ad opus, bini totam sibi partiti insulam in adultam vsque aestatem peragrarunt: Sed,vt ad homines fere inopes duro ingenio,aspero cultu, victuque assuetos venerant, laborum, & incommodorum abunde perceperunt. Iter pedibus faciebant; saepeque perpetuis montium iugis summo feruore diei, & suarum sarcinularum onere grauati; vt non sine multo sudore, & puluere praeter lassitudinem, ad finem diurni cuiusque itineris peruenirent. nec sane, ad recreandum ex fatigatione corpus, copia satis idonea suppetebat. victus tenuis & rusticanus:hospitia incommoda, & nonnunquam sub dio data. non tamen illos,ex magnitudine fructus, spiritali dulcedine Diuina Prouidentia fraudauit. Erant illis haec solennia.

Mane peracto sacro, concio de illius diei habebatur Euangelio. in qua illi praecipue loci tractabantur, qui ad peccati detestationem, vitae, morumque correctionem pertinerent. Sed in primis vitia cuiusque loci propria refellebantur; quae vel Parochorum, vel primariorum virorum sermone cognoscebant. Dimissa concione, confessionibus audiendis in noctem ita dabatur opera, vix vt vacui temporis tantum esset, quod curando corpori daretur. Ingens ad eos hominum concursus, tanto cum fructu animorum, vt laborum incommodis praeponderaret. Vitia longo tempore inolita, vt in rudi gente necesse est, multa sublata: contractus iniusti rescissi, & correcti: superstitiones, quas impia olim Maurorum turba, rerum potita, infuderat, abolitae: sui officij parochi admoniti: edocti populi non licere priuatim iniurias vlcisci. Magno denique cum animarum fructu coloni impigri operam in asperis ingenijs ad pietatem informandis posuerunt. vt si vel labores, vel populorum indigentiam consideres, circa Italiae fines Indicam prouinciam dixeris esse repertam. Septem ipsis mensibus insula tota perlustrata, rediere,

Lucam liberam Hetruriae ciuitatem anno posteriore concionum caussa Sacerdos ex hoc Collegio profectus Quadragenarij ieiunij tempore, nobiles, & opulentos adolescentes ad frequentem Sacramẽtorum vsum, & tantum pietatis assumendum studium permouit, vt admirationi ciuitati essent. Indigentium, quorũ ingens per id tempus erat numerus, caussam egregie apud Senatum egit. Et cum pecunia, quae tãtae indigentiae sufficeret, in praesens non suppeteret, bene magnum panis numerũ distribuendũ curauit. Tum quod in primis praesentem difficultatem magnam partem expediuit, frumentum publicum curauit vili distrahendum: vt in eo duodecim tredecimue millium aureorum ciuitas iacturam fecerit. Matrona nobilis praeterea mille aureos in

egen-

egentes erogauit. Tantum praeterea pecuniae a priuatis corrogatum, vt plus trecenti inopes, qui soluendo non essent, e custodia emitterentur.

COLLEGIVM TAVRINENSE.

FERAX fuit argumentorũ hoc biennio Taurinense Collegium: quare quae vtroque anno gesta sunt accuratius erunt distinguenda. Ac priore quidem anno faustum ab egregia Sereniſſimi Ducis erga nos voluntate initium faciemus. Is die festo Sanctorum Solutoris, Aduentoris, & Octauij huius ciuitatis Patronorum, quorum corpora apud nos seruantur, cum Sereniſſima coniuge & filijs, Missae sacro, & Vespertinis horis in nostro templo interfuit. Ijdem cum Archiepiscopo, & eius Vicario, qui postea Astensis Ecclesiae Episcopus est factus, diem totum nobiscum vna traduxerunt. Idem postea Sacerdotem nostrum, qui illi est a confessionibus, cum morbo decumberet, duorum tantũ nobilium comitatu sub noctem inuisit: duasque horas cum ipso solus pijs sermonibus traduxit. Idem, ad templi promouendam aedificationem, mille & ducentos aureos dono dedit: quinque alia millia, ad fiscũ deuoluta, in idem opus attribuit. & nequaparte deminuta, sed integra sine vllo intertrimento ad nos venirent, illa suo sumptu exigi mandauit. Sed veniamus ad operam. Sacerdos e nostris ministrum haereticum ad veritatis lucem adduxit intuendam: quam ille ita adamauit, vt optet eam rijs refundere, quibus antea, in errore constitutus, tenebras offuderat. Multis praeterea commodis nostrorum hominum industria obuiam est itum: multi e multorum & variorum genere peccatorum extracti: sed praecipue muliebri pudicitiae consultum, puellaeq; in tuto collocatae. Non erit ad exemplum inutile illud referre, & si non sine noxa aliquorum.

Puellam duodeuiginti annorum biennio toto precibus, iurgijs, minis, verberibus impurus pater pellicere non destitit, vt viri nobilis, qui illius delibare florem expetebat, procacitati obtemperaret: eoque res deducta erat; vt puella, quando alia non posset ratione, clam veneno sibi comparato, sui ipsius nece, virili prorsus animo virginitatem suam ab iniuria vindicare constituerit. Sed non permisit Diuina Bonitas tam nobilem animum tantum in se facinus admittere. nam id vbi rescitum est, data est opera per nostros, vt illius & integritati, & incolumitati consuleretur; sceleratoque patri esca è faucibus, & impio proco praeda e manibus eriperetur. Aliam viduae matris quamuis nolentis, ac repugnantis inopia propemodum pessundederat; eamque qui magister illi pietatis esse debuit, ad se proijciendam prope animabat. negabat enim scelus esse, virginem interdum colloqui cum viro amatore; ab eo litteras, & munera accipere, & reddere. proh scelus indignum: pestiferam vendi doctrinam obtentu pietatis inuolutam. nec mirum nefarijs vicinarum haeresum exhalationibus, loca etiam salubrioris coeli subinde appeti. Pari ratione nostrorum opera vtriusque & matris, & filiae periculo subuentum. Beatae quoque Virginis Sodalitas nonnihil hoc anno suppeditauit ad scribendum. Adolescens ex ea nobilissimus patrocinium susceperat alterius adolescentis. is die quodam incidit in armatam iuuenum cateruam eorum, qui ad hanc vrbem studiorum caussa ex diuersis locis confluunt. hi illum ipsum, quem hic susceperat in clientelam, ad corruptelas appetebant: & erant ad viginti. hunc continuo strictis gladijs circunsistunt. erat omnino eorum vulneribus concidendus, cum & solus esset, & nullis alijs tectus armis, quam pietate, & sanctissimae matris patrocinio. tamen cum punctim, caesimque a viginti validis, & effrenatis inimicis peteretur; nullum tamen ad viuam cutim vul-

nus

nus descendit; integerque & illaesus, discissis tantum a ferro indumentis, euasit. Accessere ad ingenui adolescentis probitatem, quo magis eluceat diuinum patrocinium, etiam pia merita parentis. Nam illa ipsa hora, qua adolescentis vita in discrimine tanto versabatur, eius pater bene magnam pecuniam in pauperum eleemosynam, piaque opera distribuebat. Vterque Diuina miseratione suae pietatis dignum fructum tulit. Non minus praesens Diuinae Matris auxilium in discrimine alio perspectū est. Adolescens e prima nobilitate egregie formosus apud nos sacra obit mysteria. Is quamuis antea, iuuenum more nobilium, armis deditus, & ludis, viuendi licentiam sectari visus esset; pudoris tamen, & castimoniae florem integrum, illibatumque in medio Babylonis incendio conseruauit: diuinamque Matrem peculiari cultu semper in honore habuit. Is die quodam sub vesperam a lasciuo sodalium grege in domum peregrinae mulieris deducitur, ex ea fece haud dubie, vt indicauit exitus, qua & Samia illa mater, quae habitabat Rhodi. Sed nimirum voluit Diuina prouidentia cordati alioqui adolescentis imprudentiam paterna animaduersione castigare: vt discerer in posterum, non se tam lubrico periculo committere. In ea Vulcani officina, vt loci fert licentia, a lasciuiente iuuentute nugis, iocisque horis aliquot traductis, monuit tempus esse suam cuique domum repetendam. hic impura hospita se in lecto collocat: iuuenemque quem dicimus, ad lecti societatem ineundam prouocat. addunt animos sodales; beatamque illius sortem praedicant: ac, nisi praesto diuina Parens affuisset, quam leui momento quantum, quamque irreparabile damnum miser adijsset? Is qui nunquam se in tanto constitutum discrimine sensisset, diuinae Matris ope fultus, & flagitiosa domo & sodalium impuro grege se proripuit. Sed non paruo illi stetit imprudentia. Siquidem tam acri-

bus libidinum incendijs a daemone est ea nocte agitatus; vt omnis praeteriti solatij memoria in castae mentis supplicium verteretur; maloque ipse suo doctus, torpore omni ex animo excusso, maiore ardore ad studia colenda pietatis totum se conuertit; ieiunia & ea quidem arcta, crebraque frequentiorem sacramentorum, & piarum precationum suscepit vsum; Aedem Lauretanam adijt: sacroque in sanctissimae Virginis cubiculo voto se castitatis obligauit. Romam inde piorum locorum caussa perrexit. Quotquot inuenire potuit de B. Virgine scriptos libros, eiusque imaginum tabulas nobiliores cõêmit: domesticumque quod sibi instruxit sacellum ornauit. & nunc, vt rebus humanis multam salutem dicat, Capuccinorum cogitat religionem. Haec domi. peregre excursionibus aliquot opida permulta adita: & vsitatis Societatis ministerijs exculta. Duo in castra aduersus perduelles, Ducis postulatu, missi, magno solatio militibus fuere, ijs praesertim, qui opidum Bricherascum obsidebant: nosodochio saucijs curandis institituto, stipeque ad eos leuandos corroganda, & animae inprimis vulneribus remedijs adhibendis.

Secusium celebre est opidum in vallibus Allobrogũ. huc Summi Pontificis mandato missus Sacerdos cum fratre, tantum cura & labore profecerunt, vt res Christiana, quae ante afflicta, & prostrata nomen tantum retineret, in ijs locis erigeretur. idque datis ad P. Prouincialem litteris ipse eius Ecclesiae Antistes significauit. Placuit igitur ipsam epistolam his litteris inserere.

Euntibus duobus hisce patribus ad admodũ R. P. V. (his enim verbis P. Prouincialẽ alloquitur Antistes) *vt ipsam de obito munere sibi a R. Paternitate vestra demandato certiorem facerent, non potui non ijs aliquid litterarum dare, eamque admonere de rebus, quas ipsi, pro sua fortasse modestia praeteribunt.*

bunt. Nam etsi, sublatis indicijs bellum subito coortum magnum attulit impedimentum, ad diuini verbi semen in finitima haereticorum loca, vt ipsi optabant, inferendum: tanti tamen fuit huius metropolitanae Ecclesiae ad pristinam integritatem reuocatio; vt ad dioecesim vniuersam vtilitas promanarit. sensim enim opida reliqua ad optima, quae ipsi reliquerunt, accipienda instituta se comparant: quae, ipsa die tranquillitatem rebus afferente, cum Deo bene iuuante constituentur. Tribus maxime rebus haec, quam modo accepi, Ecclesia laborabat. Ecclesiastica disciplina in clero, in diuino cultu pietate, & nitore; & religionis cognitione in populo. haec tria incommoda strenue hi patres subleuarunt: magnumque eius rei sustentandae iecere fundamentum. idque ea modestiae, & prudentiae laude; vt omnes plane intelligant, & fateantur, longo meliore loco se habere rem, quam cum illi huc se contulerunt: faustumq. sibi diē illum praedicent, cum Summo Pontifici, & Paternitati V. venit in mentem illos ad hoc munus destinare. Et, vt hinc exordiar; cum V. P. aliquanto ante, quam P. Franciscus Staulius huc veniret, Io. Baptistam Bottinum Societatis alumnum mihi commodasset; vt puerorum puellarumq. animos ad Christianae disciplinae imbibenda rudimenta compararet, tantum in eo genere profecit; vt per filiorum caussam, parentum omnium animos sibi deuinxerit. Qui nunc tanto affecti beneficio, tum ad sacramenta frequentanda, tum ad reuerentiam Ec-

clesiae ministris exhibendã se praebent multo quam ante promptiores. Tum ipsi pueri sacrorum munusculorum illecti pietate, sanctarum imaginum, coronarum, numismatum, sacrorum agnorum, piorumq. libellorum distributione, ardentius in dies excitantur. Et vero haec puerorum institutio laetissimos in dies parit fructus modestiae, pietatis, obseruantiae, & aduersus natu grandes reuerentiae; vt vere appareat, Doctrinae Christianae explicationem seminaria esse bene moratarum ciuitatum. Nam cum in his locis puerilis aetas antea vaga, & à disciplina auersa, nugis, ludisq. tota esset intenta: nunc magna contentione certant inter se, quis omnium optime praecepta ediscat; quis aptissime pronunciet, elegantissimeque sacra doctrinae Christianae carmina decantet. vt iam compita, & viae, in quibus ante profanae cantilenae audiebantur, nunc sacris hisce personent carminibus. atque vsque eo res increbuit; vt puella trimula, dum infanti fratri cunas agitaret, ad conciliandum ei vocis blandimento somnum, tritum illud puerile carmen obcineret, quo nobis precamur aditum ad caelum. Interim cum alij circa populi magno Bottini fratris, eiusque institutionum desiderio tenerentur, quamuis ob itinera bello infesta, vltro, citroque tuto commeare non liceret; quinque tamen opida adiuit; ibique sanctarum virtutum vestigia reliquit. Erant ex ijs opidis tria valde hæresibus infecta: ab omnibus tamen auditus est, & in honore habitus: optantq. ad se etiam P. Stau-

lium

lium venire. quem si ad nos remittere, & suam caritatem erga nos continuare Paternitati V. placuerit, cum sublato metu itinerum licebit, poterit illorum votis satisfacere. Hactenus de populi erudiendi ratione. Quod ad diuinum cultum attinet, ornatumq. templorum, ante aduentum horum Patrum squalebant omnia; & contagio vicinarum hæresum, sacri ritus, sacerque cultus despectui habebantur: multique ritus parum sinceri, aut alieni se infuderant. nunc illorum aduentu, diligentiaque, mutata omnia; atque ad decentem nitorem, dignitatemque reuocata. ita, vt, quamuis vetere manente inopia, diuina tamen officia honesto cultu, & cum dignitate celebrentur. Nam & frater altaria primum sua manu perpurgauit, concinnauitq.: sacrarium composuit; apteque in eo omnia disposuit: casulas refecit, variaque resarsit indumenta: quae antea essent inutilia, nunc iam vsui esse possunt. & P. Staulius ad altiora vocatus ministeria, meos instruendos sibi sumpsit Sacerdotes. rationem eos docuit rite, & cum pietate diuina officia persoluendi; Missae sacrum, omissis alienis cerimonijs, ad ritum Romanae Ecclesiae peragendi. vt renata esse omnia horum duorum opera videantur. Et cum hanc Ecclesiam matricem antiquissimam totius huius Vallis superiorum temporum incuria afflictam, ac paene prostratam accepissem, ad oues ad suum pastorem reuocandas, imminente Pascha, comminatione censurae vtendum fuit, si quis meo iniussu alteri, quam proprio Sacer-

doti

doti peccata confeßione aperiret. ita partim voluntate, partim metu ad ſuum quiſque Sacerdotem reuocati. at nunc magno cum animorum bono ſacra myſteria in ſua quiſque Eccleſia frequentant. Qua in re egregia exſtitit P. Franciſci opera, audiendis multa dexteritate confeßionibus, nodiſque multis conſcientiae difficilibus diſſoluendis; multiſque opinionum prauitatibus, ſuperſtitioſiſq. deliramentis abolendis: vt feminas puerperas capitaliter peccare exiſtimarent, ſi antequam benedictionis cauſſa Eccleſiae ſe ſiſterent, opus facerent. Haec aliaque multa fediora, Patris induſtria ſublata. Diſſidentes praeterea reconciliauit, adulteria, pellicatuſq. ſuſtulit. haereticos ad veritatis lumen inuitauit. collapſum ſanctiſſimi Sacramenti ſodalicium, rem omnium opinione deploratam, reſtituit. & nunc ſpes eſt, breui Sodalicium alterum Roſario dicatum, excitatum iri. Ex quo Paternitas V. liquido intelliget, quanti interſit, tales diuinorum miniſteriorum magiſtros ad ea, quae iam affecta ſunt, conficienda, primo quoque tempore redire. Nam neque P. Staulium aequum eſt inclinantem iam vicinorum haereticorum ad fidem reuocationem; & multorum Secuſianorum, qui teneri adhuc in ſtudio pietatis titubant, curam deſerere; neque fratrē Bottinum huius Vallis incolas vtilitate ſuarum inſtitutionū defraudare.

Hactenus Secuſiani Antiſtitis Epiſtola. Addunt Prouinciales litterae multis in locis Doctrinae Chriſtianae ſcholas noſtrorum opera inſtitutas: rem ante illorum aduen-

aduentum inauditam. ad quas non tenerae solum & viridioris, sed etiam prouectae aetatis viri, feminaeq. confluunt: haereticos, quibus in opidis versantur, ad nostros audiendos libenter cum filijs veniſſe: sacrorum munusculorum, sacratae praesertim agni cerae beneficio, aegrotos conualuiſſe: feminas partus difficultate laborantes feliciter fetum edidiſſe: lactentes infantes, quod antea nequirent, alacriter lac sugere coepiſſe: puellam macie confectam, vt vix sola cutis ossibus haereret, priſtinam sanitatem recepiſſe. Super haec in omnium tum Catholicorum, tum haereticorum oculis illustre diuinae vltionis documentum contigiſſe. Haereticus militum praefectus, cum, profligato perduellium exercitu, Secusio recederet, in templum S. Lazari non longe diſſitum seceſſit; ibique in contumeliam religionis ad altare ventris onus egeſſit. sed non diu tulit facinus impune. digredienti diſploſus ab arce sclopus cor impio homini e medio pectore auellit.

Groliascum opidū praeterea non longe diſſitum per Quadrageſimam profectus frater vnus magno cum opidanorum bono concionem habuit: viroſque primarios duos, affinitate coniunctos, sed animis diſcordes reconciliauit. quorum diſſidia & difficilia explicatu erant, & opidum in factiones duas diſtrahebant. Eos igitur Taurinum euocatos, ipso, quo Chriſtus, noſtra salus, paſſus eſt die, quibus voluit condicionibus (nam ei rem omnem permiſerat vterque) eos in sacello Congregationis, nobilibus aliquot praesentibus, sancta pace in veteris amicitiae, & coniunctionis gratiam reſtituit. Haec nonageſimi quarti anni summa.

Is qui succeſſit annus cum diuina gratia fauſtus fuit, felici fetu septem alumnorum, quos ex hac vrbe Societati maturauit: alijs vero familijs multo plures, noſtrorum nullo desiderato. Auxere praeterea subinde noſtrorum numerum, & nonnunquam paene duplicarunt,

carunt, nostro magno cum moerore, simul & laetitia carissimi nobis patres, fratresque, qui e Gallia electi, extorres egentes, alienas terras quaerere coacti, nobis & sua calamitate commiserationem, & forti virtute admirationem, & exemplum praebuerunt. Eorum multi ex itinere huc appulerunt. quos in tam aduerso rerum statu non modo viros, & viros fortes, sed constantia & aequitate animi sua vocatione dignissimos cognouimus. Sacerdotes aetate graues, suis pulsos sedibus, omnium rerum egentes, difficillimo anni tempore, horrentia Alpium iuga tanta animi alacritate peragrare: eam sibi patriam forti animo putantes, quam Diuina Prouidentia, obedientia interprete datura sit. Ea, quae a nostra tenuitate proficisci potuerunt, caritatis, humanitatisq. officia, desiderata non sunt. Sed ad spiritalem veniamus operam. Hic quoque, vt Mediolani, e Parthenijs Sodalitatibus, tum quae in nostro, tum quæ in Coniunctorum contubernio sunt, cetus selectus est adolescentium, qui arctiore item disciplina, & studio magis assiduo pietatem colant. eorum plerique religionem, & maxime Societatem meditantur. Tantusq. virtutum odor ex horum iuuenum pietate se diffudit; vt & nonnulli, qui huic bono antea aduersabantur, illorum studia nunc aemulentur; & alij magna contentione flagitent, se in eum numerum adscribi. Multi praeterea a peccandi consuetudine abducti. in ijs decem mulieres e turpi ceno extractae: ab adulteris aliae auulsae. Conquisitis item eleemosynis magnus egentium numerus multis in rebus est adiutus.

MISSIONES COLLEGII Taurinensis.

ARCHIEPISCOPATVS Taurinensis dioecesim inspecturus vnum e nostris Sacerdotibus, vt

brev-

biennio ante, secum ire voluit. quadraginta sex opida, seu populos lustrarunt. Tanta diuinarum rerum insci-tia saepe reperta; vt non Christianorum, sed agrestium barbarorum in India, alijsue transmarinis oris pagos te obire crederes. Eadem opera eaedem, quae biennio ante, vbi opus fuit, vtilitates illatae. Illud additum praeterea: haeretici decem ad Catholicam fidem reuocati. In his adolescens hæretici ministri filius, Graecis,& Latinis litteris instructus. Ad eum carcere detentum consolandi causa cum veniisset noster, delectatus est ille quidem Christianae caritatis officio. at vero cum ad sermonem de religione ventum est, expedienda doctrinae arma vtique fuere. Disputatum est in horas tres, veritas egregie defensa. fuit tamen, adolescente flagitante, iterum eadem repetenda disputatio. sed ne hac quidem firmior quam priore stetit vanitas. Decem ex epistolis B. Pauli ad Romanos,& Hebraeos, adolescens testimonia proposuit: ad quae excutienda Graecus fuit codex adhibendus. quae omnia ita luculenter noster explicauit, veritas, vt triumpharet. Haesit ille tamen in sua pertinacia aliquandiu: sed tandem veritatis victus lumine, manus dedit. Mulier haeretica cum filiabus tribus, quarum natu maxima nondum annum duodecimum exegerat, statuerat ad Ecclesiam redire. id cum resciisset vir & haereticus, & diabolici seminis minister, relictis filiabus, matrem longe inde asportauit. Sed sperandum Deum, in tempus aliud distulisse. noster filiolas apud propinquam feminam catholicam, Catholica fide imbuendas collocauit. Haereticus alius non ignobilis, audita nostri Sacerdotis concione, veritatem intuitus est; nec sine lacrymis se primo quoque tempore ad Ecclesiam Catholicam promisit rediturum. sed quo minus id faceret in praesenti, impediri se, quod multas inter haereticos pecunias implicitas haberet, quarum iactura sibi esset facienda, si ab eorum contagione

gione se abiungeret. Sed quamprimum operam daturum, vt versura facta, in loca tutiora transmittantur. Simultates praeterea & multae, & periculosae, magno publico cum bono, inter multos sublatae: tum duo opida quintum iam annum grauissimis inter se odijs & mutuis caedibus infensa, summa cum omnium gratulatione, & laetitia, ad amicitiam, & concordiam sunt reuocata.

Salutium missus Visitator Apostolicus, rei Christianae in ea dioeceſi inspiciundae causſa, duos e nostris Sacerdotibus secum adduxit. hi quotidie inter Missae sacra sermonem diuersis in templis ad populum, diebus festis in primario templo concionem, Vespere rursus, conuocato ante Augustissimam Eucharistiam ad orandum populo, accommodatam ad tempus hortationem habuerunt. Parochos & Sacerdotes multum ad sua obeunda munera, plurimum vero vniuersum populum quadraginta diebus, quibus ibi morati sunt, vsitatis ceteris Societatis muneribus iuuerunt.

Ad Castra praeterea Sabaudiae Ducis tres e nostris Sacerdotibus, Aprili exeunte euocati, instabat enim cum hoste pugna. Voluit autem Dux milites, quamuis graui illius edicto circa festum Paschae confessi essent; tamen ante proelium rursus confessione expiari. Piae tanti Principis voluntati est abunde satisfactum: nec prompta militum pietas desiderata est: ita vt imminente proelio, sumptis armis, multi, equites praesertim, rursus ad Sacerdotem repetendae expiationis causſa se conferrent. Pugnatum est ad horas quinque; & fauente numine nostrorum pietati, felici euentu, clade perduellium. Nostri inter se, partitis vicibus, quandiu proelium fuit, cum imbelli omni multitudine, ante crucem, quam seorsim loco conspicuo statuerant, precationi operam dederunt. Fusis hostibus, cum Sereniſſimus, castris obequitans, ad Crucem peruenisset, ex equo desiliens,

liens,eam veneratus,pium nostrorum officium sibi gratum accidisse significauit. Elatis ex acie saucijs nostri praesto fuere; omniq. ope, quantum praesens cuiusque rerum status postulabat, eorum tum corporibus, tum animis auxilium tulere. Haec calendis Maijs acta. Postero die Hostes, qui in munitione obsidebantur, deditionem fecere. Ita V. Nonas, qui dies Inuentioni S. Crucis sacer est,solenni supplicatione,prælata ad quam tempore proelij supplicatum est, Cruce, in hostium arcem intratum est:ipsaque Crux,victoriae signum in excelsa turri collocata.

COLLEGIVM VERCELLENSE.

VERCELLIS priore anno sacro Aduentu in primario templo conciones erat habiturus P. Antonius Sambusita Collegij Rector. Sed primo habendae concionis die in morbum incidit, quo die quadragesimo extinctus est. Ad eum cum natali nocte Christi Domini sacra Eucharistia perlata esset, praesentiens eo morbo se vitae munere functurum,pronunciata generali confessione, ad Christum breué Latinam habuit orationem; qua Catholicae fidei dogmata professus, multa,quae sibi Deus beneficia contulerat,commemorauit, illudq; maxime, quod sibi in Societate, & viuendi,& moriendi feciſſet potestaté:postremo animam illi suam cõmendauit.idque tanto cum animi sensu, vt qui aderant, tenere lacrymas non possent. Multos multo cum fructu annos ille egerat in Societate. Eum & in munere pro Rectore, & paucis mensibus in morte sequutus est P. Io. Baptista Beluisius. Itaque paucorum mensium spatio bis suo Rectore parua huius Collegij nauicula priuata est. Vterque in diuturno morbo patientiae, & mansuetudinis specimen dedit, vt medicus tantam animi praesentiam, & erga suas curationes obseruan-

seruantiam & miraretur & praedicaret.

Hoc posteriore anno primum sacrae pomeridianae lectioni in nostro templo initium factum est, ipso die festo Sanctissimae Trinitatis. ipsa sanctissima Trias felicibus euentis cuncta secundet.

Reuerendissimus Apostolicus apud Sabaudiae Ducem Nuncius hac iter faciens, magnam erga nos beneuolentiam praesetulit. In summo templo cum Vespertinis persolutis precibus, magno canonicorum, ac nobilium virorum comitatu deduceretur, conspicatus in turba nostrum Sacerdotem nihilominus suspicantem; ad eum adit, peramanter salutat, familiariter complectitur, congressum gratulatur. denique post multa beneuolentiae signa, quibus quanti nostrum faceret ordinem declarauit: se nostri studiosum, ac nostros domi visendi cupidum professus postridie nostrum adijt templum, sacrae rei faciundae caussa. redijtque die tertio nobiscum pransus est: oratiuncula ex tempore parata, ac pro loci tenuitate, & breuitate temporis, Graeco, Latino, & Italico carmine exceptus est. Quae res scholarum nostrarum auxit & existimationem, & discipulorum numerum.

NOVOCOMENSE COLLEGIVM.

NOVOCOMI hoc priore anno primum auctoritate Episcopi, nostri ordini amantissimi, Vicario, & Clero approbantibus ius concionis in Principi templo non modo non postulantibus, sed ne conscijs quidem nobis datum est. nam antea veteribus huius vrbis coenobitis tantum locus erat, in orbem cuique coenobio suo anno recurrente. Idque vt extaret suae erga nos voluntatis monumentum Reuerendissimus Antistes in publicas tabulas referri voluit. quae res etsi parum nostris rationibus, nostraeque quodam modo immu-

immunitati conducere visa est; ad beneuolentiam saltem declarandam fuit opportuna. Concioni datus est is, qui mirum excitauit nostrarum concionum desiderium: optantq. Saepius nostrae vicis annum recurrere. Habuit idem ad moniales saepe adhortationes. quarum coenobia quinque, auditis Virginum confessionibus, nostrorum opera multum sunt adiuta. In ijs Virgo emensa tempus tirocinij, spiritu nostrae hausto doctrinae, antequam professionis vota nuncuparet, omnia, quae apud se priuatim sibi claustri legibus liceret retinere, communem ad matrem detulit: negans decere virginem, quae se totam Deo penitus dicauit, quidquam ad proprium sibi vsum possidere, quod non habeat cum Virginibus ceteris commune. In alio coenobio, auditis de paupertate Euangelica sermonibus, re inter se deliberata, & consilijs multis agitata, matres tandem communi sententia statuerunt Euangelicam amplecti paupertatem. Ita omnes, quidquid quaeque haberet apud se, in commune contulerunt. Auctus templi ornatus sacra tabula magna beneuolorum ciuium impensa. Imaginem habet Christi e cruce pendentis, & hinc S. Amantij quondam Episcopi Comensis, hinc S. Iulianae Virginis Alexandrinae, & martyris. quorum ipso in templo reliquiae seruantur: illius magna corporis pars, huius totum paene caput. Additū etiam altare ex integro lapide, quo ipsae conditae sunt reliquiae, & a Reuerendissimo Idibus Ianuarijs solenni ritu consecratum. Haec priore anno.

Posteriore in gymnasio acer stimulus accessit excitandae adolescentium industriae. Nam ad vmbratilem illam formam Reip. qua fictis honorum titulis adolescentes pro suo quisque processu exornantur, noua accessit ciuilium vmbra actionum. Fastorum librum vnaquaeque sibi schola comparauit. in quem quid quisque laude dignum gesserit diebus singulis, multo cum ho-

nore verborum referatur; quem quisque, & quoties honorem sit adeptus & quo collega; quos quisque, & quo pugnae genere, & quibus consulibus, ac quo die superauerit. Mirum, quam hoc industriae additamentum puerorum excitarit animos. Gratum etiam erit post multa tempora cuique memoriam cum laude actae pueritiae reuoluere. & vt in vera Rep. veri collati maioribus honores ad veram magnarum rerum laudem; sic ludicra haec iuniorum animos ad eorum excitabunt imitationem, quos cum claros iam videant in ciuitate, eorum cum laude actam pueritiam spectabunt, puerilibus quidem, sed futurae virtutis indicibus, monumentis consignatam. Neque minora, quam diligentiae in studijs, etiam pietatis documenta praebuerunt. Duo enim ex eorum numero, in numerum nostrorum trãsierunt. & sunt alij, qui idem habent in optatis.

Doctrinae Christianae scholis promouendis octo ab hinc annis instituta Sodalitas cum annis singulis, tum hoc praecipue eos, qui e tali semente expectantur, fructus collegit. Vir pius moriens perpetuum denum in annos singulos aureorum legatum reliquit, quibus praemiola victoribus pueris ornandis comparentur. quae res magnum fuit acuendae puerorum alacritati incitamentum. Decreuere Sodales quo die haec ciuitas festa laetitia anniuersariam recolit memoriã translationis sacratum reliquiarum, quibus tum nostrum, tum alia vrbis huius templa aucta sunt, eundem diem perpetuo ritu solenni pompa puerorum, puellarumq. religiosiorem facere. Conuenere igitur eo die classes in sua quaeque templa, vbi exercentur. inde coactis in locum vnum omnibus, praelato toti agmini communi signo Crucis, tum singulis classibus proprio eius templi vexillo, educta pompa est sexu, classibusque distincta, pueri puellaeque vario, & quam compositissimo ornatu. Angelorum sexus vterque; pueri praeterea sanctorum

virorum, puellae sanctarum virginum speciem referebant. toto vero agmine insignia sacrorum Christi cruciatuum magna ostentatione ferebantur. Haec modulantes symphoniacorum chori distingueb ant. E sodalitate viri graues, matronaeq. toti regendo agmini, illi puerorum, hae puellarum comitabantur. Existimatur numerus fuisse trium millium: vt nouum, sic iucundum, & admiratione dignum ciuitati vniuersæ spectaculum. Neque vrbano hoc prouentu boni sodales contenti, pij sui studij, atque operae vtilitatem ad populos circa positos protulerunt. Vicos enim extra vrbem, populosq. diebus festis, nullo territi incommodo, adeunt; scholas cogunt; rudes partim cohortationibus, partim munusculis, nonnullos etiam pecunia ad conuentum cogunt; rudimenta explicant. Acciditq. in opido, quo noster Sacerdos venerat cum vno e Sodalibus, vt opidani tam salubri instituto delectati sponte sibi multam irrogarint, si quis eorum die festo conuentui defuerit. Deus bonorum omnium fons & auctor rem pro sua promouebit bonitate. Non est silenda ciuitatis liberalitas erga nos. Nam cum ad litem quandam expediendam pecuniam desideraremus, viri nobiles non modo nobis se praedes praebuerunt: sed duo praeterea centenos singuli, tertius etiam centum & quinquaginta nobis aureos eleemosyna dederunt. Non vacua illis erit tanta nostri miseratio.

Sub finem anni Philippus Archintus Nouocomensis Episcopus recens creatus vrbem iniuit: Romaq. secum P. Carolum Mastrillum adduxit. qui in principi templo per Aduentum matutinis horis concione, pomeridianis sermone de vita Christiano more ducenda, bisque hebdomada quaque in nostro templo ratione diuina meditandi explicanda, mirum in modum omnium animos ad studium pietatis excitauit. Idem publico bono, sublatis plurimis dissidijs, quibus tota ciuitas perturba-

batur, ciuibusque priuatim inter se reconciliatis, ciuitati vniuersae peperit tranquillitatem, vt non sine lacrymis discedens ab Antistite dimitteretur. Ipse porro sacer Praesul quo die primum ad nos se cõtulit, in templo a nobis exceptus, sacra re peracta, discipulos omnes diuino pane recreauit. Inde Collegium ingressus Latina oratione salutatus, & suas laudes, & beneficiorum commemorationem audiuit, quae ab Archintorum familia iam inde a primis suis incunabilis nostra Societas accepit. Tum superioribus aedibus conscensis, admiratus est apparatus elegantiam, & ingeniosarum inuentionum multitudinem; quae vario carmine, emblemateque parietes contectos vestiebant: vt diceret: Collegium hoc angustum, ac tenue cum Mediolanensi amplo, & celebri certamen in eo genere sustinuisse.

Excursum est a duobus Sacerdotibus in externa huius dioecesis loca, Heluetiorum subiecta ditioni. In ijs diutius mense commorati, vsitatis Societatis ministerijs, innumerabiles vtilitates & priuatim, & publice peperere. Quotidie, vt in Salutiana Missione, bis in die ad populum dicebant. multos multa nefas esse docuerunt, quae ipsi ex inscitia licere existimabant. tum qui iusti, qui iniusti contractus essent docuerunt. hinc multi rescissi & alia ratione reformati: multae etiam pecuniae redhibitae. Curiones ac presbyteros monitis multis instruxerunt. scholas etiam Christianae doctrinae instituerunt, delectis viris idoneis, qui negotium totum sustinerent. Neque merito frustrati sunt aspera multa in diuina caussa patiendi. Siquidem aduersa hyeme pedibus iter faciebant; fluminaq. per itinera non sine periculo traijciebant: victum nonnunquam magna animi alacritate ostiatim quaeritabant. Coenobium sacrarum Virginum, hortationibus, pijsque sermonibus ad cursum perfectae religionis excitarunt. In opido, quo P. Petrus Berna natus est, qui in India in comitatu P.

Rodul-

Rodulphi Aquauiuij martyrio affectus est, senem inuenerunt opidanos ad confessionem adhortantem. Is narrabat primis temporibus Societatis nostrae primos patres se vidisse; multaque de illorum laboribus, assiduaq. opera in proximis iuuandis commemorabat: magnum vtique nostris in ea militia versantibus & incitamentum vna,& leuamen ad incommoda quaeque forti animo perpetienda.

DOMVS PROBATIONIS Aronensis.

ARONAE priore anno laboratum est angustia rei familiaris, vt nisi P. Prouincialis industria corrogatis eleemosynis nobis subueniisset, tanto capitum numero alendo in sumptum non suppeditasset. Auxere calamitatem morbi mensium quinque continentium, quibus familia tota ita vexata est, vt consuetas tirocinij exercitationes intermittere necesse fuerit: cum omnes vel decumberent, vel decumbentibus ministrare oporteret. Omnes tamen Dei clementia pristinae restituti valetudini; nulla neque vitae cuiusquam, neque spiritalis studij facta deminutione: quin potius patientiae, & caritatis exercitatione auctum aliquid ad studium virtutum, Diuino spiritu singulorum animis sua charismata infundente,& internam inspirante disciplinam, quo tempore humana remisit institutio. Non tamen est interim eorum, qui morbo liberi fuerunt, in hominum vtilitatem opera desiderata. Pacem inter duas nobiles familias conciliarunt: è quarum dissidio graue timebatur exitium. Non erit inutile saltem ad doctrinam aliorum, terroris plenum diuinae animaduersionis referre documentum: quod horribile illud, quod a S. Gregorio refertur, euentum renouauit. Puella sex annorum morbo implicita venit ad extrema. coepit haec

per noctem horrendis vocibus clamare (proferam ipsa eius verba) *Me miseram: nigri Mauri me in æstuans caldarium prijciunt*. Conterriti parentes aegrotam lustrali aqua respergunt: signo crucis muniunt, monent, vt Iesum, & B. Virginem inclamet. sedatur tantisper pauor, donec sub auroram iterum coepit horribilius clamare: *Rape me, Diabole: rape me*, ac sub his vocibus inquinatulam efflauit animam. Rogati parentes responderunt; praecoci ingenio puellam bonum a malo probe dignouisse: neque quid sit peccatum ignorasse: tamen confessam esse nunquam: saepiusq. quod liberius cum pueris colluderet à se reprehensam esse. Quid in occulto Dei lateat iudicio, fas disquirere non est: sed qualis esse debeat parentum cura, etiam circa teneram aetatem, non obscurum. Excurrere nouicij in vicina loca, catechismum circunferentes, incredibili cum vtilitate vicinorũ, & admiratione omnium. vt qui homines ante seueris edictis non mouerentur Praelatorum: nunc ad aduentum vnius aut alterius adolescentuli, Christianam tantum doctrinam explicantis, summa hieme ex circumiectis montibus, niue geluq. rigentibus agmina virorum, ac mulierum pueris crucem praeferentibus exscenderent ad audiendum. Acciditq. semel, vt, cum frater itineris ignarus vicum peteret; a viaque aberrasset, ac serius multo, quam par fuit peruenisset; populum tamen sine cibo iam multas horas opperientem in templo reperiret. In vico alio non solum ea contenti patientia, vt in templo aduenienti nostro praestolentur; sed ingenti etiam alacritate incitati pueri, agmine facto, cum cruce obuiam procedunt. Hac spirituali esca ita pagani delectantur, vt totius communitatis nomine ex opido quodam ad P. Rectorem legati petitum venerint, vt eundem adolescentem, quem catechisten hieme habuissent, Quadragenario tempore sibi daret ad con-

ciones.

ciones. Idem à vicis alijs petitum; & omnibus obtemperatum. Sed lex data est adolescentibus; vt, cum se pridie, quam eundum esset, comparassent, capita suae quisque concionis erudito Sacerdoti cognoscenda, corrigendaq. praeberent. Ita suo munere functi sunt: vt & paganis specimen suae pietatis dederint, & probationem etiam nobilium, qui Mediolano illuc venerant, consequuti sint. Per Aduentum duo alij Sacerdotes ad remotiores populos se contulerunt, tanto maiore cum fructu, quanto pluribus instructi armis, & solidiore eius militiæ arte prodierant. Nam & omnia Societatis nostrae ministeria strenue exercuerunt, & parochis etiam magno fuere adiumento, difficultatibus multis expediendis, quas necesse fuit obijci in magno concursu poenitentium.

Hactenus prior annus. posteriore eaedem & à nouicijs, & a Sacerdotibus, qui ad primas rediere tirocinij exercitationes, excursiones repetitae: ijdemq. per Quadragesimam concionum caussa flagitati: quod nostri quae dicerent, homines rudi ingenio intelligerent: non item quae compta ab alijs audirent. Neque pagani tantum id expetierunt, sed ipse Nouariensis Episcopus, in cuius dioecesim populi aliqui ex ijs, quos catechistae obiuerunt, incurrunt, cognita vtilitate, per litteras P. Rectorem rogauit, ne tam vtile opus, tanta cum salute coniunctum animarum intermitti pateretur. Et sane tirones superioris anni exercitatione vsum eius militiae aliquem nacti videntur. siquidem discordes reconciliarunt, & efferatos animos ad mansuetudinem reuocarunt. Potuissent illa, vt visitata, & multis alijs exemplis nota praeteriri: sed quia à nouicijs acta sunt, aliquid habere videntur nouitatis: duo breuiter exponam: addamus adolescentibus ardorem. Dum in conuentu de rebus vtilibus frater colloquitur, animaduertit in eo cetu quendam tam graui odio in

ſuum incenſum inimicum; vt ſtatuerit, vel cum certa vitae, animiq. iactura illum perdere. hunc frater longo, efficaciq. ſermone ita mitigauit: vt ad ignoſcendum inimico, pacemq. faciendam adduxerit. Alius ita barbare, crudeliterq. in vxorem ſaeuiebat, vt non conuicijs modo, ſed fuſte etiam interdum male multaret. hunc adortus frater ita eius iniuriae grauitatem exaggerauit; ita, propoſitis inferorum poenis, perterrefecit; vt ille ſponderet, nunquam ſe in poſterum male coniugem habiturum, niſi cognita cauſſa parochus eam multa dignam iudicauerit. Praeſtet modo fidem: parocho certe negotium non deerit. Haec tirones. Sacerdotes duo tertiani ad opida Nouarienſis dioeceſis excurrerunt: vbi praeter iam ſatis notas vtilitates, collapſam in quodam clericorum Seminario reſtituerunt diſciplinam.

Hactenus quæ peregre geſta ſunt, cum ſuperiore anno continuauimus. Domi nunc acta paucis repetenda. Initio anni ad inſtituendam probationis domum Genuenſem emiſſa hinc eſt nouiciorum duodecim colonia. Qui domi remanſerunt, impigros ſe ad magni momenti pacificationem precibus, & corporis attritionibus a Deo impetrandam praebuerunt. Pagus eſt, quem Doſſolae Vallem nominant. ea in Renati Borromei Comitis ditione eſt. Incolae in duas diuiſi factiones, ita infeſtis animis diſſidebant, vt non niſi alterutrius, aut vtriuſque partis internecione res ſedari poſſe videretur. Aronam Borromeus Comes vtriuſque factionis Principes euocauit. Conueniunt vtrique ſuorum factione ſuccincti, & modo his, modo illis intra opidum admiſſis, emiſſiſq., dantur aures cauſſae vtrorunque cognoſcendae. Ac, dum de condicionibus pacis agitur, noſtri partim domi precibus, ac flagellationibus intenti, partim per opidum diſperſi concionibus, hortationibuſq. ad pacem a Deo expoſcendam,

ad

ad peccatorum confessionem, ad concordiam iungendam rem pro se quisque promouere nitebantur: donec summa cum omnium laetitia Dei tandem bonitate composita tota res est. Haec Dei O. M. beneficia in alios. quod sequitur profectum est in nostros. Arona octo è nostris Mediolanum mittebantur: duo Sacerdotes, fratres reliqui. Ii per Ticinum naui vehebantur. cum ad scopulosum fluminis vadum deuenissent, siue rapido aquarum fluxu, siue inertia nauicularij impacta naucula in scopulum dehiscere coepit, paullatimque submergi. nostri, cognito periculo, confugiunt ad preces. Vnus e Sacerdotibus monet, vt omnes peregrinationem voueant ad B. Virginis aedem Monteregalensem. continuo nauis, quae in latus alterum subsidebat, reuersa in alteram, periculum tantisper subleuauit; donec, qui eodem itinere nauigabant ad opem ferendam accurrentes, eos ex ipso mortis discrimine eripuerunt. Gratiae Deo, B. Virgini, caelestibusq. actae.

NOVA PROBATIONIS Domus ad Genuam.

ANNO huius saeculi nonagesimo quincto primum altera probationis domus in hac Prouincia instituta est ad Genuam. Fundatorem habuit Patricium Genuensem: cuius nomen Deo notum esse satis est. Huic fundandae illustribus suae bonitatis argumentis Deus. O. M. fauere visus est, Nam, cum fundatio parata esset, locus aedificando domicilio desideraretur, neque in vrbe, neque extra vrbem, ob incolarum frequentiam, aedificiorumq. multitudinem facile esset aut aedificium, aut aream aedificio opportunam sine magno impendio reperire; neque eam, quam celeberrimo in opido designauerant domum, opportunam satis Patres iudicarent nouicijs instituendis: Dominicus Lomellinus Genuae non minus pietate, quam

quam generis nobilitate clarus, noſtris nec opinantibus, nec cogitantibus, locum, quo nihil opportunius optari poſſet, ad tirocinium in eo collocandum dono dedit. Locus eſt extra vrbem, non longe diſſitus a menibus: ſeorſim ab alijs aedificijs in colle ſitus clementer accliui: ſalubri caelo, atque vrbis, ſubiectaeq. vallis cum flumine, ac maris proſpectu amoeniſſimo. Rus eſt ſpatioſum, continenti muro cinctum, vineto ac frugiferis conſitum arboribus. horti ampli, perenni aqua, è proximis montibus labente in piſcinam: indeq. emiſſario ad irrigationem deriuata: additis ad aeſtiuos receſſus grati nemoris vmbraculis. aedes ex magno, ſectoque lapide, ad religioſorum domicilium, religioſasq. opportunitates quaſi de induſtria conformatae. intus praeter cetera, aula perampla; aedificium totum vetere ſtructura, & ſpecie viſendum. Templum habet eadem ſtructura aedibus adiunctum S. Ioanni Baptiſtae dicatum, marmoreis columnis, & opere vetuſto auguſtum. Vetuſtas annis nongentis antiquior notatur. Viginti initio hanc domum incolere coeperunt. è quibus nouicij duodecim, ex Aronenſi translati domo, primi huius ſpiritualis aedificij lapides fuere. iter milliariorum centum confecere pedibus adoleſcentes horũ laborum, & incommodorum inſolentes, duce vno veterano Sacerdote; cum ſaepe in itinere & diurnũ victum emendicati eſſent, & praeter cetera incommoda in tugurio nonnũquam hoſpitium ſibi apparaſſent: quae omnia, pro Chriſti amore ſumma animi alacritate pertulerunt. Genuam venere fame & laſſitudine enecti. vrbem ingreſſis è viri nobilis domo puer prodiens, praegrandem Indicum gallinaceum opipare apparatum ferens, quaſi Dux a Chriſto Domino Petro & Ioanni in primo Hieroſolymorum ingreſſu datus, ad fores vſque Collegij praegreſſus apparatum edulium reliquit. cõmodeq. cecidit; cum hora iam elapſa prandij, ſu-

sublatis mensis, opportuno eo quasi caelitus demisso ferculo recreari potuerint. Ineunte igitur Quadragesima, opportuno suscipiendae afflictationis tempore, cum Deo, diuina matre, caelestibusq. bene iuuantibus, in nouam probationis domum commigrarunt; confestimq. tirocinij exercitationes susceperunt. Instituto tirocinio paullo post in hospitalem domum iuuandis aegrotis contulere sese. Ibi integrum mensem versati, & aegrotis leuamentum, & ciuitati specimen magnae virtutis praebuerunt. nam praeter cetera, ijs in locis exhiberi solita obsequia, magna sedulitate praestita, debilitatis etiam, vsuq. destitutis brachiorum, manuumue, capillum pectebant, tondebant, manus purgabant, vngues secabant, in os cibum inserebant. Post cibum sumptum partiti inter se aegrotos adibant, pijs alloquijs afflictos alleuabant; ad spem diuinae consequendae gratiae excitabant. Tum coacta manu valetudinariorum, aliorumq. qui nosocomio famulabantur, eos Christianae doctrinae elementis imbuebant. His, alijsq. pietatis officijs ciuium oculos, animosque in se conuerterunt. Et cum multa in ijs, qui haec studiosius animaduertebant, tum praecipue modestiam, animique submissionem adamabant. Excurrere praeterea in vicina opida vicosque, tũ ad triremes sese contulere catechismi causa. quo in genere multa compendij necessitate praeterire opus est. vnum tamen illud non omittam. Captiuus Turcha ad remigium compactus, cum, quo pietatis amore Christianae legis praecepta traderentur, animaduertisset, coepit suam minus amare superstitionem, & iam etiam contemnere, tum acriores in dies ad nostra cognoscenda stimulos sibi sensit adhiberi. ergo, vt potuit, ligneam sibi crucem compingit, atque ad latus alterum affigit: Deumq. coepit, qua ratione sciuit, comprecari, sibi vt, quid facto opus esset, declararet. Nocte quadam hominem

videt

videt per somnum crucem sibi eripere conantem, tum ipse multo arctius illam tenere: inde sibi visus est a viris duobus specie & maiestate verendis (ij S. Paullus & S. Franciscus existimati sunt) in amplissimum, amenissimumq. locum, ad diuinum Christi Domini conspectum, praesentiamq. deduci: atque ab ipso id tantum magna vi moneri, vt Christianam religionem complectatur. Hoc monito experrectus, Christianaeq. fidei conceptis votis, vt primum licuit nostrum adijt Sacerdotem; eiq. totius rei seriem, & votum animo conceptum enarrauit, Is quo tempote prouinciales litterae dabantur, Christianae fidei mysterijs imbuebatur. Nec defuere pugnae, hominem a sano consilio auertere conantes. Siquidem Turcae alij ijsdem triremium remigijs addicti, certatim illi argentum, & aurum detulere, ne ab impia Mahometis secta se reciperet. Tum nefarijs hisce contemptis blandimentis, metum barbaro, stolidoq. mendacio incutere adorti sunt, Turcam mox victrice classe affuturum; ipsumq. in potestatem deuenturum, ac Constantinopolim retractum in paenam perfidiae, & Mahometicae desertae legis, in totius imperij conspectum in crucem actum iri. Quibus ille ita respondit, vt praeclare secum agi existimare se profiteretur, si sibi contingeret vitam & sanguinem in Christi causſa profundere. & hic fructus è noui huius tirocinij cultura prodijt.

Neque desiderata est piarum feminarum erga hanc nouam familiam liberalitas. Pia matrona argenteum Calicem, & pyxidem dono dedit: alia pretiosas mappas, quae in Missae sacrificio sacrosancto Christi corpori substernantur: sericamq. vestem ad altarium & sacerdotum apparatum aliae linteam vestem ad triclinij & lectos instruendos. fuit quae suis manibus nouicijs singulis lineas interulas, & sudaria, aliaq. generis eiusdē confecerit. aurū argentumq. aliae benigne cōtulere.

MIS-

MISSIONES PAPIENSIS & Alexandrina.

PAPIA nunc, antiquo nomine Ticinum, siue ipsa Ticino flumini nomen dedit, siue à flumine accepit, vrbs est in Insubribus, Mediolano non ita longe dissita; nobilissimo gymnasio, & sacro S. Augustini corpore maxime illustris. Ex ea viri nobiles, & ciuitatis primarij, nostri ordinis amantissimi, & patriae iuuandae studiosi, tribus continentibus annis nostrum sibi dari Sacerdotem postularunt; qui verni ieiunij tempore diceret ad concionem. Non prius quam huius biennij priore anno potuit illorum pietati satisfieri. Datus est illis P. Antonius Possevinus. is primus è nostris in ea vrbe antiquo in templo, & nobili, magna cum totius ciuitatis probatione, & fructu auditus est. Ac praeter quotidianas conciones, audiendis etiam confessionibus, spiritualibusq. exercitationibus aliquibus erudiendis suam operam nauauit,

Alexandriae quoque, quae a Palea cognominatur, eiusdem tractus vrbem superiore anno tres è nostris profecti, strenue hoc priore anno consueta nostrae Societatis munera exercuerunt: conciones habuit Quadragesima in principi templo eorum vnus, etiam alijs diebus alijs in templis magna ciuium frequentia. Paenitentium, & ad sacram synaxim confluentium tantus numerus, vt non iam Residentiam, sed iustum Societatis Collegium esse dixeris. Ciuitas mirifice erga nos affecta est; nullamque rem in votis magis habet, quam intra suum sinum familiam alere nostrorum hominum. Et iam huius suae volũtatis testimoniũ esse voluit; quod eam, in quam primo excepti nostri sunt, domũ, paull post ipsorũ aduentũ, Societati addixerunt: & hoc ann domum alteram cum templo coniuncto addiderunt.

MIS-

MISSIO CREMONENSIS.

DVO Sacerdotes cum fratre Cremonam profecti biennio toto ibi commorati, nullum genus officij praetermiserunt, quod non in omnium ordinum homines impenderét. Sermonem initio in templo quodam diebus festis, & in compitis ad otiosam multitudinem habuerunt. In sacello postmodum, quod in priuatis aedibus adornant, eorum alter antemeridianis, & pomeridianis horis ad populum dicebat. Idem Aduentu vtroque anno, posteriore etiam Quadragesima concionem habuit Principe in templo, ea ciuium & frequentia, & iudicio, vt cum aliae religiosae familiae e suis Praedicatores eximios adduxissent, ille tamen tenuerit primatum. Alter interim, dum hic dicendo domi, vel in templo occupatur, alijs in templis Christianae disciplinae rudimenta explicabat. Eo labore perfunctus sub vesperam in aedibus Episcopalibus ad vniuersae Ciuitatis clerum, qui eo persolutis vesperis conueniebant, verba faciebat. Rogatu praeterea Proepiscopi, & Canonicorum cathedralis Ecclesiae disputatio ad clerum haberi coepta est in templo maximo de conscientiae quaestionibus: magna cleri, religiosorum, tum doctorum, nobiliumq. virorum corona audiente. ea bis hebdomada quaque explicata, etiam biennium continuata. Christianae doctrinae tradendae consuetudinem, remissam iam in ea vrbe ac pene abolitam excitarunt; tum ipsi suo labore pueros erudiendo, tum sodalitate instituenda, quae negotium totum promoueret. Persuasum item feminis nobilibus; vt suam & ipsae operam, atque auctoritatem ei rei accommodent. nec tamen sine labore: cum antea negotiũ totum tanquam vile, & abiectum aspernarentur. Et quia è nobilium filijs

// et in totum

lijs nulli scholas in vrbe passim excitatas palam frequentabant, Patres eos seorsim a multitudine in sacello instituendos suscepérunt, & nunc eorum parentes mirifice laetantur teneram prolem cum vident, Christianis moribus institui, pijs monitis eruditi, Christianae fidei elementa discere, praemiolis ornari, dialogis, alijsq; id genus exercitationibus sensim ad virtutem & pietatem adolescere. Sodalitatem praeterea virorum nobilium instituerunt. Ij in aula nostri domicilij Oratorium sibi collocarunt. sacramenta in proximo aulae sacello obeunt frequenter. Opificum item Sodalicium altera in aula est ad easdē pias exercitationes institutum. Est in aedibus Episcopalibus Congregatio tertia iam pridem instituta: ad hanc de clericali disciplina sermones habuere. Ita sedem iam in hac vrbe habere Societas videtur. Monialium coenobia confessionibus virginum audiendis, & concionibus habendis multum iuuerunt. Multae enim ita perfectae religionis viam non cogitabant, vt longe ab ea exerrarent. nunc ita ad studium perfectae virtutis reuocatae; vt magna cum omnium admiratione, ij, qui illis praesunt, testentunr, pietatis ac totius disciplinae magnum esse factum incrementum. Sed magna in primis in eorum vno facta reformatio est. in quo cum singulae bonorum suorum proprietatem retinere consuessent, auditis de religiosa vita sermonibus, sponte ad vitae, victusq. communitatem sese cunctae reduxerunt. Et, vt sit perpetuum bonum, Abbatissa cum sacris matribus, multis conuentibus ea de re habitis, communi omnium suffragio se sua quaeque priuata rerum possessione abdicare, omniaq. in commune conferre decreuerunt: vt è sexaginta virginibus, duae tantum discreparint, Multam etiam fanxerunt, si qua vllo vnquam tempore aduersus hoc decretum deliquisse iudicaretur. Ac ne id vnquam reuocari posset, decretum ipsum Vi-

ca-

cario praesente, & virginibus assentiētibus solenni stipulatione publicis tabulis inscriptum. Eaq. de re communi coenobij totius nomine ad Episcopum, qui apud Imperatorem Nuncium agit Apostolicum, vt sua id auctoritate ratum, ac perpetuum esse velit, datae sunt litterae. Et nunc ea in eo coenobio est erecta disciplina; vt studio perfectae virtutis, & humanis motibus, humanaque contumacia deprimenda, etiam corporis afflictationibus, alijsq. demissionis assumendis exercitationibus, cum Societatis nostrae disciplina contendi posse videatur. Quare absens Episcopus, & cum primum nostros ibi versari accepisset, & postea saepius, maxime vero his rebus cognitis, humanitatis plenas ad nos litteras dedit: quibus & sibi, & Ecclesiae suae tantū bonum gratulatur, & nostrorum operam sibi esse gratissimam significat; hortaturq. vt diuinum negotium sedulo promoueant. Et nunc id dat operam, vt Societas firmū in ea habeat vrbe domicilium: Ipsaq. ciuitas sex viro primarios legit, qui serio huius rei procurationem suscipiant.

PROVINCIAE FRANCIAE RELIQVIAE.

IN communibus malis, in quibus tot iam annos cum vniuersa re Gallica, nostra etiam priuata versata est, proprijs etiam sumus calamitatibus appetiti. cum ad diuturnum tot annorum bellum, obsidiones, miseras fugas, famem, pestilentiam, accesserit etiam gratiae loco commune potentium odium in nostrum nomen; & rapacium hominum auiditas, nostris quantulisçunque fortunis inhiantium. Erat etiam illa caussa inuidiae, religio, & probitas; quae, saluis nobis, expugnari non facile posse videbantur: nobis exturbatis, & exterminatis, impietas, & viuendi licentia grassari. Primi duces, & antesignani ad nostrum nomen oppugnandum haeretici fuere: accessere hortatores, & adiutores catholici non boni, homines maleuoli, inuidi, ambitiosi, auari; qui partim praedam è nostris rebus, partim gloriam opinionemq. ex nostro exterminio sibi destinarant. Hi per speciem Regni tuendi, falsis rumoribus, atq. inanibus suspicionibus, non modo vrbes impleuerunt, sed ante etiam primorum animos ita occuparant; vt nullus innocentiae defensioni locus esset. Quae culpa carebant, quaeque ipsi nunquam veriti sumus profiteri, ea in crimen trahebantur: quae alij perpetrarant, nobis tribuebãtur: quae maleuoli suo quisque arbitratu comminiscebantur; ea pro veris, ac te-

ſtatis obtrudebantur: planè falſa & omnium iudicio explosa, aut accuſatorio more coaceruata, & rumoris teſtimonio confirmata, probabilia iudicabantur: aut, ſi quæ ſua ſponte corruiſſent & euanuiſſent, fallacia detecta, ea ſilentio & tenebris obruebantur. Neque tot iniurijs oppreſſis nobis, vſquam innocentiæ index miſſa vox audiebatur. Inde factum, vt ſedata qualicunque ratione communi tempeſtate, omnis pelagi fragor in paruulam noſtram cymbam incubuerit. ita communem pacem noſtrarum rerum ſtrages ſequuta eſt. Socij, ſi vnam caedem excipias, hoſtilia omnia perpeſſi ſunt, cõuicia, probra, ludibria, contumelias, carceres, exilium: vnus etiam calumnijs oppreſſus patibuli extremo ſupplicio affectus. E domo profeſſa, Collegio, domoque Probationis Pariſienſibus, & e collegiis reliquis, Rotomagenſi, Augenſi, Biturigenſi, & Niuernenſi omnes vno edicto exturbati; noſtra omnia tanquam perduellium direpta. ſatiata odia iniquorum; ſed non expleta noſtrarum rerum tenuitate fames improborũ. Centum circiter & quinquaginta Sociorum capita, quod ſeptem ijs domicilijs fere alebantur, in incertũ exilium eiecta. Tantaq. fuit illius calamitoſi temporis ruina: vt tanquam ex Variana clade, audeo dicere, ne nuncius quidem quodam modo mali tanti mitteretur. Fama tantum, Sociorum, qui inde diſiecti, tanquam ex ingenti naufragio miſeræ tabulae huc illuc appulerunt, ratione, ad aliarum gentium cognitionem peruenit. Litteræ nobis quæ rei ſeriem exponant, exhibitae nullæ ſunt: omnes tamen conſtanti, generoſoq. animo eam calamitatem pertulere; vt admirationi eſſent vel ipſis aduerſarijs. Duo ſuperſunt non modo a totius mali contagione intacta, ſed adhuc Dei beneficio, in ſuo ſtatu florentia

tia Collegia Viridunense, & Mussipontanum. Haec laeta pace fruentia, suæ operæ cursum secundo flatu tenuerunt hacq. vna specula tenemur, fore ea tanquam duo illa minuta aeris, quæ afflicta nunc prouincia mittit in dona Dei: vel duo sinapis grana; vnde aliquando seges tanta prodeat; vt latius, quam antea in his terris Societatis nomen propagetur. Horũ tãtum duorum collegiorum è florente olim, amplaq. Prouincia commentarij venerunt Quorum fructus eo laetiores esse debent, quo & aliorum acerbi casus grauiores; & pax tranquillitasq. belli tempore iucundior.

COLLEGIVM MVSSIPONTANUM.

IN Collegio Mussipontano cursum vtriusque anni seorsim persequemur. Nostrorum numerus ineunte anno ad sexaginta octo peruenit; exeunte, decade vna minor fuit. Auctus piorum numerus aedem nostram frequentantium, satis declarat, auctã in ciuitate pietatem: siquidem solennioribus diebus duodeuiginti Sacerdotes aegre excipiendis confessionibus sufficiunt. Ptæter aliquot, qui in fide vacillabant, confirmatos, hæreticus vnus est ad fidem catholicam traductus. Cum ministro Caluiniano corã viro Principe susceptа disputatio eo proceſſit; vt ille plane fateretur, Caluinum esse mendacem; qui impudentes quasdam propositiones, quas audacter assereret, minus fortiter sustineret: ageretque nostro Sacerdoti gratias, qui eam sibi ad veritatem lucem prætulisset. Vir nobilis illustri natus familia, vitæ liberioris frustra sæpius admonitus, mores vt corrigeret, nostri Sacerdotis admonitione perculsus, non

modo multis cum lacrymis accurata confessione totius ante actae vitæ maculas deterfit; sed aliam quoque vitæ exorsus rationem, ita in seipsum aspere sæuire cœpit, vt fuerit moderationis freno cohibendus. Domesticis vt vitæ totuis culpas confessione expiarent, persuasit: ab ijs etiam veniam petijt, quos offendisset, tanto humilitatis sensu; vt victi illi tam insigni documento pietatis, prouoluti in genua, vicissim ab eo lacrymabundi, ac cum genitu veniam peterent. A pellicatu mulieres quinquae reuocatae, studio maxime honestarum feminarum, quæ cum virginitatem suam Deo dicarint, id studiose admodum contendũt, quam plurimas vt eius ordinis mulierculas a vita cum militibus agenda distrahant. quas suo sumptu sustentatas, vel propinquis suis reddant, vel honesto matrimonio coniungant. Spiritualibus exercitationibus cum alij multi, tum præcipue Episcopus vnus ante quam suam lustraret dioecesim, & duorum Principum Praetorianarum cohortium duces duo exculti sunt.

A scholis belli tumultus multos auocarãt, quos maiore numero induciarum tranquillitas reduxit. ita ad mille & ducentos numerati sunt. Ex ijs vnus indigens, cum per multam aetatem calculi doloribus cruciatus esset; votiua peregrinatione concepta, quanuis obsessis adhuc itineribus, in tempus aliud votum differre cogeretur, tamen Dei benignitate sanatus est. Alij sex Societatis nostræ, quatuor Capuccinorum institutum sunt amplexi. B. Virginis Sodalitas cum Romana accepto diplomate, coniuncta; nouo etiam aucta studio pietatis; flagellorum, ciliciorum, aliarumque id genus asperitatum consuetudinem suscepit. Ex ea adolescens Societatis candidatus, cum ad parentes, vt iubebatur, de suo consilio scripsisset,

Mus-

Mussiponto e conuictorum collegio in vrbem aliam concessit. cumque inde Viridunum properaret, in itinere immissi equites eum assequuti in eandem vrbem retrahunt, & cubiculo inclusum dies aliquot custodiunt; multisque adhibitis machinis, ab ea mente studeant auocare. Sed in eo ipse diuina iuuante ope, felicior, & suos ipsius custodes, & militum Praefectum, qui in eo praesidio versabantur, in suam sententiam attraxit. est ille nihilominus, vt erat imperatum, ad parentes reductus; cum tamen in ea custodia vota Societatis ineundae emisisset. Et nunc in patria voti tenacissimus, diuino munitus auxilio, in eodem pietatis studio constanter perseuerat. Eius exemplum quindecim alios, iam ante impigre in pietatis stadio decurrentes, ita ad eadem vota inflamauit; vt illud ipsum omnes studiose flagitare non desistant, & bona sui se consequendi voti spe sustentent. Quadragesima datus est Ligniaco vrbi Ducatus Barensis Sacerdos; & Aduentu alteri eiusdem ditionis vrbi alter, qui ibi essent a concionibus. vtrobique summa gratia nostri labores excepti; cum dicerent; nos ad eas potissimum Ecclesiae partes sanandas accedere, quae ab alijs intactae relinquuntur. exusti interim multi sunt haereticorum libri. Ad opidum aliud sanctiore hebdomade profectus alius, magnos exciuit motus animorum; vt ad eum audiendum e nouem circa vicis conuenirent. In discessu omnium nomine illi actae gratiae, & munera oblata; additaque illa testificatio; ea se ex ipso audiuisse, quae sibi ad salutem necessaria sentirent; neque antea vnquam didicissent. Ad inspiciundas Ecclesias Episcopatus Metensis cum potestate a Lotharingo Cardinali e nostris Sacerdotibus missus est vnus. Sunt illa opida in diuersorum Regum, ac Principum ditione,

ac propterea quinquaginta annorum interuallo id munus intermissum, vt ne nomen quidem Visitationis esset notum. Quot hæresum sectæ interim irrepserint, conijcere difficile non est: & præter hæreses in clero vitia multa in populo summa rerum ad salutem necessariarum insciti a: in vtrisque magna diuini cultus negligentia. Reuocati primum clerici ad officium; omniaq. ex decretis Tridentinæ synodi reformata. Constituti curiones, vbi desiderabantur: absentes ad sui muneris curam reuocati: inditus clericalis ornatus ijs qui vulgari, & a profano nō absimili vtebantur. submoti ex Ecclesijs apostatæ; qui suis ordinibus desertis, in eas se intruserant. matrimonia ad formam Tridentinam reuocata, Ecclesijs suus nitor, ornatusque restitutus. extremæ vnctionis vsus multorum annorum interuallo repetitus. Fuit in eo tractu Archipresbiter, ætate iam sexagenarius. is initio acriter Visitationi aduersabatur: verum cum alijs parecijs sibi subditis inspiciundis pro munere interesset, commotus rei dignitate, & institutorum vtilitate, tanto doloris sensu, & anteactae vitae paenitudine perculsus est; vt, cum ad ipsius Ecclesiam ventum esset, abiectus in genua, palam a sua plebe, quam tam diu malo exemplo offenderat; & multis cum lacrymis veniam petierit, & meliorem se vitam exorsurum pollicitus sit; idemque rursus in conuentu Sacerdotum pari sensu pietatis fecerit. dicere postea solitus est: Nae ego patris huius aduentum, quem antea formidabamus, libenter omnium facultatum mearum iactura redemerim; totoque inspectionis tempore libenter, & iucunde cum eo versatus est. Et cum essent nostro Sacerdoti Ecclesiae in finibus Germanorum obeundae, ipse Germanicae linguae peritus; infestis itineribus a latrocinijs comitem ta-

tamen illi se adiungere; & eidem interpretis operam praestare non sibi graue duxit.

Haec priore anno: illa posteriore.

Nostrorum numerus, confluentibus ijs, qui Parisijs, alijsque collegijs eiecti solum verterant, supra modum excreuit. Scholastici enim fuere fere centum. Sed in primis admiratione digna fuit miserorum exsulum in tam afflicta fortuna constantia, & generosa in excelsis animis incommodorum omnium contemptio. Peruaserat enim rumor; Iesuitas plerosque, tam graui casu afflictos, a sua religione defecturos. neque inuitamenta & illecebrae ad flagitium tantum defuere. Exsilij incommoda, labores itineris, inopiae molestia, aerumnaeq. adolescentibus praesertim, & ijs, quorum infirma putabatur aetas, obijciebantur. Commoda patriae, diuitiae, opes, propinquitates, amicitiae ostentabantur. blãdae propinquorum, amicorumq. suasiones, precesq. speciem pietatis praeferentes adhibebantur. emolumenta, ampla congiaria, pinguia Sacerdotia proponebantur: quibus tantisper dum haec tempestas desaeuiret, saltem ad naufragium vitandum vterentur; nec se incertae, aerumnosaeq. peregrinationi, exilijq. periculis exponerent. Sed nihil tanti fuit, vt vel vnus materiam virtutis exercendae deseruerit. Ergo aucto sociorum numero, aucta est etiam opera nostrorum: ita in plures nostrae Societatis munia tributa. Missi in propinquos vicos, opidaq. remotiora multi, eos frugum manipulos, qui ex eiusmodi solent messe, reuexerunt. Ac praeter multas concionum, confessionum, aliorumq. Societatis nostrae munerum vtilitates, Saxo, claro genere ortus ab hæresi ad catholicam Ecclesiam traductus est: cuius rei vtilitas, ob familiae amplitudi-

nem, ad multos pertinebit.

Ex ijs qui scholas nostras frequentant, praecipuam pietatis, & doctrinae laudem ferunt nostri conuictores, ij praesertim, qui in Sodalicio B. Virginis conscripti sunt, quorum est pietas tanta, vt si quando aliquē a se laesum intelligant, ad illius genua abiecti, veniam petere non erubescant. sed insigniter in conuictoribus duobus Diuinae Prouidentiae bonitas eluxit. Eorum alter, nobili admodum loco natus, a prima paene pueritia magistro Caluiniano in disciplinam datus, tam alte pestiferae doctrinae virus imbiberat, vt nullas monitiones, nullas rationes ad animum admitteret. cumq; premeretur arctius argumentorum vi, nec se vlla posset ratione laqueis exsoluere, id non Caluinianae doctrinae infirmitati, sed suae imperitiae, & imbecillitati tribuendum esse asserebat. atque hoc responso argumentationes omnes eludebat. Pia demum aliorum consuetudine emollitus, & continentibus ad Deū precibus de illius salute, susceptisq; a condiscipulis afflictationibus permotus diuinitus, manus dedit. fidemque catholicam, ex forma Tridentinae synodi, coram Illustrissimo Principe Henrico Lotharingo Viridunense Episcopo, alijsque tum nostrae Societatis, tum conuictoribus professus est. tantumq. animo diuinae lucis hausit, vt nihil aeque, ac praeteritam vitam detestetur, & nunc magis ac magis in dies progreditur ad pietatem. Quin aliquando ab insigni quodam haeretico ad defectionem; & ad flagitia alia inuitatus; cum renuens acrius sollicitaretur, ita exarsit, vt non modo impudentem hominem compresserit, sed alterum quoque in fide ac retinēdo pudore vacillantem confirmauerit. Alter e Lutheri schola se studiorum caussa huc contulerat: & vt quietiore animo

sua

sua studia prosequeretur, in conuictorum contubernium se contulit, neque ita multo post in tanto pie viuentium splendore veritatis lucem aspexit, eamque sequutus est, abiurata vanitate. Et cum per Paschae ferias in patriam ad suos remeasset, multis quamuis machinis admotis neque a suscepta religione neque a consilio huc redeundi auocari potuit. Quin cum antiquum sodalem suum comperisset Lutherano magistro dantem operam, tantum apud eius parentes nostra laudãda disciplina profecit; vt quamuis Lutherani essent; ijs tamen persuaserit, vt in nostram disciplinam, atque in eundem conuictum secum mitterent.

VIRIDVNENSE COLLEGIVM.

VIginti vtroque anno in Viridunensi collegio versati sunt; & si extremo posteriore numerus est aliquanto imminutus. Priore anno circa veris initium pestilentia ciues multos extinxit: quorum fere omnium confessiones nostri exceperunt. In his extinctus etiam Illustris. Comes Nicolaus Boucherus ciuitatis Episcopus; qui tres Cardinales educarat, Guisium, Vademontanum, & Lotharingum. Is vt viuens nostrorum opera, consilioq. vsus est, ita moriens ad extremum vsque spiritum nostros sibi adesse voluit; eorundemq. manibus extrema sibi sacrorum mysteriorum auxilia praeberi. centum francos (monetae genus id est) nobis testamento legauit, & tertiam partem bibliothecae, quam habuit omni librorum genere instructam. Eius funus ab vno e nostris epitaphia oratione, & a scholis vario carminum genere, Hebraice, Graece, Latine, Gallice cohonestatum. Haeretici aliquot ad Ecclesiam recepere se

se

se: aliquot nutantes in fide confirmati. libri tum haeretici, tum ma orum fatores, & impudici, exusti quam plurimi. Ad religiosam vitam suscipiendam Virgines aliquot adiutae. Quaedam quo minus cõfiteri, posset morbo impediebatur, haec contra vim morbi connitens, confessa, & absoluta integram valetudinem recepit: suoq. exemplo duas alias aegrotantes ad confessionem faciendam excitauit, quae item non ita multo post a confessione conualuere. Aegrotis item alijs duabus, & iam plane depositis confessione expiatis suasit noster, extremam vnctionem vt peterent; qua inunctae confestim coeperunt melius habere, neque ita multo post integram recepere valetudinem. Priore anno, aestate ineunte exorta repente ventorum, & frigoris asperitas perniciem vitibus allatura videbatur. Vocatis ad nostrum templum pueris catechisticae scholae: indeq. cum pio carmine supplicatione traductis, cessante flatu ventorum, optata redijt tranquillitas.

Scholas nostras quadringenti adolescentes tum Galli, tum Germani vtroque anno frequentarunt. ex ijs Minimorum ordinem ingressus est vnus: Societatem nostram alter. Tertius cum accepisset, quantis se obijciant periculis, qui Sacerdotia, adiuncta praesertim animarum cura, vel temere ambiunt, vel collata indigni accipiunt, nulla quantumuis graui parentum, ac propinquorum offensione adduci potuit, vt amplum & fructuosum Sacerdotium susciperet: statueritq. potius rebus humanis nuncium remittere. & nunc id operam dat, vt in Societatem admittatur. quo studio vna cũ illo & alij non pauci tenentur. In quibus adolescens, viso per quietem somnio, audiuit a caelesti Iudice, seuere in multorum vitam inquirente, se propterea iudicij eripi discrimine,

ne, quod esset, humanis relictis, se in Religione Deo dicaturus; quo monito ille statim ad Societatem animum adiecit. Alij duo nullis neque blandicijs, neque minis adduci vnquam potuerunt, vt conuiuio, cui haeretici intererant, assiderent. Et cum posteriore anno exeunte Illustriss. Cardinalis Lotharingus huius ciuitatis Ecclesiam primariam esset Apostolica auctoritate inspecturus, exceptus est multis & valde speciosis argumentis a Gymnasio. erant emblemata, decora pictura illustrata; poemata diuersorum idiomatũ; e quibus compactus liber, gratum generoso Principi munus accessit. quod ipse & habet in manibus, & alijs etiam iucunda cum voluptate inspiciendum praebet. Verum cum tristi aduersus Societatem nostram Parisiensi decreto adolescentes multi à nostra reuocarentur disciplina, dici non potest, quanto cum maerore, & lachrimis auellerentur. Vnus e Rhetorum classe Catalaunum ad iureconsultum Caluinistã missus a patre, sexcentis artibus appetitus, concertationibus, altercationibus, blandis ad insidias sermonibus, cibis vetitis, alijsque molestijs permultis, cum semper veterem gladiatorem tiro ipse prosteneret; ad extremum quotidianorum pertaesus praeliorum, fuga se inde subduxit; atque ad suos se veteres retulit institutores. Sed acerba illa nostrorum proscriptio quantopere multos vere catholicos, fidosq. Societatis amicos perculerit, multi declararunt, qui patriam sibi reliquendam esse statuerunt, & vna nobiscũ exsulandum, si quod timebatur, Parisiense Senatuscos. Viridunum perferretur. Sacra virgo est Bari in vrbe Lotharingiae, quae non ita pridem, nostrorum institutione S. Claraе ordinem professa erat, haec signo haud dubie caelesti hanc Parisiensem calamitatem p̃sensit. die enim S. Ioanni Euangelistae sacro, sub tentiam

tiam noctis horam, quo tẽpore nulli licet extra cellam pedem ponere, ter sensit se non leuiter in dextero bracchio pulsari. Tum maerore tanto pectus cõpleri, caussã quamuis agnosceret nullam, vt in triduum tenere lacrymas non posset. postero die ex singulis virginibus sciscitatur; ecquae per id tempus suum cubiculum esset ingressa. nullam comperit fuisse. Paucis post diebus cognoscit nostros Parisijs illa ipsa nocte eadem hora in carcerem coniectos esse: patremque eum, quem ipsa a confessionibus habuerat, tum Parisijs degentem, vna cum alijs a satellitibus comprehensum dextero brachio fuisse pertractũ. Non absimili portento & nostris Lugdunensibus suae calamitates praemonstratae: vt Diuino numini curae esse mala nostra confidamus.

DOMVS PROBATIONIS Viridunensis.

VIginti plus minus hoc biẽnio Viridunense Tirocinium aluit, partim tirones, partim tertianos. & si nonnunquam eorum numerus est valde imminutus, dimissis de more ad studia tironibus, neque statim, ob eas quas passi sumus, calamitates, nouis suffectis in priorum locum. nam priore anno vndecim, non nisi vnum posteriore admisimus. Tantum tamen abfuit, vt vel tirones iam admissi, vel quos Diuina Bonitas ad nostrum vocauit institutum, tam aduerso calamitatum cõcursu quidquam de pristino remiserint feruore, vt & illi maiores in dies animi vires, ad asperrima quæque subeunda capiant; & ex his multi, relictis Gallicis academijs, relictis parentibus, quos Parisijs parum nobis amicos sentiebant, relicta patria, bonisq., nostrum exsilium sequuti sint. quibus

vt

vt satisfieret, cum hic ob varia incommoda non liceret, in varias Italiæ, Germaniæ, Flandriaeq. oras distribuendi fuere. Sed ex ijs, qui priore anno sunt admissi, sex Philosophiæ spatia emensi, duo biénium in Theologiæ studijs consumpserãt: triénium in Rhetoricis alij duo. vnus quadriénium in iuris prudentia addiscenda posuerat: et iam se ad causas agendas Parisijs in amplissimo concilio, quod Parlamentum vocant, comparabat: cum, mutata velificatione, alio iter intendit. Sed cum consilium suum parenti homini rigido aperuisset, viam ipse sibi obsepsit, multo difficilius expediendam; tam arcta custodia à patre circumscriptus est, vt ad illam vrbis partem, in qua nostrum est collegium adspirare non auderet. Quibus vt se molestijs expediret, condicta die Parisijs eadem qua in iudicijs vtebatur toga, ne quam apparatu vllo itineris suspicionem faceret, egressus Viridunum versus se dat in viam. Et quoniam pecuniæ, eidem vitandæ suspicioni, nihil ad viaticum sibi sumpserat, toga vendita, & reliquo ornatu in viliorem commutato, illa ipsa quam redegerat pecunia, sex dierum itinere confecto, huc ad tirocinium pedes peruenit. Re cognita, pater iure consultus non segnis nostros in ius accersit, plagijq. nomen intendit; petit sibi reddi filium. Sed, cum quod intenderat, probare crimen non valeret; & plerique iudicum ante sui consilij ab adolescente admoniti, illius causæ parum fauere viderentur (nondum enim atrox illa tempestas orta erat contra nos) petere destitit, sparso ad speciem rumore: filium iam locum suum reliquisse. qui tamen magna constantia, etiam cum litteræ darentur e Prouincia, in instituto persistebat. Inconsulto parente alius admissus erat; non destitit pater literis primum, ac nuncijs tentare animum adolescentis:

tis: deinde ipse huc profectus cognatum se esse simulans, parentem dissimulans, adolescentem per causam inuisendi conuenit. & homo militaris, violentiæ non insolens, vbi parum sensit verba, suasionesq. proficere, vim parat: saepiusq. vestem ei detrahere, aut discerpere conatus, cum tamen ille se defenderet egregie, victus tandem adolescentis constantia, ferociam posuit; desijtq. esse molestus, hoc contentus vno, vt litteris ad matrem missis, veniam, & maternam benedictionem postularet. Alij varijs modis veniam a parentibus nostram Societatem amplectendi extorserunt. vnus exemplo proposito alterius adolescentis; qui a parentibus a scholis nostris domum reuocatus, ne vexillum sequeretur Christi Iesu, quinto decimo die vitã finiuit, & suos & aliorũ terruit parentes, ne se diuinis consilijs opponerent. Huius certe vrbis ciuis, quem & vnicum, & valentem habuit filium Societatis ineundae studiosum tantum abfuit, vt vel retineret, vel impediret, vt magna voluntate ad tirocinium ipse deduxerit.

PROVINCIA AQVITANIA.

EX Aquitania anni nonagesimi quinti tantum litteræ exhibitæ sunt: triennio iam videntur quieuisse. Hoc igitur anno collegijs quinque, vna probationis domo, & residentia vna socij numerati sunt, centum sexaginta. in Tolosano collegio quinquaginta, in Ruthenési quindecim, septendecim in Auscitano, vndeuiginti in Agennensi, in Petrocorienſi viginti duo, in domo probationis septem & viginti, decem in S. Macarij residentia. Ex ijs ad superos excessere tres, ad numerum allecti hoc anno quatuordecim.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

TOlosæ diem suum obijt P. Arnaldus Saphorina, quatuor iam ante vota professus. vir integerrimo purissimoq. sensu pietatis: & cui a natura indita, non exercitatione parta videretur ipsa pietas. quinque ferme & viginti in Societate annos egerat; egregieq. munera sua exercuerat: Parisijs enim Philosophiæ ac Theologiæ scholas multos annos cũ laude explicauerat. Sed quoniam interuallo quatuor annorum Aquitanicæ res cognitioni dantur; non erit alienum minuta quædam inculcare, quæ ex intermissis proximis anni litteris minime cognosci potuerunt. Præter solénes anno toto diebus festis in templo cõ-

cio-

ciones, duo per Aduentus, & Quadrageſimæ dies in præcipuis vrbis templis frequenti concione; tresq. alij in vicinis vrbibus nō mediocri cum fructa ad populum dixerunt. Sex præterea diuerſis per vrbem locis teneram aetatem Chriſtiana doctrina imbuerūt. Ad diuinarum rerum contemplationem exerciti decem, in ijs Theologiæ profeſſor Eccleſiaſtico honore auctus: alter qui Carthuſienſium amplexus eſt inſtitutum; ac Religioſi duo, vterque concionandi munere inſignis; & eorum alter ſuo coenobio præfectus. Hi perfectæ virtutis, ac religionis ſtudioſi quinquaginta leucarum itinere huius rei cauſſa ad nos venerunt: Sed ex his duobus tantum feruoris alter animo concepit, vt a ſuo Præſide contēderit; ſibi vt annū integrū in ſuæ religionis tirocinio, inter nouicios nouiciorū more viuendi fieret poteſtas. Confeſſionū fructus vberrimus fuit, vt e remotis vrbibus bidui, ac tridui itinere aliqui ad nos, & viri inſignes confeſſionis cauſſa venerint. Homines ſex ad deſperationem fraude mali dæmonis adacti, ad ſpem erecti meliorem reſipuerunt. A turpi quæſtu adoleſcētulae duæ; alij ad modeſtiorem vitam, ſanctioresq. mores reuocati. Puerulum malus dæmon turpiſſimi felis ſpecie illudebat, interdumq. ei prope in faciem inſiliebat. hic ſacri agni aſſumpta cera, ea infeſtatione liberatus.

Scholæ auditores numerarunt hoc anno mille & ducentos, è quibus aliqui ſe ad ſacras religioſorū familias aggregarunt. Et cum rebus bello perturbatis, multi in patriam reuocarentur, illorum precibus datum videtur, vt res catholica optimo in ſtatu collocaretur. Suplicationem enim magno apparatu, & multis argumentis pietatis ad duo præcipua vrbis tēpla inſtituerunt, ea modeſtia, & pietatis ſpecie, tan-

to

to ornatu & decentia, vt omnium approbationē, & admirationem consequerentur. Duo sunt inter eos B. Virgini dicata sodalicia. habet vtrunque lectissimos è nostra iuuentute discipulos. sed quod grandioribus constat, habet praeterea multos, & iurisprudentiae studiosos, & ciues, tum virtute illustres, tum genere, & animi dotibus praestantes. Vtrique vero studiose admodum pio cultu B. Matrem prosequuntur. Sex lectissimos adolescentes vterque cetus hoc anno nostrae Societati, alios altijs familijs dedere. Et sane boni Sodales sanctissimae matris cultum sibi salutarem non raro in suis periculis experiuntur. Ex ijs vnus dum in Belgas proficiscitur, iterum & tertio ex itinere interceptus, atque in carcerem compactus, B. Virginis implorato auxilio, periculo exemptus quo pergebat, peruenit incolumis. Alteri ab haereticis exc pto septingentorum aureorum multa imponebatur; is quoque eadem Sanctissima matre opem ferente, liber tandem missus est.

Insignes Missiones per Quadragesimam ad opida diuersa duae fuere. quibus continenti, ac prope intolerando vtriuique Sacerdotis labore, (alter è collegio hoc, e domo probationis alter prodierat) incredibile est, quantum in locis nostra cultura adhuc intactis, audiendis confessionibus, concionibus habendis, & Christianae doctrinae rudimentis explicandis Christiana res promota sit. Frequens sacramētorum vsurpatio inducta, cum antea non nisi circa festum Paschæ peccata soliti essent expiare. Cerearū sacri agni imaginum tanta iniecta reuerentia; vt nulla domus fuerit, quæ non aliquo saltem sacræ ceræ fragmento donari voluerit. Sacrarum imaginum pagellis impressarum, rosariorum, aliorumq. id genus piaculorum tantum studium, vt obsitam iam desuetudi-

ne ac paene abolitam antiquam Gallicarum Eccleſiarum pietatem dicas in ijs locis reuireſcere. Flagellorum vſus tanto ardore ſuſceptus, vt ſodalicia eius religionis inſtituerentur, neque tenelli adhuc pueri, neque feminæ eius expiationis expertes eſſe vellent. Docti etiam Sacerdotes integre cõfeſſarij munus exercere: quaeſtionesq. de iure conſcientiæ explicatæ: & varijs variorum exemplorum tractatione, & in familiari ſermone, & in communi conuentu illuſtratæ. Vſuræ impudentiſſimæ repreſſæ. in opido eius ſceleris infamia inſigni Quadrageſima tota, quotidianis concionibus immanis impietatis fraudes omnes detectæ: & quid in tam crudeli iniuria, iuſtitia, quid Chriſtiani hominis officium requirat explicatum. admonitiq. confeſſarij, vt niſi nefarij illi, ſuæ nundinatores conſcientiæ deſiſtant, & perceptum inde lucrum omne redhibeant, eos ad Eccleſiæ ſacramenta non admittant. Quo factum eſt, vt multi, cum perſpecta veritate, tum reprehenſionum permoti grauitate, ſua ſponte ad officium redierint: alij, vel ſacra ſe ipſi communione in paſchate excluſerint, dulciorem pecuniam, quam Dei Regnum æſtimantes; alij exitioſa ſibi falſa pietatis ſpecie indulgentes, ad alias dioeceſes, vbi minor eſſet cura, & inſcitia peruerſior, per eos dies ſe conferrent; vt nefariam impietatem ſacrilegio etiam ſacramentorum cumularent. Quingenti circiter ciues ſaniore mente, quam ceteri, integre reſipuerunt: nefariumq. lucrum deteſtati, partim magnum pecuniæ numerum, a quibus acceperant, reddiderunt; partim, reſciſſis nefarijs contractibus, perceptos pecuniæ fetus in ſortem computarunt: multi etiam æquantibus iam ſummam penſionibus, ſyngraphas debitoribus vltro reddiderunt.

TOLO-

TOLOSANVM CLERICORUM Seminarium.

CLericorum seminarium Toloſæ a Ioioſæo Cardinali, vrbis Archiepiſcopo inſtitutum, & noſtrorum hominum curæ ad diem commiſſum, ſcriptū eſt litteris anni nonageſimi. In eo tres de noſtris degunt. Sacerdos vnus, qui rem totam adminiſtrat; & ſcholaſtici duo, qui litterarijs præſunt exercitationibus. Alumni ad ſexdecim fuere. De illorū probitate, ſtudio virtutum, indole, & ſpe bona ſcriptum eſt ijſdem litteris. hoc anno fructus colligi cœperunt: tres ad Eccleſiae cultum emiſſi, ſtatimq. alij tres in eorum locum ſuffecti. Ex ijs, qui emiſſi ſunt, vnus in vico quodam quadragenario tempore magna cum probatione omnium, & laude concionatus, acriores ſtimulos reliquis adiecit. Exercētur domi more noſtro conciunculis habendis, Dottrina Chriſtiana in templis explicanda, in noſodochijs aegrotis ſubleuādis, nec detrectant viliora domi miniſteria. ita ſpes eſt prouentus in dies amplioris.

COLLEGIVM RVTHENENSE

RVthenenſium ſtudium erga nos, an diuina noſtri tutela, illuſtrius perſpecta ſit, niſi omne datum optimum deſurſum ſit, ambiguum prope eſſet; hoc anno præſertim, quo Pariſienſi procella omnia interijſſe videbantur. Nam cum fulmen illud a Regia emiſſum in Societatem tot collegia diſieciſſet, comitijs prouincialibus Ruthenis habitis, decreta eſt ad Regem legatio, quæ ſupplici libello peteret; vt quando a Societate tot tantæq. in vrbem, ac prouinciam

vniuersam vtilitates profectæ sunt; multæq; in dies ac maiores profecturæ expectentur, eius collegium in vrbe eo esse loco pateretur, quo fuit adhuc: neue vrbem, ac prouinciam omnem eo priuari fructu vellet; qui a talium hominum doctrina & vitæ innocentia copiosior in dies proficiscitur. Quæ quoquo modo in Regia acciperentur, luculentius certe nostræ innocentiæ testimonium ab vrbe nostri amantissima esse nullum potuit. Sed haec communiter omnes. Priuatim vero singulis adolescentibus tãtus iniectus ardor pietatis, vt è Philosophica schola oẽs aut religionem, aut certe Sacerdotiũ ad vnũ cogitent, pluresq. hoc calamitosissimo, quã totis triginta annis, quibus in hac vrbe Societas versata est, diuinitus vocati, ad nostrum vitæ genus amplectendum exarserint. ita quæ illos videbatur retardare debuisse, acrius ad aerumnas nobiscum communicandas, calamitas extimulauit. Multorum quidem votis satisfactum est: alij eodem studio incensi in tempus maturius dilati. Ad vrbem quondam ab Hæreticis occupatam, sed magnã partem iam catholicis refertam Sacerdos noster profectus, tanto catholicorum studio auditus est; vt profestis etiam diebus frequentes cõuenirent: populusq. a ludis, & choreis, quæ per eos dies agitabantur, ad Dei verbum audiendum facile adducerentur

COLLEGIVM AVSCITANVM

NOn minus quam Ruthenæ, Auscia quoque nostro calamitosissimo tempore præbuit se nostri studiosam. Siquidem, perlato nuncio de Parisiensi S. C. contra nos communi omnium ordinum decreto, quidquid aliæ statuissent ciuitates, nostros omnino in vrbe retinere statuerunt. Nec defuere tamen

cassi

cassi,& inanes aliquot hæreticorum conatus, qui nostras litteras interceptas peruerse interpretãtes, apud Consules nobis negotium facessere tentarunt. sed reiectis calumnijs, veritas & innocentia suo loco steterunt.

Scholæ discipulos habent summe nostri studiosos. quod tum maxime indicarunt, cum luctuosus de nostra proscriptione nuncius perlatus eos ita perculit, vt parem doloris acerbitatem præ se ferrent, ac si eadem nobiscum naui nauigarent. tantosq. ab aduerso ventorum flatu spiritus sumpserunt; vt viginti se societatis nomina daturos profiterentur. Forte euenit, vt è candidatis vnus ingenij dotibus excellens, dum in vrbem Haereticam veniisset, audito de nostra calamitate nuncio, ita voti consequendi studio exarserit, vt statim Auscia redierit, ad rem vrgendam. & commodum sub idem tempus P. Prouincialis litteræ superuenere, quibus ille voti compos fieret. Rogatus igitur a magistro, an non dubitaret hoc difficillimo præsertim tempore nobiscum in societate tam ancipitem aleam subire: Ego vero, iniquit, cum vos iectum iri inaudissem, præsagiui animo hæresim liberrime Gallia tota grassaturã, proinde festinaui, ne opportunitate excluderer, calamitatis tempus anteuertere; quocumque terrarum mitteremini paratus vestra signa sequi; ac vobiscum vna vitam vel fundere vel seruare. Admissi & alij duo, cum superiori pares, tum ea inter se similitudine (gemelli enim sunt) vt iucundo errore alter pro altero accipiatur: nec nisi lõga die ac diligẽti obseruatione idq. aegre inter vtrũq. discrimina notẽtur. Alios duos superiore anno scripsere (sed non comparent litteræ, commemorantur tãtum) nostris a Caluiniano patre in disciplinã datos esse, ij quantum in catholica religione, & pietate vera

profecerint, hoc anno a patre in patriâ vocati declararunt. siquidem adduci nunquam potuerunt, vt ad hæreticum audiendum concionatorem irent. semel vi pertracti, tempus inter se B. Virginis laudes decantando, traduxerunt. ita inter tot impuras voces, nefariam psalmodiam proclamantium, duæ sinceræ animulæ purissimo ore sanctissimam matrem collaudabant. Eorum natu minor, rogatus a patre, an vellet, ætate accedente, Ministri fungi munere: Sane inquit, si in Ecclesia catholica, Apostolica Romana. Alter vt paullo ætate grandior, ita etiam viuidiore indole cum a P. Prouinciali contenderet, vt in Societatem admitteretur, paterq. illi pusilli corporis breuitatem objceret: certamq. mensuram proponeret, ad quam excresceret; tum voti compotem futurum: festiua simplicitate promisit se vnius anni spatio eam mensuram impleturum. interim non vulgaria insignis pietatis signa edere non cessat. Nam monitore nullo mendicos domum subinde intromittit; eosq. pedes exosculatus eleemosina donatos dimittit. Quantū vero in litteris iuuentus vniuersa proficiat in ingressu in vrbem Episcopi & P. Prouincialis aduentu scriptorum multitudine ac varietate, cum quatuor eos linguis salutassent ac pro viribus ornare contendissent, docuerunt.

Quod ad rem attinet spiritualem, ijdem qui ex locis aliis noti sunt, fructus pietatis constitere. Illud minus frequens: magicæ chartæ, & damnatæ superstitionis igni traditæ. Excursum est tum Quadragenario ieiunio, tum aliis anni temporibus in vicinas vrbes, & opida. in quibus puerilem catechismi institutionē patres familias vt rem nouam mirabantur & laudabant. Pii per ea loca libri multi distributi, tum qui ad institutionem sacerdotum, iuraq. explicanda conscientiæ

scientiæ sunt vtiles, comparati; & ipsi Sacerdotes eruditi. Sed inolita multa, & grauia vitia tollendi nullus prope finis fuit; ex multis vnum aut alterum proponam. ad aegrotos toto eo tempore, quod inter Pascha & Pentecosten intercedit, sacrum viaticum ferendi nullus vsus erat: reliquo anni tempore sacrum Christi corpus iis tantum adorandum ferebatur, nulla cibi cælestis communicatione. Haec, errore confutato, Dei beneficio emendata omnia. Fenebres quæstus, & illegitimi contractus resciſſi. omnibus demum expurgatis, legitimi cultus introducti, quos tam inculta sylua desiderare posse videbatur.

COLLGIVM AGENNENSE.

EST multis partibus hic Aquitanicus tractus hæresis tabe corruptus. inde factum, vt peregre multas Agennenses socii cum hæreticis susceperint concertationes, magna cum rei catholicæ gloria, & ministrorum ignominia. In vrbe ab Agenno dissita Vir est non modo Princeps inter suos; sed sua quoque pietate magnũ in eo tractu catholicæ religionis propugnaculum. Hic è nostris Agenno vnum accersit, ad garrulorum ministrorum audacem loquacitatem retũdendam; qui ipsius sibi coniugem suis deliramẽtis, ineptisq. argutiis ita infatuarant, vt pæne peruerterint. Sed quo tempore nunciatum est nostrum in eam vrbem introisse, præclarus ille noui assertor euãgelii, qui matronæ catechizandæ negotium susceperat, magnus ardelio inter feminas, strenuus tergiuersator inter viros loco sibi cauit; domoq. profugiens clam se periculo subduxit. Id hæretici indigne ferentes, in alieno periculo audaces, archiministrum adeunt: petunt per sui euangelii dignitatem, ne Iesuitã

de conceſſa ſibi victoria, ſine puluere & ſanguine triumphare patiatur. Is pudore victus, & ſuorum contentione tandem motus cum lucifuga miniſtro adeſt: ſiſtunt ſe ambo ad aedes viri nobilis. eo ingens confluxerat nobilium caterua. dies diſputationi dicitur in craſtinum, optio datur hæreticis a noſtro, de qua re ipſi diſputari velint, & vtras ipſi partes ſuſtinere, rogantiſne, an reſpondentis. Illi vt tutiores reſpondentis elegerunt. Quæſtionem poſuerunt de Eccleſia Romana; verane eſſet Eccleſia. Poſtridie bene mane, vt ad ſpeciem ſaltem, ſimularent confidentiam, apparent miniſtri duo, multis inſtructi libris, tum Græcis tum latinis, ſic vt magnam præ ſe ferrét, ſapientiam. Diſputatur duos dies eo euentu, vt recreatis catholicis ſuſcepti certaminis hæreticos puduerit. Aduocarunt illi ſibi tertium, qui opem ferret iam proſtratis. Sed inter ranunculos inflare quidé ille buccas potuit, ſtragem vero ſuorum magni animantis veſtigio detritorum reſtituere non potuit. Quare primo ſtatim congreſſu, abiectis haſtis ita inde ſe proripuit, vt in profluentem ſe demerſurus videretur. Noſter illis conuictis, ne qua veritati mendaciorum caligo offunderetur, & vt materiam relinqueret blateronibus, ſi vellent, reſpondendi, totam diſputationem litteris mandandam tabellionibus pluribus cótinenti quatuor horarum opera dictauit. Duo mirifice vel hæretici ipſi in noſtro homine laudarunt, doctrinæ copiam, ac firmitudinem; & in diſputando modeſtiam, humanitatemq. Inde factum, vt qui noſtros homines, antea ſibi ignotos monſtra quædã eſſe exiſtimarant; nunc & homines & perhumanos eſſe intelligerent. Et ſane miniſtrorum arte ea de nobis inoleuit opinio: nos genus eſſe humano multo nequius; neque alia ratione ſubdoli homines a ſuis vin-

demijs

demijs arcere valent tempestatem. Quæsiuit à Prætore vrbis cuiusdam vnus e nostris, cur cum bellicis tumultibus edixisset abstineri ab iniuria religiosorum, Iesuitas excepisset: Quia, inquit, Religiosos esse homines; Iesuitas vero non homines, sed hominum portenta nostrorum ministrorum testimonio acceperam. facile autem illis fuit, mihi, qui vestrum neminem antea videram, imponere. Per vrbem hæreticam cuidam è nostris iter facienti, obuiam se effudit ciuitas pæne vniuersa. a primario vrbis consule proposita ei quæstio est: cui ex tẽpore ita cumulatè satisfecit; vt publice illi gratiæ agerentur; & beneuolentiæ declarãdae idem consul prætergressum vrbem ad vicum proximum prosequeretur. Alius, vt videtur, audaculus, ac semirusticus vt omnia non ignorare videretur, quaestionem eidem ex itinere latine proposuit. latine itẽ. noster: Si tibi, inquit, satisfacio, spõdes ne te tuam hæresim abiecturum? asseueranter ille, inquit, spondeo. at hoc ipsum, noster inquit, vernaculo sermone cunctis audiẽtibus testare. id cum renuisset, latine tamen est illi ita satisfactum, vt obmutesceret, & vt elinguis & amens a circunstantibus exsibilaretur. In vrbe maximam partem hæreticis referta semel & iterum noster concionatus ita gratus fuit omnibus, vt ipsi ministri eum ad diutius manendum, inuitarent. In alijs vrbibus hæreticis, catholicorum, qui in ijs versantur, inuitatu, magna attẽtione, & studio a magna catholicorum frequentia sunt auditi. Hæreticiq. non nulli sunt ad Ecclesiam adiuncti. Hæc peregre.

In vrbe nostrorum concionibus perfectum, vt cũ de Ecclesia catholica sermo habeatur, eadem Romana nominetur: nam sensim consuetudo obrepebat, vt, siqui catholicam Ecclesiam Romanam diceret,

prope

prope errare videretur, ac pæne reprehenderetur. Ita de potestate clauium, & Romani Pontificis autoritate disputatum, vt è media concione quidam, Deo Laudes, exclamarit, qui dicenti eam mentem dedit, vt doceret Ecclesiam catholicam Romanam esse nominandam.

Parthenij vtriusque sodalicij pietas in præstanda aegris opera in nosodochijs, alijsq. pijs muneribus obeundis, ciuitati admirationi est: vt multi in eorum alterutrum optent adscribi. Apoplexia quidam occupatus in extremo spiritu, linguæ iam vsu destitutus, illud tamen intermortuis vocibus proferre nisus potuit: Commendate me precibus Sodalium B. Virginis. Potest vnius aut alterius non leue pietatis exéplum tradi litteris. Grauem iniuriam vnus e Sodalibus ab alio acceperat. quem cum aegrotare accepisset, vltro adit, pristinam resarcit amicitiam, solatur amabiliter: itaq. ab eo discessit, ut omnia veræ illi deferret amicitiæ officia. Alter quotquot habuit indusia pauperibus distribuerat. vnum etiam quod sibi reliquum fecerat, vt inopi daret, sibi detrahebat: sed certorum interuentu hominum prohibitus, incepto destitit. Hic tanto subleuandæ ac fouendæ paupertatis Christiana doctrina mendicantis plebis imbuendæ studio tenetur; vt Pater pauperum vulgo nominetur.

COLLEGIVM PETROcorienſe.

PEtracorij arctissima annonæ caritate laboratum est præsertim mense Maio. quo factum est, vt non in vrbe solum inopes inedia deficerent; sed extra muros etiam ingens aduenarum multitudo morbo, morborumq. omnium deterrima fame tabescentium

tum afflicta iaceret. Nostrorum concionibus, priuatisq. admonitionibus permoti magistratus in totū illum, sequentemq. mensem ciuitati viritim, pro cuiusq. facultate certā pensionem imperarunt. Neque expers huius exercendae caritatis nostrum collegium fuit. siquidem magno quotidie numero egentium, cibaria subministrauit. Neque corporibus modo, sed multo etiam magis animabus opem tulere. nam praeter vsitata multos a desperatione reuocārunt. Domi nostrae Religiosi duo è reformata Franciscanorum familia ad diuinas meditationes exercitati multos ex suis ad studium idem excitarunt. qui omnes mirum, quantum ad obedientiam, ceteraſq. virtutes ardorem assumpserint. noua enim & incredibili alacritate ad vilissima quaeque ministeria domi se abijciebant. Duabus opportune mulieribus, quas mirae diaboli praestigiae eluserant subuentum. Domus erat ante multos annos ignotis subinde terroribus infesta. inferni spiritus tandem prodiere, ac nutricem ex ea domo ita infestare coeperunt; vt vbicunque illa esset coniectu lapidum eam terrerent; tanto fragore, vt a domesticis ictus audirentur, & lapides etiam deprehenderentur. & eius infestationis non domestici tantum, sed & alij, & nostri etiam adhibiti spectatores, & testes accessere. Tandem nostrorum monitu, muliere sacramentis expiata, & domo exorcismis rite expurgata omnis prorsus conquieuit malorum spirituum infestatio. Rusticanam aliam mulierem non ita longe ab vrbe daemon, mortui Sacerdotis obiecta vmbra, in spem ingentis thesauri illexerat; ea impositā lege, vt magnum sacrificiorum numerum suae expiandae animae Sacerdotibus indiceret. Credula mulier locum vbi infossus thesaurus lateret indicari sibi postulat. Locum non modo indicatum mulier

agno-

agnoscit, sed pecuniam etiam ingentem argenteam, aureamq. ad mille pondo ipsa explorato supputarat. Rogat maritum fundum aliquem vt emat: sibi ad quantumcunque pretium pecuniam suppetere. Non sane credere maritus muliebri stultitiae. illa suae spei certa non desinit esse molesta. sex ipsos annos bellum continuauit. Fatigatus tandem coniugis importunitate vir, cum homine locuplete de certi praedij pretio decidit. iubet vxorem thesaurum proferre. Laeta mulier, quae se iam Reginam fore spem praeceperat, pecuniae sacculos ad maritum fascinata deferre sibi videbatur. excussis sacculis, paleae, scruta, vilissimaeq. sordes tantum apparuere. Sed quod mirere magis, & cum risu diabolicas fallacias agnoscas, tanta erat muliebri menti praestigiarum offusa caligo; vt cum maritus se delusum cerneret, mulier tamen argenteos, aureosq. numos se numerare affirmaret. inde orta inter vtrunque altercatio, maritus fremere pro pecunia sibi obtrusas, res vilissimas ac reiectaneas; mulieris amentiã obiurgare, grauiter nec scire quib⁹ acta intẽperijs, ea quae manu cõtrectaret, ipsa non agnoscere: mulier mariti asperã peruersitatem accusare, suam miseriam dolore, quod tantum tamq. praesens commodum inops & rusticus aspernaretur. ita alter alterum insanum ratus irritabatur donec, sensim euanescente fascinatione, mulier quasi ex insomnio experrecta, omni errore liberata est. Tum illa tam ridicule se delusam sentiens ingenti aureorum montium spe deiecta, & tanta, tamq subita fortunae mutatione perculsa, in tantum maerorem deuenit; vt, inedia tabescens, se ipsa vita priuare decreuerit. Sed ad nostros deducta, sacramentis confirmata opportunisq. documentis instructa, omni maerore, & stygia fallacia, multo quam prior

fuerat

fuerat pernicioſiore iterum liberata, priſtino mentis corporiſq. vigori reſtituitur. Quid ſibi his ludibrijs callidus veterator quaefierit, quis conijciat?

Scholas habemus pro malis tèporum nõ infrequẽtes. quadringentos recenſent auditores, eſſentq. longe plures, niſi annonæ caritas inopes belli pericula aduenas acceſſu ſcholarum prohiberent. Ex ijs tamẽ tres ad noſtrum admiſſi tirocinium, duo Philoſophiæ, tertius Rhetoricæ ſtudioſus, bonam de ſe expectationem concitarunt. alij in tempus differuntur opportunius.

Suſceptæ diuerſis tẽporibus excurſiones variæ eos qui ex alijs ſolent fructus meſſuerunt. In opido tribus leucis hinc diſſito cum hæreticorum impietas, tũ hoſtiles excurſiones multa damna intulerant. miſſus eo noſter Sacerdos vſitatis Societatis miniſterijs opem tulit valde opportunam, multis inde incõmodis ſublatis ingentem quendam terræ tractum Petrocorio decem milliariis ferme diſtantem ſæua procellarum tempeſtas, horribili admiſta grandine, ingenti omnino calamitate affecerat deletæ ſegetes, verberatæ vuiſq. decuſſæ vineæ, frugiferæ arbores quaſſatæ: maerentes afflictiq. coloni. Huc Petrocorienſi ciuis rogatu profecti noſtri, ad incolas ſpe in Diuinã Prouidentiam conijcienda leuandos, incredibili multorum opidorum, vicorumq. ſtudio excepti ſunt. vt ad eos audiendos etiam profeſtis diebus magna frequentia confluerent. Hæretici quoque non inuiti eos audiebant. ex ijs duo non clam, vt ali, & caute, ſed propalam illorum interfuere concioni. itaq. noſtrorum diſputatione afficiebãtur, vt non longe a ſui erroris deteſtatione abeſſe crederentur. Sed elapſa dies peregrinationi præfinita noſtros ante quam pagi vniuerſi vota implerentur, ad collegium reuocauit.

Per

Per eos dies quibus nostri ibi versabantur texi tela cœpta est, ambigui admodum exitus:, & haud dubie, nisi obuiam iretur, pernicioſi. Puellæ rusticanæ in agro amissam bouem quaeritanti, & præ sollicitudine ploranti puellari ornatu Virginis species obiecta est, quæ se Dei matrem esse diceret. amissam bouem primum coram sistit, deinde suis iubet nunciare popularibus; bono animo sint, sibi curae esse annonæ damna, tempestatibus illata restituere. pietatem modo colant summo stodio: certas præscribit supplicationes, & magno Deum sacrificiorum numero propiciari. Hactenus omnia recte præcipi atque omni fraudis suspicione libera videntur. Verum, vt dictis fidem faceret, crucem purpuream dextero illi cruri imprimit. Praescripta piacula magno populi concursu, religioneq. obeuntur. Sed, cum placuisset, rem omnem de puella ipsa nostros homines cognoscere: interrogata tristis, & attonitae similis trepide admodum respondit. ita ex vultus, sermoniſq. inconstantia doli aliquid subesse suspicari coeptũ est. accedebat quod cruri impressa crux, quam multi ante explorate perspexerãt, pridie quam puella in nostrorum colloquiũ veniret, apparere desierat. Quare non esse inani speciei fidem habendam nostri monuere, multa licet pie, sancteq. praecipi videantur. has esse veteratoris artes, specie pietatis in fraudem incautos illicere. Vera pietate, & certa in Deum fiducia nitantur: antiquam religionem sancte colant: noua, peregrinaq. miracula suspecta habeant. Libentibus omniũ animis accepta monita, & qualicunque exordio contexta, sanniore consilio recisa tela est.

DO-

DOMVS PROBATIONIS Tolosana.

IN domo probationis Tolosana insigni pietate adolescens in ipso obijt Probationis limine. cuius funeri dum eiusdem ciuitatis adolescens interest sui ciuis explendae vicis votum concipit. votiq. eiusdem breui compos factus est. Aliquorum vocatio vehementer oppugnata, magna animi firmitudine stetit immota. Exercitata, seu potius aucta, & corroborata est nobilis adolescentis constantia. Hic sesquiannum in sua petitione perseuerauit: ad extremum id responsi tulit: non alia condicione admissum iri, nisi a patre commeatu impetrato. Ad eius genua filius aduolutus, per quidquid diuinarum, humanarumq. rerum illi cordi esset, obtestatur; vt sibi potestatem faciat, ad Christi vexillum aduolandi; non modo nihil impetrat, sed graui etiam comminatione patrem de ea re vltra interpellare prohibetur. Hac spe deiectus, vt est caeleste studium impatiens, in aestuantem animum iniectum, consilium init parum prudens; sed excessu pietatis imprudentia laudanda. Clam cum mendico cultioribus mutatis indumentis, luto fedata facie, sorditatus ex patria iter Tolosam capit. nondum longe processerat, cum hac illac dimissi equites, peditesq. iter facientem assequuntur. sed squalore & sordibus totius corporis, habituq. perscrutantium fallentibus obtutum; ac ne inter sordes eluceret vultus ingenuitas summa industria deformata facie, & balbutie egregie adsimulata, agnitus non est. Ipse tamen sui cepti postmodum considerans leuitatem; cum intelligeret, quidquid ageret, patre non probante, irritum

tum futurum, consilio omisso redijt in patriam; & amita femina religiosa deprecante, cum parente redijt in gratiam. Sed tanta fuit in adolescente dexteritas, vt à patre illud impetraret, se vt Tolosam studiorum caussa deduceret, & patribus coram commendaret. Tolosae absente patre, non destitit suam petitionem vrgere, quoad sexto demum mense voti compos factus est. Aduolat confestim pater: filium repetit. Non erat operae pretium contra tendere: redditur patri filius: eum secum in patriam asportat. Conatur ab ea mente auocare: nihil proficit. Quin contra filij mansuetudine & pietate emollitus, coepit sensim mitescere: donec tandem, eius victus precibus, manus dedit; iterumq. Tolosam reductum patribus summa cum omnium admiratione, paterna etiã adiuncta fausta comprecatione, Deo in Societate in holocaustum dicauit. Alius, qui primis annis studijs alijs intentus, adultiore iam ætate ad studia litterarũ se transtulerat, & iam ijs decursis Philosophiæ studia emensus erat, Parisijs Societatem cogitarat: sed turbatis ibi rebus, voti compos fieri non potuit. Romã cogitantem itinera latrocinijs infesta terruerunt. Tolosam venit. Ibi cum probandæ constantiæ vota differrentur, a duobus nobilibus fratribus ad castellũ propter flumen situm inuitatur. iter aduerso flumine faciebant; cimba, qua vehebantur, remulco trahebatur. e duobus fratribus alter lenti pertaesus itineris, vna cum hospite, Societatis candidato exscendit, iter per ripã capessunt; cũ ecce tibi rupto fune cimba cum omnibus, qui intus erant, torrente flumine auecta demergitur. Rumor confestim Tolosam perfertur, omnes interjisse. Rati Patres etiam Parisiensẽ, vt nunciabatur, eandem calamitatem subijsse, indoluere non illud præuertisse infortunium. Sed P. Pro-

uinci-

uincialis, omnibus maerore occupatis, nouo quodam instinctu, quasi praesagiret aliquid, statuit, si ipsum saluum incolumemq. recipiat confestim ad tirocinium admittere. Redijt ille omnibus mirantibus, & illo ipso die gratijs actis summo numini, ac caelitibus, magna omnium gratulatione ad tironum contubernium admittitur.

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

FAX eadé perſequutionis Lugdunẽſem quoque prouinciam inuaſit; eoq. funeſtior, quo iniuſtior: & nulla ſaltem aequitatis ſpecie vmbraue perfidiã impietatemq. obtegẽte. Nam etſi Pariſienſes ſuum in nos impetum, impreſſionemq. aliquo quamuis falſae cauſſae velamento obtegere conati ſunt: Lugdunenſes tamen furoris ſui contra nos cauſſam nullam, niſi inſanas vulgi motiones obtenderunt.

Sed quoniam pleraque poſteriore anno contigere, antequam ad hanc tragoediam veniamus, illa prius perſequemur, quae vtroque anno a tumultu, & populari iniuria integra fuere. Numerauit igitur Prouincia Lugdunenſis nouem domicilijs priore anno Socios ducentos quinquaginta ſex: totidem ferme poſteriore, tribus detractis. In Collegio Lugdunenſi quinquaginta octo prius; cum inde diſceſſum eſt, quadraginta tres: in Turnonenſi viginti quinque, tres annus poſterior adiecit: in Billomenſi duos & viginti, antequam ſolutum eſt: cum inde eijcerentur, vndeuiginti fuere: in Camberienſi ſeptemdecim priore anno; his tres poſterior adiecit: in Auenionenſi vnum & viginti; poſtmodum triginta quinque: in Diuionenſi viginti duos; cum inde iuſſi ſunt abire vndeuiginti:

ginti: in Dolano quadraginta quinque prius; postea tribus pauciores: in Anicienſi vtroque anno duodeuiginti: in domo probationis Auenionenſi viginti octo: posteriore anno vno plures. E viuis priore anno exceſſere ſex, admiſſi duodecim: posteriore tres imminuere numerum, auxere quatuordecim: ſed in alias terras tanquam in exilium dimiſſi ſeptem & viginti.

LVGDVNENSE, ET TVRNONENSE Collegia.

DE Lugdunenſi Collegio illud vniuerſe dici poteſt: omnia Societatis noſtrae munia, conciones celebrioribus locis, catecheſes in pagis, ſacramentorum adminiſtrationem, hoſpitalium domorum, & carceris luſtrationem, ſcholarum exercitationes, & ſi quae ſunt alia noſtri muneris, eſſe ad illum vſque diem, qui nobis commorationis poſtremus, exſilij primus fuit, inter innumeras difficultates, & pericula, intrepide, ac ſtrenue adminiſtrata. Quae in jis narratu digna euenere, ea magnitudine calamitatum obruta praetereuntur, nec quidquam magnopere praeter extremum illud malum ſcribendum eſſe viſum eſt.

Diuina ope primum, tum Illuſtriſſimi Comitis Turnonij, aliorumque, & potentia, & auctoritate factum eſt, vt Turnonenſe Collegium a communi calamitate integrum intactumq. ſteterit ad hanc diem. Sed opinor primum διαγγελια, quae cum calamitate ſunt coniuncta, in ſuum locum differantur.

Turnonenſes ſcholae ſupra quingentos habent auditores: eorum bona pars haereticis nati parentibus,

quibus aut inuitis, aut certe conniuentibus ex varijs circa locis in noſtram conuenere diſciplinam, & meliorem edocti pietatem, quam domeſtica hauſere inſtitutione, errorem eiecere, tantoq. odio in haereſim exardent; vt non modo magiſtros aſpernentur haereſum; ſed quotieſcunque eorum libros nanciſcuntur, eos ad nos deferant exurendos. Fidem, cum per intermiſſiones redeunt ad ſuos, doctrinae hauſtae firmitate, doctorum ſuorum eludunt leuitatem, ita vt quorundam ex ijs infirmi illi Doctores congreſſum reformident. ac bene ſaepe etiam parentes ad Eccleſiam adducunt. Sodalitas etiam B. Virginis reddit fructus ſuos; nam praeter vſitatas pietatis exercitationes, quibus admirationi ſunt etiam vicinis ciuitatibus, quatuor priore anno Societatem noſtram iniuerunt: tres ad alias ſe religiones contulere. Sed ex excurſionibus longe plurimi fructus reportati. Ieiunij quadragenarij, ſanctioribuſq. alijs anni temporibus è noſtris multi vicinos montes, valleſq. ac fertiles planicies, in quibus opida, & multa, & frequentia, tum crebri vici adiuere: Societatis munia, in primis ſacramenta, catechiſmum, diuiniq. verbi ſemen circumferentes. Illud vniuerſe dici ſat eſt: paganorum animis tantum diuinarum rerum ardorem iniectum eſſe; vt quocunque audiſſent noſtrũ aliquem veniſſe, eo a tribus, quatuorue leucis per niuium algorem, & montium aſperitatem ieiuni incredibili numero confluerent: ita vt ſeptingenti plerumq. numerarentur: ſacriſq. myſterijs corroborati, ieiuni plerique ad ſua tuguria redirent. Cum vero diebus profeſtis noſtri aliquo peruenirent, qui in opere ruſtico verſabantur, ſtatim audito ſigno, relicto opere ex agro in opidum, ſeu vicum ad diuinum audien-

audiendum verbum conuolabant. Haec de rusticis vniuerse. Ijsdem peregrinationibus Sacerdos vnus nobilium castella percurrit: nobiles duodecim familias totas sacramentis communiuit. In vrbe haeretica vir vnus est catholicus. is, alijq. multi ex vrbe alia, in qua per triginta annos Sacerdotem vix semel viderant, ad nostros, qui circa oberrabant, se contulerunt: vt se sacramentis obarmarent. Aliqui bona Ecclesiastica aliquandiu possederant: perfecere nostri, vt illa restituerent: ac dato chirographo, se obligarent, ex ijs, quos iniuste fructus perceperant, templa, quae haeretici destruxerant, restituturos. Mulieres ab impudica vita reuocatae. In ijs quaedam incubo demoni, se quasi matrimonio coniugarat, neque à se ante nefarium coniugem potuit abigere, quã culparum confessione rite conscientiam expiauit. Ab exercendis magicis cantionibus reuocatus alius: inductusq. vt dirorum carminum librum, quem dimidiata bonorum suorum parte se diceret habere cariorem, incendio concremaret. Sed in primis praeclare cum haereticis opera posita. Ex ijs duodetriginta corroboratam iam maxima aetatis parte haeresim eiecerunt. Et est illa communis omnium opinio; illud nobis testimonium dat hominum sermo; vniuersum hunc Allobrogum tractum, oramq. Viuarienſium, haeretica olim corruptam prauitate, multis catholicis opidis, & ciuitatibus Turnonensis Collegij studio, & labore abundare. Nobilis certe ciuitas vix antea ciues quadraginta dabat concioni, aptum nempe solum, & subactum ad satus haeresum excipiendos: haec nunc nostrorum excursionibus obita, culta laboribus, sex hominum millibus implet concionem. In ea templum ingens magno studio

haereticorum superioribus annis disturbatum, hoc anno restitutum est, & sacris vsibus accommodatum. Honestum aliud opidum haeretica labe deprauatum, non ita multo pridē vix quadraginta familias catholicas alebat: id nunc vix totidem numerat haereticas: vt exemplū illud sanctissimi Episcopi Neocaesareensis renouatum videamus. Tanta est in his locis de Societate existimatio; vt omnes omniū ordinum homines passim nullam aliam suae religionis reddant rationem, quam ita sentire Turnonenses Iesuitas: quasi nefas sit, tam bonis ducibus, aberrare ab itinere. Quin etiam in colloquijs cum catholicis haeretici ipsi nostram se aiunt integritatem admirari, doctrinam probare: eaq. si initio vulgata esset, non tot errorum pestes regnaturas. Vrgentibus vero catholicis; illam cur non amplectantur: obmutescunt. Nostrorum tamen frequentant conciones, licet certo sciāt, & nobis etiam denuncient futurum, vt a suis ministris, si Diuis placet, excommunicentur. ita & suam contemnunt vanitatem, neque idcirco perspectam, & probatam amplectuntur veritatem. Nuper ex his vnus, quos vulgo superuigilantes nominant; quorum munus est, ministrorum, aliorumq. praesidum invigilare curae; cum a ministro palam in concione, quod nostrum concionantē audiuisset, asperius obiurgatetur, magna animi praesentia respondit: Este vos ea vitae integritate, & firmitate doctrinae, qua illi sunt; tum vos, quam illos, audiam libentius. Semper ego quoties facultas fuerit, libentissimo animo eorum frequentabo conciones. Omnino comparati animi sunt ad veritatis lucem intuendam: sed vrbanis praepediti occupationibus, assidui vt opus esset, in continenti opere esse non possumus. Subsecuis tantum

tum temporibus dantur subinde in eorum fines excursiones. Vrit impietatis magistros haec de nobis existimatio; eamq. omnibus machinis euertere conantur. Sed gigantes (nisi siquis eos dixerit pumiliones) caelo bellum mouent: non tam enim bonos nacta defensores, quam ipsa per se causa bona est, & insuperabilis. Nuper in magna vtriusque sectae corona, suscepta disputatione, minister inter haereticos magni nominis a nostro sacerdote ita perstrictus est, vt suorum etiam iudicio conuictus iudicaretur. Statuit is tenebricosa saltem, ac fucata aliqua victoria tanquam in scena, persona adsimulata, eam ignominiam delere. Ergo, vt se tanquam helleboro purgaret; in opidum alterum concessit, quo nostros nunquam putauit peruenturos. Multos ab omnibus circa opidis, ac populis inuitat in certam diem: ea die se cum Iesuita congressurum; omnem illorum infucatam eruditionem euersurum. Manabat clandestinus tamen rumor, & ad solos haereticos, qui rem tacitam habebant, perflabatur, sed ita, vt aliqui catholici persenserint. Forte per id tempus duo de nostris Valentiam Turnonensis tractus vrbē missi erant. eorum alter cum in propinquum de more excurrisset opidum, de parocho opidi alterius, in quod futurus vmbratilis indicebatur congressus, qui forte eo venerant, cognoscit ministrum quendam ibi proxime in Iesuitam pro concione plus nimio debacchatum, ac se omni contentione comparare, ad Iesuitarum doctrinam fortiter refutandam; & commodū noster in diem Dominicum à catholicis eiusdem opidi concionis gratia inuitabatur.

Eo profectus concione habita, mittit qui suis verbis glorioſum concionatorem ad certamē palam in-

eundum inuitent, quod clam ipse adornarat. Cohorruit ille, audito Iesuitae nomine: vnde ad eum sua consilia manasse nt miratus; & qui ne cum Argeo quidem Iesuitae congredi auderet, perfricta fronte, forti impudentia certamen detrectauit. se cũ eo scriptis (magnum dixeris alterum Platonem) pugnaturum. proinde, si nulla alia causa veniisset, posse iam inde facessere. Noster haeretici fractam ratus contumaciam: eodem Dominico die Valentiam, posteroq. Turnonem repedabat. Haeretici rati nostros totius sui ignaros apparatus, Turnoni quieturos, feroces aduersus absentem hostem, omni, qua possunt, cura, triumphi sui scenam adornare contendunt: omnibus circa locis haereticos ad congressum cum Iesuita spectandum exciunt. Sed ecce tibi, dum noster Turnonem redit, in opidum, cui Romano nomen est, suae missionis exercendae causa diuertit. Ibi ex amicis cognoscit, se in posterum diem ad congrediendum cum ministris in idem opidum, vnde discesserat, expectari. Fidem dictis faciebant: quod quidquid catholicorum, haereticorumq. alicuius nominis in eo tractu esset, eo conuenturum esse asseuerabant. proinde videret, ne ipsius vel absentia, vel mora labes aliqua Societati, aut catholico nomini adhaerescceret. Noster etsi pridie ab se illum inuitatum, certamen renuisse testaretur; tamen non ignarus artis haereticorum, ne sua absentia ad inanẽ iactantiam, & credulae multitudinis fraudem inimici vterentur, statuit eo reuerti. Misso igitur, qui Valentiae rem significaret, primoresq. ad certamen spectandum inuitaret, proxima luce leucarum quatuor itinere ad pugnae locum se confert. Mittuntur, qui ministris, Iesuitam praesto esse significent, homi-

nes

nes honestissimi; eosq. cum velint, in arenam iubeant descendere. Obstupuere exanimes, his auditis, haeretici; tam semper in tempore interesse importunum hospitem. ac primo quidem haerere, mox resumptis animis, eadem qua nudius tertius oris duritia congressionem despondere: negare ab se vnquã Iesuitas lacessitos: illi contra tot vndique hominum, eorum accitu coactorum tendere concursum: auidissimum omnium ordinum, quam ipsi excitassent tantae concertationis expectationem proponere: sempiternam infamiam, quam adituri essent, si recusent, obijcere: non debere eos suae caussae praeuaricari: & omnem suam, totiusq. sectae dignitatem tam ignauiter peruertere. Haec tum catholici, tum haeretici fremebant. His tandem victi vocibus ministri, freti praesertim audacia linguae, & ignauiae notis diuerticulis, trahi se sinunt in arenam. Locus certamini statuitur templum satis amplum, solum tanti spectaculi theatrum capacissimum. Venitur ad manus: trahitur certamen in sex horas: lingua feroces, doctrina imbecilles extrahuntur è latibulis: aditusq. illis ad nota diuerticula obstruuntur, tum firmissimorum argumentorum telis, & sacrorum scriptorum testimonijs agitantur; sursum deorsum versantur: illi vociferari; miscere, strepitu, vocibusq. omnia complere: & vt ferae validis innexae retibus; quo magis se exuere conantur, eo se magis induunt in laqueos. Conuicta tandem Deo aspirante, & compressa loquacium audacia: & qui in scena se triumphaturos sperarant, inopinata catastrophe, vero congressu, scenae ipsi ludus, iocusq. fuere. Discessere inde vt catholici alacres, & gratulabundi, sic haeretici partim irati, frementesque: partim perspecta doctorum

ctorum suorum vanitate, ad fidem catholicam propensi. Hae prioris anni excursiones clariores.

Fuere, & posterioris non minus vtiles aliae duae. Chalanconum est opidum Turnono dissitum decem milliarijs: id iam inde a primis haereseon tumultibus noui seditiosae religionis auctores occuparunt, indeq. sacros ritus, viros sacros, religionem, & omnia verae vestigia religionis exturbarunt: eamq. possessionem sex ipsos, & triginta annos tenuerunt; vt ex eorum potestate recipi nunquam potuerit: locum enim naturae munitione firmum, manu, & opere firmiorem adhuc reddidere. Id nunc diuina prouidentia, emptione in potestatem Dynastae Turnonēsis venit. Qui vt primum eius possessionem iniuit, nil habuit antiquius, quam vt, eiecta impietate, barbarieq. & morum asperitate, verae religionis, atque humanitatis cultum restitueret. adhuc catholici multi, antiquae religionis reliquiae supererant. Sed hi longa religionis desuetudine haereticis paullo meliores; vrrique vero ingenij duritia, & inuecta sacrarum rerum negligentia, altissimis inscitiae tenebris obsessi. Ad hanc asperam syluam repurgandam, atque ad nitorem suum a squalore tanto renouandam missus è Collegio Sacerdos, tanquam nouae consuetudinis inuector, attonitis omnium animis excipitur. Primum omnium locus Ecclesiae deligitur; aedes tēplo diruto continentes designantur. in his Dominicis, festisq. diebus sermo de rebus sacris ad populum habetur, tum sacrosanctum Missae sacrificium, quod vna cum rebus alijs sacris exulauerat, longo tot annorum interuallo reuocatur, non minore ob rei nouitatem, catholicorum, quam haereticorum admiratione. restitutae item vespertinae preces, aquae

lustra-

lustralis vsus, sanctorum caelituum inuocatio, panum benedictio, Dominicis diebus gentis more, reliquiq. sacri ritus, cerimoniaeq. antiqua totius Ecclesiæ consuetudine receptae. Delatum quoque sacrum Christi corpus ad aegrotos praelatis facibus, & catholicis venerabundis prosequentibus; atque ipsis quoque haereticis venerationem exhibentibus. Haereticorum antesignanus palam saepius, cunctis spectantibus conuictus. ita catholici vacillantes in fide confirmati, haeretici in dubitationem adducti reditum ad Ecclesiam Catholicam meditantur. Ministri interim, suo timentes gregi ne, an crumenae? noui Ioues caelestia fulmina, & Diuini numinis iram comminantur; sed qui aciem ad veram lucem aduerterunt, illorum seueritatem risum faciunt. Praeter restitutam religionem discordiae inter multos conciliatae. quo in genere illud magni momenti fuit: Catholicus opibus pollens, ita ab haeretico iudice dissidebat, vt de sua inter se controuersia armis decernere statuerent; & iam vtrinque ad praelium acies in armis erant: armati stabant in vtraque acie, tum equites, tum pedites non pauciores sexcenis: vt non nisi multorum caede, & vtriusque partis damno maximo res ad exitum adduceretur. Dedit operam pater, vt aequis condicionibus vtrique perpetuae pacis federe iungerentur. Haec statim primo aduentu Chalanconi facta sunt. Excursione alia haereticae puellae duae ad Ecclesiam traductae: quarum altera perpetuam virginitatem, & religionem cogitat: in altera initio paullo plus fuit operae. Nam vt haereticis parentibus gratificaretur, non se totam Christo permittebat. Sed nocturnis spectris territa veram fidem gratiae parentum antepositi: seq. vere, & ex

animo

animo ad cetum fidelium adiunxit. Infans languidus à matre delatus ad Ecclesiam, repente exanimari visus est, ad opem ferendam aduocatur curio: haeret ille, consilij anceps rei nouitate, & commodum noster Sacerdos ex missione ibi versabatur, qui statim accurrens collo iniecta stola infantem, lustrali aspergit aqua; ac super illo S. Ioannis recitat Euangelium; statimq. summa cum omnium admiratione, pristino recepto vigore, conualuit. Eo facto, & alij multi diuinam laudauere bonitatem, & mulier haeresi, ac vitae turpitudine famosa resipuit; factaq. totius vitae confessione, se & ad catholicam Fidem, & ad honestius retulit viuendi genus. His, alijsq. id genus beneficijs, haereticis iam vtimur aequioribus: qui etiam ministros suos admonent, vt temperantius in nostrum nomen inuehantur, genus hominum, & pium, & eruditum. Inter Dynastas duos ex dissensione de religione, orta erat etiam contentio animorum; nec conciliari posse videbantur: opera eiusdem nostri Sacerdotis, ita vtrique satisfactum; vt haereticus, nostrorum virtutem admiratus, profiteretur, se non permissurum, nostros homines quoties illac iter facerent, alio, quam ad se diuertere; seq. breui catholicis nomen daturum, si sibi saepius nostrorum hominum fieret potestas.

COLLEGIVM BILLOMENSE

BIllomensis Collegij messis prioris tantum anni perscribetur: nam sequens nostrorum exsilio luctuosus, nihil nisi funestam illam continet calamitatem. Sed in magna rerum omnium perturbatione nostri instituti munera, exercitationesq. ad extremũ

vsque

vsque illud acerbissimae proscriptionis tempus impigre obita sunt, non in templo assiduitas, non in scholis industria, non in catechesibus, excursionibusq. non denique in vlla earum rerum, quae nostri sunt instituti, opera, & vigilantia desiderata. fructus, & magni, & multiplices collecti. illi praecipui. In Societatem nostram quatuor asciti, multa à multis pecunia ex immani foenore collecta, varijs in locis restituta. Et sane prodesse potuit, ad eorum, qui debebant, excitandam, & impellendam voluntatem, exemplum alterius, qui eadem infectus labe, cum se contumacem ad monira praebuisset, repentino, & miserando admodum exitu, vitam finiuit. Muliebres superstitiones in vulnerum curationibus, aliorumq. praestigiae multae sublatae sunt. Inter nobiles duos adolescentes cohorta rixa, inter iurgia alter alteri falsum opprobrarat, ea contumelia, vt est hominum insania, alterius sangnine luenda erat: ergo dies duello dicta, succensi ira animi ab eo furore nulla ratione reuocari poterant, multis quamuis, & grauibus viris suam auctoritatem interponentibus. Illud tantum ab vtroque expressum est; diuersi vt nostri sacerdotis concioni interessent; & forte illo die Sacerdos, totius tragoediae ignarus, de diligendis inimicis multa magno pietatis sensu disputauit. manauit ad vtriusque animum, ita dicentis oratio, vt quamuis initio paullo se praeberent duriores; cum tamen aliquandiu ea reputassent, quae animis insederant, monitis, hortationibusq. se magna multorum gratulatione obtemperantes praebuere.

Praeter insignem Billomensium erga nos beneuolentiam, exstitere etiam clarorum virorum egregiae voluntatis documenta. Reuerendissimus Claromontanus

tanus Episcopus vna cum parente, & fratre eam, quâ semper erga nos voluntatem habuerunt, in tam aduersa nostrarum rerum tempestate, non retinuerunt modo, verum etiam auxerunt: ex eo praesertim tempore, postquam R. P. N. Generalis decreto, meritorum omnium, & indulgentiarum Societatis participes se factos esse cognouerunt; idq. & verbis, & rebus declarare non desistunt. Nam vt quotidianam eorum benignitatem omittam, qua nostra penuria sustentatur; proxime cum in Senatu Parisiensi à iuris cos. quodam, qui ex nostra contumelia gloriam sibi quaesierat, infami illa, & mendacijs confarcinata accusatione nostrum nomen prosciissum esset; eaq. falsarum criminationum, & calumniarum farrago typis excusa exisset in vulgus; & contra hiscere auderet nemo: libellum supplicem de nobis ad Parisienses dedit; contraq. inimici hominis maledicentiam sui nominis auctoritatem oppossuit. Eius studium imitatus Cauilianus Marchio, quem nostri inuidi blaterabant nobis infensum, queri nostra improbitate fratrem suum circumuentum, sibi ereptum esse; continuo litteras Lutetiam dedit ad nostros, testes sui iudicij, & voluntatis erga nos; quae totum illud commentum redarguerent, quae duorum clarissimorum Principum testimonia, obiecta maledici hominis impudentibus mendacijs, gliscentem in nos inuidiam multum extenuarunt: & sane si, non dico aequitati, sed veritati locus esset, omnem abolere debuerunt. sed malum altius peruasit, quam humana potuerit curatione sanari. Decanus praeterea S. Cyrenaei, Doctor Sorbonensis, vir pietatis laude, & doctrinae praestantia clarissimus, Billomi per Quadrageſimae tempus versatus est. is, quotiescunque sese

obtulit

obtulit occasio, peramanter, atque honorifice de nobis semper & sensit, & loquutus est. Sed haec Billomi minime necessaria fuerunt; cum ciuitas vniuersa, ita sit in nos propensa, vt nulla alia magis; sed ad confirmandam bonorum de nobis opinionem, & opportuna, & grata acciderunt. Hic priore anno Billomi fuit rerum cursus: sequentis anni naufragia seorsim persequemur.

COLLEGIVM CHAMBERIENSE.

CHamberij intermissum ob tumultus bellicos tradendae Christianae doctrinae munus felicius, quam vnquam antea priore anno repetitum est. Quippe ipse P. Rector vicatim pueros puellasq. exciens, munusculis allectos, ad destinatū locum agmine deduxit, quae res tantum sequenti anno coepit incrementum, tum in vrbe, tum in opidis vicinis, vt iam non pudeat pueros nobiles, puellasq. catechismum edisscere; illumq. palam reddere memoriter: quin etiam viri sunt inuenti, natu grandes, qui puerorum more pensa illa memoriter persoluant. Laborauit inopia multarum rerum collegium. ad eam subleuandam Sereniſſimus Sabaudiae Dux Sabaudicae monenetae scutatos trecentos eleemosinae nomine decreuit: Senatus vero ciuitatis aliquot vini dolia dedit, & vt alij alia confetrent, per Senatores aliquot curauit.

Haec priore anno. posteriore turmatim profugi è Gallia Socij multi huc venerunt. pari caritate excepti sunt, atque animi magnitudine ipsi eam fortunae iniuriam pertulerunt. Admirationi vero fuit omnibus vtrorumque hospitum alacritas, atque inter tot

diffi-

difficilium rerum fluctus tanta animi tranquillitas: vt appareret, virtutem rebus aduersis augeri. Adiectum est ijs omnibus in saeua calamitate studium adhuc asperiora tolerandi; & ardor pietatis eorum animis altius succensus; precationes, ieiunia, diuerberationes, aliaeq. corporis attritiones intentiore studio susceptae. Nec minor fuit ciuium in nos liberalitas; cum per id tempus, pro sua quisque facultate, alij pecuniam, vinum alij, alij frumentum ad nostram subleuandam egestatem submiserunt. E profugis quindecim tantum hic manserunt, alijs alio dimissis. Neque sine vtilitate proximorum, illorum mora fuit. Quippe in vicinos pagos, populosq. dimissi, opida locaq. alia permulta obiuere, nostra vsitata munia exercentes. Ac non modo rudes populos informarunt, paenitentes incredibili numero audiuerunt; verum etiam clericos ad officium pijs colloquutionibus reuocarunt, explicatione sacrarum rerum erudierunt. In vico quodam tantum pietatis ardorem iniecerunt; vt festo die Assumptioni Virginis Sacro sexcenti de sacra mensa communicarint; cum vix sexaginta parochus testaretur superiore anno sacrosanctum epulum sumpsisse. In vico alio anniuersario die festo conuenerant de more viri, feminaeq. ad ludricam saltationem, & eam lasciuiam tibicines incitabant: nostri Sacerdotis oratione saltatio cohibita, & Christiana modestia religiosus dies celebratus. In nostro S. Philippi Prioratu tantus per eos confessionis generalis obeundae iniectus est ardor, vt certatim, se ad id expiationis genus inuitarent. Differebat alius de iniusta ratione fenerandi: seuereq. in id lucri genus exercentes inuehebatur, cum homo ea labe notus omnibus, reprehensionis forte non ferens

rens grauitatem, e concione se proripuit; neque multo post miser horrendum fuit diuinae vltionis documentum, equo enim, quo vehebatur, & mansueto, & tractabili, excussus, ac protritus repente interijt. Non est silentio praetereunda Ducis Nemorensis erga nos beneuolentia. is & nostros Diuione abeuntes atque Anesio iter facientes, humanissime excepit, & in morbo, qui ei postremus fuit, duos e nostris per mensem apud se habere voluit: qui sibi ad extremum vsque spiritum assisterent. quo tempore magnum auitae pietatis, &, quod semper fecerat, catholicae religionis tuendae studium prae se tulit. serioq. de Collegio Anesiensi nobis tribuendo cogitauit. Et qui in eius locum successit frater, haeres, & patrimo- . nij, & pietatis, eiusdem etiam persequens studium . vltimam fraternae voluntatis significationem ratam habuit: deq. ea re ad R.P.N. Generalem litteras d e- dit. et iam e nostris tres Anesium ad instruendum p o- pulum accitos alit domi suae.

COLLEGIVM AVENIONENSE.

AVenione nostrorum numerus, translata e Lug- dunensi Collegio schola Theologica prior e an- no auctus ad quinque & triginta excreuit. Quo tem- pore ciuium erga nos beneuolentia antea saep e per- specta, fuit etiam illustrior, multis, magnisc . elee- mosinis ad impensae auctum leuandum, colla tis. cum interim neque ad templi ornatum, neque ad sacrae vestis apparatum eorum benignitas min eretur. Cumq. Theologiae splendorem ornamei ato esse ci- uitati intelligerent, egere cum P. Pro inciali viri Principes, vt etiam de Philosophia scho lae adderen- tur. Sed quod votis expetebatur, ca amitas vertit

in ne-

in neceſſitatem. Pulſi Lugduno Socij, huc appulſi ſuas non domeſticas modo fratrum, ſed externorum quoque ſcholas, non ſine magna in tanta fortunae atrocitate noſtri nominis gloria, ſecum traxerunt. Sed haec planius alias. Interim operae fructus perſequamur. Exceptus eſt Illuſtriſs. Cardinalis Aquauiua Legatus Apoſtolicus eleganti dialogo. Concio toto Quadrageſimae, & Aduentus tempore in primario vrbis templo habita eſt: alteri in ſummi Palatij Sacello coram Illuſtriſſimo Legato, & ciuitatis nobilitate primaria: tertia priore anno ad Iudaeos inſtituta diebus Sabbathis, cui fere intereſſe ſolet Reuerendiſſimus Archiepiſcopus: poſteriore vero anno toto duobus in praecipuis alijs templis, aliae magno hominum concurſu, & fructu pietatis celebratae. Reſtitutiones male partae rei factae aeſtimatione aliae quadringentorum, aliae quingentorum, non nullae etiam mille, & quaedam etiam decem millium aureorum. Veſtium luxus, mundiq. muliebris, diuini verbi vi ita coercitus, vt aliae inaures, & monilia, aliae ſegmentatas veſtes, & ſplendidas cum puro, & ſimplici ornatu commutarint: illaq. aut ad pauperes iuuandos, aut ad vſum templorum contuleri unt. Suſceptae etiam cum haereticis non ſine fructu diſputationes. Quatuor ex ijs priore anno, poſteriore vero duodeuiginti ad fidem reuocatis. in ijs adoleſcens renitentibus parentibus, & vir doctrina, aeque atque generis nobilitate conſpicuus. Sed quae habitae ſunt ad Hebraeos conciones duas ex ſterili ſolo Chriſto animas protulere. Senex ex ea gente viceſimum iam quinctum annum ſentiebat ſe ad eam abijciendam vanitatem incitari: vetere tamen conſuetudine in ſuo torpore inhaerebat, quem tandem octiduani illi per Sabbatha ſermones excuſſerunt. Is igitur

igitur per hebdomadae sanctioris dies ad nos venit; prioremq. vitam detestatus, abiectus in genua baptismum postulauit. Filiam domi reliquerat graui morbo implicitam, eodem & ipsam studio incensam: cui cùm vitae spem nullam supereſſe cognouisset, Archiepiscopi praesidio munitus, intrepide in vicum Iudaeorum, atque suam domum penetrat: puellam morti proximam, ipsa Paschae noctae in templum proximum deportat; indeq. baptismo lustratam in domum pientissimae matronae, quae illam de sacro fonte susceperat, detulit. quae paucis post horis recens purgatum animum suo reddidit conditori, patre siccis oculis eius interitum spectante. At cetera Iudaeorum turba filiae mortem, patris orbitatem legis desertori poenam offensi numinis obijciente, inanes ille stultissimae gentis rumores ita non magni fecit, vt felicem exitum filiae ipse inuideret. Catechismo igitur satis instructus à Reuerendissimo Antistite solemni ritu baptizatus est, Illustrissimo Legato susceptore. Quidam Abbatiam magnorum prouentuum damnato confidentiae iure possidebat: ea nostrorum consilio relicta, transtulit se ad Capucci-nos. Mulieres praeterea quindecim ad honestatem à vitae turpitudine sunt traductae. Puella tredecim circiter annorum, impudicae matris filia, vicinarum inuitatu saepe venit ad confessionem; post paullo etiam ad sacram communionem confessarij iudicio admissa est. Id cum sensisset mater; quae, quod eam prostituere scelerata cogitabat, & nostri templi accessu prohibuerat, crudeliter in eam verberibus desaeuijt. non tamen deterrita est virgo, quo minus ad consuetum sacramentorum pabulum hebdomadis singulis rediret. Duo illa in hac rerum conflictatione non sine miraculo illi euenere. alterum, vt quo-

ties eius rei cauſſa à matre caederetur, verberum dolores in ipſam refunderentur verberantem, puella nihil ſentiente: alterum, vt quo die caeleſte conuiuium iniret, nihil neque turpe aliquid audiret, neque fedum quidquam circa ſceleratam matrem fieri conſpiceret. quod in domo meretricia, praeſertim quibus diebus impudici feriantur, ſane magnum eſt. Venit tandem dies turpiſſimo ſceleri ab impura parente deſtinata. quod cum puella mature perſenſiſſet, domo ſe proripuit ad vicinas: indeq. ad piam matronam ſeſe contulit. mater, integritatis filiae nefaria nundinatrix, paullo poſt in carcerem coniecta, concepti ſceleris, & crudeliſſimae pactionis poenas dedit: puella inter orfanas collocata. Reuerendiſſimi Archiepiſcopi mandato ad Monialium coenobia Dominicis, feſtiſq. diebus hortationes habitae ſunt: collapſa in multis diſciplina ſuae integritati reſtituta: incommoda multa, magniq. momenti prohibita: auerſi etiam integrae infeſti oppugnatores diſciplinae.

Scholae, acceſſione Theologorum Lugdunenſium, factae ſunt celebriores, adoleſcentes ferme octingenti eas frequentant: multiq. ex his nobiles, in quibus Illuſtriſſimi Legati fratris filius. Praemia eiuſdem Legati liberalitate diſcipulis diſtributa ſunt, dato in ſcenam dialogo ad eam rem accommodato. Auxit etiam mirum in modum Gymnaſij ſplendorem ſchola de quaeſtionibus ius conſcientiae explicantibus: ad quam non Eccleſiaſtici ſolum, ſed multi etiam viri nobiles, & iuris prudentiae candidati confluunt. Inſtituta eſt priore anno altera Sodalitas grandiorum B. Virgini dicata. Sed e priore, & aetate minoribus ad Carthuſianos ſeſe contulere tres. e multis vero ſocietatem noſtram flagitantibus admiſſus eſt vnus, priore tamen anno: nam poſteriore prouentus maior fuit.

fuit. Sed quoniam res cum aduentu eorum, qui è Lugdunensi naufragio huc eiecti sunt, coniuncta est; vt tristem narrationem laeto aliquo euentu temperemus, rem totam in eum locum differemus. Illud non praetereundum, Ad Collegij vectigal trecenti aurei annui accessere, adiuncto ad Collegium quodam Prioratu; idq. liberalitate D. Belli Prothonotarij Apostolici, & Rotae Auenionensis Auditoris.

COLLEGIVM DIVIONENSE.

DIuionense Collegium ob vectigalium tenuitatem magna ex parte piorum liberalitate sustentatum est: In eo mortalitatem exuit Petrus Blanchettus studiorum Praefectus, lenta phthisi consumptus, cuius animi candor in exangui extincti corporis facie, tanta oris pulchritudine elucebat, vt ab ipsius aspectu, homines se auertere non possent. Sacerdotum Sodalitas Virgini matri dicata, de cuius institutione anno nonagesimo scriptum est, magna subinde capit incrementa, licet aliorum clericorum aemulatio, & illius impediendae libido non remittat. hoc tamen proficit, quod non nisi selecti, & diuino tantum instinctu afflati, in eam nomen dant. quo fit, vt etiam maiore animo inuidiam, & maleuolorum voculas contemnant. Ex ijs nonnulli religiosam vitam expetunt. Plerique bis, nullus vero non semel saltem quaque hebdomada apud nos conscientiam confessione purgant. Aliqui eorum graui morbo laborantes, medicis iam de ipsorum salute conclamantibus, vsu insuper loquendi destituti, sanctissimae Patronae precibus se suae fatentur incolumitati restitutos, contra quam à maledico vate eorum vni praedictum fuerat, fore, vt illo anno moreretur,

si se in eam sodalitatem adscribi pateretur. Et fuit qui posteriore anno, vt primum ex graui morbo recreatus est, difficillimo anni tempore, itineribus per belli licentiam infestis, sex leucarum iter nocte confecerit, vt tempestiue Congregationi interesset, & peccata expiaret. Eodem anno Regij Sacelli canonicus, & munere quo fungitur, & fama pietatis clarus huic Sodalitati nomen dedit. quod eo magis mirum fuit; quod qui nullius ante hortationibus suasionibusue adduci potuit, vt ad illum cetum animum adiungeret, is postea per caussam Iubilei, generali totius vitae confessione expiatus, cum multi eum a proposito reuocarent, sua sponte petijt admitti.

Eodem anno nonagesimo scriptum est, & de alia opificum sodalitate, eodem quo illa clericorum tempore instituta, quae quantum pietatis studio progrediatur, ex duorum exemplo intelligetur. Vinitor ex eo cetu graui morbo conflictabatur. is cum audisset vxorem cum Patre nostro querentem, quod hiberno tempore a sexta hora matutina ad vndecimam continenti prece in templo exigeret, excubias quoque nocturnas ad vrbis custodiam in menibus egisset, eamq. illi morbi caussam fuisse, ipsam obiurgauit, quod morbi caussam alio, quam in sua peccata conferret. Eiusdem ordinis alius in morbo, qui illi postremus fuit, praeter insigne documentum patientiae, pietatem etiam pro captu maximam prae se tulit. numquam enim a Sanctissimae Virginis effigie intentum intuitum auertit; neque rosarium, saepius quamuis alijs id suadentibus, è manibus emisit. diem etiam sui obitus praedixit. is fuit Conuersioni S. Pauli dicatus, quo ille die in Sodalitatem est ascriptus. Alius etiam, affecta iam aetate senex, opus item in vineis facere assuetus, toto Aduentus tempore non

alia

aliare, quam olere, & aqua exercitam vitam sustentauit. semel duntaxat, idq. ad vesperam cibum capiens: is cum in suburbana casa habitaret, captus ab hostibus, vexatus, sua quantulacunque tenui re spoliatus, non nunquam etiam cum vxore, liberis morbo prostratus, tot malis circumuentus, nullam vnquam incommodam vocem ore proferre auditus est; quin illa identidem iterare. *Sit nomen Domini benedictum*: nec dum se dignas satis poenas pro scelere dedisse: neque adhuc ad sterquilinium cum Iob redactum esse. ita quo maiore punitur calamitate, eo studiosius remedium à confessione quaerit: relapsus iterum in morbum, quo die sacramentis, & extrema vnctione munitus est, diuino viso se recreatum esse testatus est: vidisse se non semel de die noctuq. Sanctos Iacobum, à quo nomen habet; & Philippum, quem coniunctim praecipua semper pietate coluerat magno vtriusque sexus illi agmine comitante: quibus e nostra Societate praeiret vnus, qui sibi capite annueret. in iucundo tam laeti spectaculi aspectu multos sibi nostrorum animo sermones recurrisse. quo fiebat, vt accepto rosario, ad preces pro nostris hominibus faciendas, quorum laboribus tanti sibi fructus proueniissent, excitaretur. Quartus addi potest ex ijs, qui in vrbe degunt. is captus ab hostibus, nullo vnquam die destitit Sanctissimae matri statas preces offerre: tum ipsum Sodalicium, & alios saepe, & maxime ipso Pentecostes die intentas supplicationes de illius salute Diuinae Matri, Deoq. filio porrexit. quo die ipse, & alij duodecim cum ipso vincti e custudia elapsi, fuga sibi salutem quaesiuere. sed eos hostes assequuti, ceteros quidem & robore corporis, & pedum pernicitate valentiores male multatos retraxerunt; hunc vnum assequi minime potuerunt;

quem Sanctissima patrona, & seruitute, & periculo exemit. Sed non minus, quam recentes, fecunda pietatis fructuum est antiqua discipulorum Congregatio. Ex ijs quatuor Carthusianam familiam auxere, tres nostram; & ij emenso Philosophiae decursu omnes: cum & plures sint, qui illam, & plus adhuc viginti, qui nostram habeant in votis. Ita ut, cum duo omnium flagrantissimi ex ijs, qui compotes facti sunt, ad P. Prouincialem bidui itinere se contulissent, per loca latrocinijs infesta, & aquarum intercursu interrupta, quas mento tenus immersi saepe transmiserunt: reliqui qui maerentes Patris aduentum expectarent, eos ardentibus studijs, & lacrymis, quando aliter non possent, prosequerentur. Fauet praeterea studijs adolescentium B. Virgo; & lectissimum eorum cetum sibi curae esse, declarat subinde non obscuris documentis. Inciderat in hostium manus adolescens; cum expeditum ei non esset, pecuniam, quam hostis peteret, persoluere, opem sanctissimae Virginis implorat: spondet, si liber emittatur, se ipsius Sodalitati addicturum: non abnuit voto Sancta Mater. hostis, aetatem fortasse miseratus, adolescentem remisso pretio dimittit. Is postea immemor promissi, iterum in aliorum manus deuenit. pretium pactus persoluit. hostes postmodum persolutum negant. & sane prioris sponsionis persolutum nondum erat. erat. igitur alia pecunia expedienda. Maestus adolescens ad lacrymas, & nouas confugit supplicationes. vota rursus eadem maiore animi ardore concipit. Audit iterum preces benigna Virgo. milites, qui pecuniam bis solutam expetebant, vltro adolescentem ad suos abire permiserunt. qui libertati redditus firmiorem posterioris promissi fidem, quam prioris habuit.

Iam vero pueri, qui catechismo erudiuntur, ita

profi-

proficiunt; vt eorum vnus matri persuaserit generalem vitae totius confessionem: ipsaq. mater ea re suae animae salutem filiolo acceptam referat. Alter matrem magnis doloribus laborantem, ad frequentem sacramentorum vsum in sacello nostro, & votiuam postmodum suscipiendam peregrinationem adduxit: ex quo deinde omni morborum dolore liberata est. Caecus puer, & egens, annos plus minus natus decem, vt est id genus hominum memoria facili & firma, cum catechismum totum optime percalleat, ad propinquos vicos extra vrbem duci se iubet; ibiq. quod nostri ob hostiles metus minus possunt, egregium agit catechistem: magnaq. vbique paganorum voluntate, & studio discentium excipitur. ac dum spiritales misericordiae fructus, teneram, robustamq. & puer, & caecus erudiendo aetatem dispertitur; viciſſim ipse a sua schola opportunis suae paupertati misericordiae fructibus remuneratur. Ceterum Collegium ipsum, praeter vsitatam ciuium benignitatem, qua maxime, vti supra dictum est, sustentatur, auctum est etiam nonnulla pecuniola. Vidua non ita multum fortunae bonis abundans, sed longa multorum annorum aetate pie, sancteq. traducta, magnis vitae meritis ornata, moriens vineam, non ita magnam nobis testamento legauit. Virgo a primis annis in pietatem propensa, licet aliarum more cultum nitoremq. corporis, & mundum muliebrem amasse videretur; adduci tamen nunquam potuit, vt aetate iam nubili in matrimonium consentiret & cum iam eam parentes despondissent, arte mirifica sponsalia eluſit, irritaq. fecit. cuius rei causſam saepius in se acerbae matris iram, male verberibus accepta, perpessa est. haec octo circiter ab hinc annis nostros concionantes cum audisset; suamq. ijs detegere conſcie-

scientiam coepisset, ita coelestium rerum exarsit desiderio; vt totam se Deo, ex eo tempore, dicarit. Votum virginitatis sponso Christo nuncupauit: primaq. reliquis huius ciuitatis virginibus, mundo muliebri depositо, nitidioreq. cultu corporis abiecto, humana contemnendi exemplum aperuit. corpus cilicio, zonisq. atterere instituit: vigilabat ad multam noctem, lectioni, orationi, & meditationi intenta. Vitas patrum, D. Catherinae Senensis dialogos, institutionem religionum, aliaq. piorum scriptorum monumenta, quae commodato acceperat, sua manu descripsit. Matutina tempora diuinis rebus, sacrisq. sacrificijs spectandibus in nostro templo ponebat. Vbicunque nostrum aliquem verba facturum audiebat, diuini verbi sitibunda, eo se studiose conferebat. & quod magnum sincerae virtutis est indicium, nulli vnquam magis, quam alteri spiritalium rerum magistro propensa fuit. vt si quando contingeret, ipsius confessarium alio transferri, nulla ea de re molestia afficeretur: quod aeque ab omnibus spiritalia sibi pabula subministrari intelligeret. Cum in morbum, qui ei letum attulit, incidisset, monilia, reliquaq. mundi muliebris membra, quae ad eam diem seruarat, distraxit; pretiumq. partim ad sacelli nostri ornamentum, partim ad mendicorum subsidium erogauit. Et cum non omnia, quae vellet Societati posset relinquere: erat enim adhuc in potestate matris, duo millia librarum nobis legauit testamento. rogarunt Patres legatum, vt rescinderet: se ipsam, si posset, respondit, Societati trasituram: neque oportere, cum totam se Deo dedicasset, sua haereditario iure mundo relinquere. Fratrem vnicum habuit vterinum, quem precationibus, & hortationibus ad Societatem impellere contendit: quod

ei se

ei se facturum pollicitus est. & cum paullo ante, quam e vita excederet, ab eo litteras accepisset, de sua in sancto consilio firmitate, laetam se eo nuncio moriturum significauit. Morti proxima, Deiparae Virginis, atque Angelorum aspectu saepius recreata, matrem, & qui aderant, vt ad tam eximiam pulchritudinem oculos aduerterent, orauit. Praedixit etiam quatriduo ante, se certo die morituram, is erat S. Martino sacer futurus; eoq. die post matutinam B. Virginis salutationem purgatum multis, diuturnisq. doloribus animum Deo reddidit. Cuius benignitate, etsi non praesenti adhuc pecunia, iure certe non contemnendae haereditatis auctum collegium videmus.

COLLEGIVM DOLANVM.

E Dolano Collegio diem suum obire priore anno duo: eorum alter in patria, alter P. Gulielmus Morandus rari vir exempli. Breue in Societate tempus exegerat. nam ius ciuile in hac vrbe aliquandiu cum laude professus erat. nobiscum sex annos totos ita transegit, vt consumatus in breui tempora multa expleuerit. ita enim vixit, quasi perpetuo moreretur: ita obijt, quasi longam aetatem in diuini famulatus stadio decurrisset. Sed multis ante quam ad vitae metas veniret, mensibus, contentius coepit eodem in cursu festinare: siquidem de humanis rebus nihil per id tempus ei libebat audire: & cum de communibus malis temporum sermo inijceretur: quid, inquibat, ad nos ista? quin potius, quam strenue quisque fratrum in studio virtutum se exerceat: quam gloriosam de se, deq. humano hoste victoriam reportare contendat, inquirimus? haec enim nos

propius

propius attingunt. In morbo porro eam praestitit patientiam, virtutesq. alias, quae tam excellenti exordio vitae (sic enim appellandum est) consentaneae fuere. Extrema illius vox audita est: *Laetatus sum in ijs, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Elatus est magno hominum concursu, tum quod in ciuitate clarus antea fuisset; tum quod defuncti facies grato decore praeteritam viuentis sanctimoniam prae se ferret. Posteriore anno duo alij decesserunt: Sacerdos vterque, & vterque frugifera opera huic collegio perutilis. Prior fuit P. Honoratus Villarius. is cum ex itinere rei familiaris procurandae caussa susceptо, aeger domum rediisset, hoc se solabatur, quod eum morbum in communi vtilitate procuranda contraxisset. & quo firmiorem huius solatij sibi fidem faceret, quaesiuit e P. Rectore num vere illud iter ipsius obedientia suscepisset? quo annuente, Diuinae Bonitati egit gratias; quod sibi in Societate, & Societatis obedientia licuerit vixisse. Hunc non ita multis interiectis mensibus sequutus est P. Nicolaus Clerus. vir, in quo, praeter eruditionem non vulgarem, & eximiam praecipue Graecarum litterarum peritiam, multa diuini spiritus charismata elucebant: illa maxime, quae propria nostrae sunt vocationis; quaeq. in ijs exquiruntur maxime, qui votorum quatuor professione insigniti, ceteris exemplo virtutum antecedunt. De eo P. Petrus à Quercu, qui huius Collegij Rector, biennio ante Romam petens, ex itinere decessit, dicere solebat: se, cum quid alios iuberet, eorum prius voluntates explorare, quam id libenti animo facturi sint: in Patre vero Clero, nihil esse sollicitum: cuius opera facilius, quam cuiuslibet tironis vteretur. Idem cum & sacris, & Hebraicis lectionibus, & concionibus occu-

occuparetur, nullam vnquam a communi opere quaesiuit immunitatem, ne commodius quidem cubiculum expetijt. Tam fuit religiosae disciplinae, paupertatisq. studiosus, vt ne lapidem quidem ad suum vsum de platea, non impetrata facultate, colligeret. Bisuntinenses, apud quos tribus annis conciones habuerat, audito de illius morte nuncio, publice ei parentarunt. magnum ibi nomen, magnamq, virtutum suarum memoriam reliquerat. vt pia, gratag. recordatione ea, quae ex eius sermonibus, audierant, & exemplo vitae perspexerant, commemorent. Infantem narrant, ita planctu, eiulatuq. fuisse inquietum, vt nulla ratione sedaretur: parentum iussu ad Patrem illic commorantem delatum; vt spiritalem aliquam ei malo medicinam faceret. Patrem salutari signo, & precationibus ita naturae eius impetus mitigasse, vt nulli ex eo tempore molestus visus sit. Vitam tam placida animi aequabilitate temperatam placidissima mors sequuta est, cum ita non graue mori duceret: vt quo citius, eo sibi melius esse diceret hinc emigrare.

Tres in hac vrbe Dei matri dicatas habemus Sodalitates, de quibus singulis est aliquid dicendum. Prima quae natu constat grandioribus, centum lectissimos numerat Sodales, magnam partem Senatores. Hi non intra tantum collegij septa suae pietatis edunt argumenta; sed in omnibus etiam vrbis templis, cum Sacrosanctum Christi corpus proponitur palam adorandum, suas ij in orbem vices obeunt: multa alia palam edunt signa pietatis, cuiusmodi sunt, sacras aedes verrere, nudis pedibus incedere, flagra corpori admouere, quod sane magnum est in viris grauibus, & inter suos ciues multi nominis, praesertim nomine Parthenio recens in his finibus nascente. In eorum

conuen-

conuentu saepe habentur conciones, magna non sodalium modo, sed vniuersi etiam frequentia senatus. Ex eorum numero Theologus alijs nominibus de Societate nostra bene meritus, aedes Sodalicio extruxit, & collegij quoque aedificium continuauit: auxit & sacram vestem, sacramq. supellectilem patera argentea. Altera Sodalitas est scholasticorum, eorum qui extra nostrum degunt contubernium. ex hac cum mulci iam in portu nauigent, quod superiorum annorum litterae significarunt, multi praeterea eundem in religionis portum cursum dirigunt. Vnus & viginti nostras fores pulsant: non nisi tres admittere potuimus. vnus in Germaniam se transtulit: ibiq. factus voti compos. ceteris aliquando Deus aspirabit. Reliqui incredibile est quanta edant signa pietatis. Vnus moriens, a mente abalienatus, impressam alte pietatem, vel ipso extremo spiritu spirauit. cum nihil aliud, nisi diuinam Matrem loqueretur: cuius extrema illa fuit vox. *In coelum est eundum? ita est: eamus, Deum, virginemq. oraturi.* Alius hora ante, quam vitam expirauit, crucifixi dari sibi signum postulauit: tempus extremi certaminis adesse ait: Sodales, qui sibi aderant, enixe! orans, ne se eo tempore desererent. Tum ad se, suumq. rediens certamen, vocem illam iterum, & saepius ingeminans, *Credo*, quanto ad vitae terminos accedebat propius, tanto a rerum, quae fiebant, sensu longius abducebatur. itaque totus in suum certamen intentus, quod de S. Hieronymo, alijsq. legitur, subinde illa postmodum, & ipse iterabat: *Non ita est: mentiris.* & quasi in aduersum inimicum, crucem, quam manu tenebat, tanquam telum intentabat. Ad extremum quasi sedata iam pugna, & parta victoria, tranquillo animo: Quam bonum est, inquit, B. Matri in eius so-

dali-

dalicio famulari? abstractusq. a praesentium rerum sensu, Diuinae Bonitati gratias agens, animam emisit. Duo praeterea in patriam reuersi Christianae pietatis doctores euaserunt. aequales enim magno animi ardore illa docent, quae Dolae, a magistris acceperunt. Longum esset cuncta percensere: praesertim cum etsi magna ea sunt, & laude digna, nota tamen ex alijs superiorum temporum narrationibus. Vnius euentum non omittam. Hic reuocatus à parentibus Geneuae ab haeretico auunculo domi concluditur, ad sathanicam scholam abducendus. constanter ille morte sibi esse infestiorem scholam illam asseuerat. Interim pater re audita, filium sibi reddi postulauit. Noui adulterati Euangelij doctores ita fuere sapientes; vt, cum machinas argumentorum omnes ad pueri, & grammatici expugnandum animum admouissent, conuicti, & rubore suffusi retro cederent: quo factum est, vt cum ipsorum irrisione, qui vacillantes congressui interfuere, confirmarentur, puer postea ad nos cum palmario rediret. Tertia Sodalitas est conuictorum. priore huius biennij anno instituta fructus, si nullus alius, in ipsam familiae redundat disciplinam. Facilius enim horum probitate collegium totum continetur. Vtraq. vero, tum haec, tum proxima est Romanae Partheniae sodalitati aggregata.

Quod ad reliquae operae nostrae fructus attinet, Vir militaris, & in militia Praefecti munere praeditus, dum per licentiam belli latrocinijs grassaretur, interceptus, & morti destinatus, initio fuit implacabilis, at post obitam vitae totiur confessionem, tanta suorum scelerum penitudine affectus est, vt suis ipse poenis non posset satiari: sexcentis se supplicijs dignum damnare: animum quem mundum, nitidumq.

dumq. a Deo accepiſſet, infinitis, atque immanibus maculis fedaſſe. Lictores memoria Chriſti vinculorum, vt ſe arctius aſtringerent, magno ſenſu pietatis hortabatur. Idem productus ad ſupplicium, commota ad tantam pietatem multitudine, ſolus] in ſuo ſupplicio laetabatur: ſuiq. ſtatus oblitus, vinctos, qui ſqualore carceris, rerum omnium inopia, atque inedia tabeſcebant, populo, vt eorum miſeriam ſubleuarent, commendauit. Haec in vrbe.

Virgo excurſione quadam a daemone liberata, hic ſinuoſi ſerpentis ſpecie circa puellae pectus voluebatur, parentes infamiam verentes rem proferre non audebant. Sed familia tota, inprimis vero puella confeſſione expiata, infeſtus anguis abactus. Alia Societatis noſtrae munia magno multorum populorum bono excurſionibus obita. Non eſt omittendum inſigne diuinae miſerationis documentum, in homine editum, qui diu cum piratis ijs vixerat, qui olim B.P. Ignatium Azebedum cum comitibus martyrio affecerant. Quae res hoc noſtram familiam attingit, quod veriſimile eſt noſtrorum martyrum precibus, hunc ex impuro illo grege, vt olim Stephani precatione Paullum ſe ad Chriſtum recepiſſe. certe non eſt alienum noſtris rebus huius exitum dari memoriae, qui ſe illo contagio contaminauit. Ingreſſus hic per laſciuiam Sanctae Matris aedem, vt certam, quae tunc habebatur, ſupplicationem irrideret, repente toto corpore, ſolutus. & artuum tremore, horribiliq. animi pauore occupatus, diuinam agnouit in ſe animaduerſionem, ita quam ante irridebat eius coepit intimis ſenſibus, opem implorare, ſuam culpam profiteri, errati veniam precari, tum denique, diuina Matre miſerante, ipſe ſibi redditus; cum debitum benigniſſimae patronae cultum reddidiſſet.

Hacte-

Hactenus prioris anni res felicem cursum tenuerunt: posteriorem nouae calamitates aliae super alias exceperunt. Tumultus bellici, e quibus nihil mali non oritur, cum quotidie ciues ad arma euocarent, scholas primum pessundederunt. coacti adolescentes omnes aduenae ex vrbe excedere: ita qui ante mille numerabantur: ijq. ferme lectissimi, & e prima finitimae Germaniae nobilitate, profectis illis, vix ex reliquijs trecenti censi sunt. Nuncius inde perfertur praedia nostra, quibus Collegij vectigal sustentatur Ionuellanum, & Montense, hoc a Geneuense, illud ab hoste alio esse direpta. Quare de minuendo numero nostrorum cogitantibus, socij suis sedibus exterminati, Lugduno, Niuerno, Biturigibus, postremo totum Diuionense Collegium, quasi tempestate delati superuenere. Animi magnitudo, & laetitia, qua fedam temporum acerbitatem exceperunt, alacritasq. quam vultu, & ore praeferebant, eam quam ex nostris incommodis, & eorum calamitate perceperamus maestitiam leuarunt. Cumq. ex ijs multi, quasi sedes exilio quaesituri dimittendi essent, alij in Italiam, alij in Germaniam, huic consilio aduersabantur itinera vndique infesta, & nostrum nomen pro temporum iniquitate ad omnem improborum iniuriam propositum. Accessit ad cumulum miseriarum saeua lues, quae manans quotidie latius ita grassari coepit, vt viceni minimum diebus singulis absumerentur. & erat omnibus opera praestanda nostri muneris, ita vt in malis leuamen aliquod, & solatium attulerit calamitosus appulsus Sociorum. Vouit in tam difficili rerum cardine P. Rector peregrinationem ad B. Virginis in heremo (ea in Heluetijs aedes sacra, a multis circa populis summa religione colitur) si Socij ex ea tempestate incolumes euaderent.

rent. & aduenae quidem seruati ad vnum omnes: e domesticis duo, de quibus supra dictum est, alio morbi genere grassanti pestilentiae subtracti erant. In tanto malorum concursu praeter cetera, non minimo nobis solatio fuit pietas Diuionensium, & religiosa erga nos beneuolentia, quorum aliqui, inde eiectis nostris, ad nos sacramentorum caussa venerunt. Ferdinandus praeterea Beruccius, vir & singulari pietate, & multis erga societatem nostram meritis ornatus, Praefectus equitum a Dolanis constitutus, antequam suos in aciem educeret, voluit omnes sacra confessione animum purgare, atque in Sodalicij oratorio concioni ad eos accommodatae interesse. concione absoluta P. Rector singulis rosaria distribuit: his instructi armis, in hostem educti, victores semper in vrbem rediere. Praefectus quoties praedam ex hoste reuexit, eam cum Christi pauperibus communicauit. Et cum aliquando ipse in manus hostium deuenisset, orantibus pro illo nostris, Sacerdotibusq. hostias Deo offerentibus, fratribus ad sacram mensam accedentibus, illo ipso die non sine diuino miraculo elapsus est.

Iam concionum fructus ille fuit, flos reuirescens pietatis: excitata omnium hominum studia ad numen omni religionum genere propiciandum. Tantus ad sacramenta concursus, vt nullus fere per haec calamitosa tempora vacuus ab ijs, qui sacram synaxim obirent, dies praeterierit. quotidie nouae supplicationes, noua pietatis munia a varijs ordinibus suscepta. vt ipsa ciuitas iam omnium voce fateatur, optandam sibi fuisse ad vtilitatem animorum, duplicem hanc belli, morbiq. illatam calamitatem. Haec in vrbe. Ne extra quidem belli periculis, calamitatibusq. nostri caruere. Nam praeter direptionem

prae-

praediorum, Frater is, qui Ionuellanensem rem administrabat, ac Ionuelli residebat, facta deditione opidi, intentis animis, incitatisq. turbae clamoribus quaerebatur. diuina ope factum, vt, cum inter ipsos versaretur, ab eorum nullo cerneretur; quin etiam is, qui illi anteibat, captus est: sed errore cognito, postea dimissus. hoc periculo perfunctus incidit in alterum. Ad rem Montensem tutandam se transtulerat, omissa Ionuellanensi. Morante illo intra menia opidum ab hostibus diripitur. Quibus insequentibus, arrepto obuio iumento, eorum manibus elabitur. Frater alter eadem fuga cum Sacerdote Dolam contendebat. is in ipsis paene vrbis portis, ab haereticis persequentibus captus est, recepto in tutum Sacerdote. Sed cum Dolani continuo arreptis armis palantes hostes in fugam egissent, quot incommoda in illa hostium fuga, & trepidatione pertulerit, cum vulnus etiam acceperit, dolore praesertim hostium animos extimulante, ob elapsum Sacerdotem, conijcere difficile non est. Sed velociores tandem insequentibus fuere fugientes. cum captiuis, & praeda in proximam arcem se recipiunt. Noster in pauore illo, & turbulenta fuga vouet, integro modo Praesidis arbitrio, per annum quotidie se B. Virgini rosarium persoluturum, si inde euadat. Auditae in coelo preces, in arcem deductus a praesidij Praefecto consobrinus agnoscitur, humaniterq. habitus eiusdem iussu emittitur. Suasit tamen consobrino, vt si vellet catholici militis nomen tueri, suos ab Religiosorum iniuria arceret. & profuit consilium. nam non ita multo post vndecim è nostris Chamberium proficiscentes, conspecti a triginta equitibus, ijs conniuentibus, abire permissi, magna omnium admiratione periculum euaserunt. Ornacum opidum est non lon-

ge positum, quo superioribus annis beatae memoriae P. Salesius, de cuius martyrio, proximis litteris est scriptum, missus admirabiles diuini verbi sementes fecit; vt etiam num frugum exuberet vbertas. mira, & pietatis plena hominis memoria: doctrina, praecepta, factaq. in ore omnium. sed quod maximum est, altc cunctorum animis impressa pietas. discordias innumeras sedauit: vt non in praesens modo tempus, sed & in futurum longe tranquillitatis legibus opidum firmauerit. Multis eum, quo tenebatur ipse in Christiana causa dura patiendi ardorem iniecit: vt eius hortatu corporis doloribus, afflicta mulier, acerbiora in dies pati postularet. haec tandem voti compos, morbi cruciatibus extinguitur. Eius & pietatis, & voti filiam haeredem Pater alius eodem missus, ijsdem etiam offendit cruciatibus torqueri. haec se magno a Deo cumulari beneficio dicebat; quod sexta quaque feria, dolores sibi augerentur. Hanc tam vberem animorum messem nactus Pater, vix necessario ad curandum corpus otio vtebatur: incredibilis confitentium concursus: mira erga Christi corpus reuerentia, vt hanc ipsam pietatem pro vallo, & propugnaculis opido, ab omni praesidio, munitioneq. nudo sibi esse fateantur. Ita cum vel inermium excursionibus opidum pateat: ager felici fertilitate hostem ad depraedandum alliciat: & Burgundia tota belli tumultibus vndique perstrepat, direptis omnibus circa locis, ij soli integri ab omni hostili iniuria permanserint. Quod cum videret ex itinere vir nobilis, admiratus tranquillitatem, pietatem circa templa, securitatem traducendarum supplicationum, studium in votis, praecibusque, quaesiuit, qua fiducia haec facerent, nullo milite, nullo septi munimento. Tum è primoribus vnus,

vnus, instar Spartiatae illius, manum in agmen supplicantium intendens: hi sunt inquit, nostri milites, haec nostra moenia: his praesidijs nostra quantulacunque res adhuc stetit illaesa, & staturam confidimus. Gemitu, fletuq. & animo in diuinam misericordiam effuso nobilis aduena pij responsi veritatem comprobauit.

COLLEGIVM ANICIENSE.

ANicienſis ciuitas, eiusq. Collegium confessionum generalium hoc praecipue biennio quasi quoddam emporium fuit. nec mirum: Apostolum enim huius, vt ita dicam euangelizationis hic consedisse indicant sequentis anni litterae. De his ergo primum, & quidem priore anno absolutus, earum numerus notatus non est: ingentem tamen fuisse, vel ex hoc colligi potest; quod Sacerdos vnus a se auditas ducentas numerauit. Tum hoc studium ita omnium animos incessit, vt vulgo iam vsu receptum paene, ac tritum habeatur, semel ab vltima pueritiae memoria, commissorum omnium serie repetita, confessione animum purgare. auxit hoc studium tum fructus animi, quem se percepisse sentiunt, qui id genus religionis obiuere; tum diuinum haud dubie visum feminae oblatum. haec candentem Angelum bis eodem die se vidisse affirmauit; qui se moneret, vt vitae totius peccata confessione expiaret: quidquid vnquam in vita gessisset, commissa omnia admirabili ratione sibi reuocasse in memoriam, omnia eodem ordine, quo sibi ab Angelo demonstrata essent, vna confessione retexuit: ea distinctione, & eo sensu pietatis, vt omnis insidiarum, aut diabolicae artis suspicio procul absit. Cuius rei fama, vt ma-

nauit ad ciues, mirus omnium animis eius rei iniectus est ardor, vt coniuges, viri feminas, feminae viros, quanquam renitentes, ac tergiuersantes, ad vniuersam eam expiationem hortarentur. ita vt posteriore anno, continuata opera festis, profestisq. diebus, antemeridianis, pomeridianisq. temporibus, quadringentae omnino supra mille auditae sint. fueritq. qui filiae quinquennis hortationibus id dederit; & qui multitudine confitentium accedere prohibitus, tridui ieiunium tolerauerit, donec animo suo satisfecerit. Bonorum omnium consiliorum auctori Deo laus.

Scholae non magnum adolescentium numerum recensuerunt, non multo plures quadringentis. quos valde multos quis dixerit, si temporum iniquitas, & ciuilis belli spectentur perturbationes. Fructus certe vtriusque studij desiderati non sunt. dramata dederunt varia, argumento vtilia, actionis venustate elegantia: duas tresue tragoedias soli primae classis auditores: quas docti viri tantum admissi spectauerunt. Quod ad pietatem attinet, non pueri, sed fortes athletae saepius aduersus haereticos, sacras infringentes leges, fuerunt. supplicatione saepe multa vrbis templa adiuere, tum lino tecti, tum, quod maiorem habuit admirationem, etiam cilicio. Fuitq. cum quinquaginta in agmine processerint cilicio quatenus se porrigebat, nudo corpori admoto, qua deficiebat, alio velamine obducto. Iidem ignotum ante in his terris vsum flagellorum, eodem cilicio locum verberibus aperiente, ad nuda verberanda terga induxerunt. Rigens igitur agmen nudis pedibus, obducto capite, ambulantium asperitate ciliciorum, & verberum duritia, horrore simul, ac pietate talis spectaculi insolentem perfudit ciuitatem. Quae duo afflicta-

flictationum genera passim iam tota ciuitate, etiam pueri, feminaeq. praesertim qui Sodales poenitentes nominantur, ita sunt amplexi; vt vulgatum, tritumq. iam sit, supplicationes ciliciis asperatas, & flagellis horrificas, per vrbem traducere. ita earum rerum nouo artis genere officinae iam per vrbem sunt constitutae. Sed in his primam laudem B. Virginis Sodales meruerunt, quippe super haec omnia, etiam aegrotorum, & egentium curam susceperunt. a locupletibus eleemosinas, quas in eos diuidant, quaerunt. operam quoque praestant morientibus. Sed neque fuere in pietatis studio Virgines virgineis sodalibus segniores. Nonnullae earum, quae nostrum templum adeunt, quotidie in secretum locum solae veniunt: ac certum tempus meditationi, precationi, piaeq. impendunt lectioni. Eaedem per temporum licentiam ad communes puellarum hilaritates, choreas, cantiones, saltationes, etiam a matronis inuitatae, matribus ipsae constantiores, ipsarum contempta leuitate, ire recusarunt. Permultae se diuino cultui addicere, humanis rebus spretis, contendunt; & cum earum nonnullas noster Sacerdos tantisper iuberet expectare, dum à parentibus missionem impetrarent: Si nullis, responderunt, nisi ista condicione ad vestram pateret familiam iuuenibus accessus, tam multos, quam nunc habet egregios Dei famulos non haberet. Deniq. tanto diuini obsequij studio tenentur; vt, cum voti compotes tam multae Anicij fieri non possint, alio ad monasterij claustra se conferant.

Excursiones nonnullae fuere magni fructus. priore anno Monostiolum vrbem, vbi, praeter conciones Quadragenario tempore, catechismum, & confessionum magnum numerum, obita sunt etiam pro-

pinqua opida,vicique. multorum militum mores reformati: eiectae ex eorum contubernijs,ipsis non indignantibus, meretrices. Excursum item ad vicinos pagos, solito eorum populorum fructu. Macheuillensem in his oris vocant Prioratum:huc quoque ventum est: & magno haereticorum dolore conciones habitae; sed sub dio, sacris aedibus tecto denudatis: & auditoribus, prae pietatis magnitudine, detecto capite, vel niue decidente, operam dantibus. Perpurgatum postmodum, & suo nitori redditum templum appensumq. tintinabulum, sex aliae sacrae aedes rursus excitatae, ac refectae,frementibus haereticis: quorum rabie haec omnia iampridem erant disturbata: consecrata altaria, antiqua sacrificia, sacraeq. ceremoniae restitutae. Haereticorum multi ad fidem rediere. in ijs octoginta quinque annorum senex. alius qui triginta ipsos annos in viliſſimo grege ministrorum versatus erat. centurioq. nobilis, qui solennes in eiuranda haeresi Ecclesiae ritus magna constantia obiuit, nudis pedibus, lino tectus, accenso funali ad templum venit: ac tanquam reus, haereticorum errores detestatus, catholicorum numero adscriptus est.In his,alijsq. peregrinationibus obeundis, pericula, incommodaq. multa nostri adiere, a grassatoribus militibus, haereticis plerisque intercepti, male habiti,spoliatiq. Vnus Turnono Anicium se conferens,cum vitandi latrocinij caussa, vna cum mulionibus noctu iter faceret, multis inter eos admistis mercatoribus. quod cautelae caussa fiebat, id in fraudem vertit. multitudo viatorum, occultum consilium palam fecit. Sparsa res in multos increbuit: atque ad venantium latronum cognitionem venit. cum maxime iter facerent,in paratas incidunt insidias: primis interceptis, alijs qua quisque potuit, dilapsis,

dilapsis, noster se ad maceriae vmbram abijcit, male tuta, & maligna latebra, luna vndique praesertim collucente, & niue solo operto, nigro ipse pallio contectus. perpendenti periculum saepius venit in mentem, vltro se prodere latronibus, ad duriorem saltem vexationem redimendam. Fretus tamen obedientia, qua iter illud aggressus erat, & Diuinae Matris ope, quae Anicij summa colitur religione, statuit Diuinae prouidentiae se committere. hominem in hoc consilio confirmauit memoria P. Salesij, superiore anno illo ipso anniuersario die martyrio affecti: ita cum strictis gladiis milites accuratissime omnia scrutarentur, cum saepe subiectum oculis, ac tantum non inter pedes habuissent, illorum tamen diuina tectus ope, indaginem effugit. Anicium, vt venit recta ad templum diuae Matris gratijs agendis, & voto in eo periculo nuncupato persoluendo, antequam domum peteret, diuertit.

DOMVS PROBATIONIS Auenionensis.

GRaues morbi totis tribus mensibus, Ianuario, Februario, & Martio, priore anno Auenionem totam infestarunt. quo tempore haec quoque domus, ita vexata est, vt duodecim eodem tempore decumberent. in quibus etiam Sacerdotes aliqui: ita vt ad sacra facienda Sacerdotes e Collegio accerserentur. Tantus aegrotantium numerus, & morbi per vrbem seuientis vis suspicionem fecit pestilentiae. Sed in hanc praecipue domum, metus aut omnis, aut magna ex parte conuersus est. Siquidem Consules, coactis medicis, serio de nostra domo publico sigillo ob-

lo obsignanda, vt in eiusmodi periculis fieri solet, cogitarunt. Sed profuit ad nos impedimento eximendos trium Principum virorum beneuola humanitas, Sauelli Vicelegati Pontificij, Taurusij Archiepiscopi, & Ascanij Cornei militiae Praefecti. Hi crebro, humaniterq. nos inuisendo suspicionem repressérunt. Adiecere ijdem, ad indigentiam leuandam, etiam eleemosinas. Tum Archiepiscopus aegrotos singulos inuisit: euangeliumq. & precationis formam pro infirmis super vnoquoque recitauit. Domesticos praeterea labores, tam multis morbo afflictis, mirum in modum Collegij Rector subleuauit, subinde mittens patres, fratresq. qui magno caritatis documento, opportuna curationum ministeria subirent. Ex omni aegrotorum numero sex omnino eo vsque morbo prostrati sunt; vt de eorum salute iam paene conclamatum esset. qui tamen, vno excepto, diuina ope omnes pristinam recepere valetudinem. Fuit hic tiro septem mensium, in magna spe frugis laetissimae repente succisus. Adolescens sexdecim: septemdecimue natus annos, Dolae fuerat puer honorarius, summis animi corporisq. dotibus ornatus: vt pro miraculo paene sit habendum, in tam lato ad voluptatem stadio, tot illecebris se obijcientibus, tam serio, tamq. ex animo ad arduum virtutis iter diuertisse. nec tamen mirum e tanto rerum humanarum aestu abreptum, iter ingressum ad virtutem tam breui tempore processus tantos habuisse, vt omnibus stadio in eodem decurrentibus, studio praesertim abiiciendi sui, longe anteiret. Tam infixum erat studium virtutum omnium, tam alte impressae radices pietatis, vt continenti vndecim dierum phraenesi, nullum commoti animi signum ediderit; nullam ne minimam quidem voculam emiserit, quae non alte insitam pietatem redole-

redoleret. obedientiae tantus amor; vt ad eius nomen videretur quasi e veterno expergisci. neque quidquam vnquam recusauit, quod illi obedientiae nomine adiuncto offerretur. Toto vero morbi tempore, quandiu mentis compos fuit, ea fuit morum compositione, moderatione actionum, & sermonum pietate, vt non virtutem modo admirabilem olerent, sed candidissimum etiam illius ingenium, lectissimamq. atque omnibus instructam virtutibus animam intuendam, vel non cogitantibus proponerent. Quam adolescentis virtutem admiratus medicus, ita de eo ad externos loquebatur, vt eos iucundo sensu pietatis raperet in admirationem. Sub ipsum extremum vitae tempus, cum ex phrenesi resipuisset, & pio sermone, & affectu in Deum, & verae omni sensu pietatis eum vitae finem fecit, qui tam contento ad virtutem cursui par esset. Fuit admirationi simul, & probationi medicis, alijsq. qui medicorum testimonio rem nouerunt, par Societatis caritas & diligentia in curationibus. nouiciorum, atque antiquorum Sociorum: cum neque labori, neque sumptui, tam in cuiuslibet nouicii, quam veterani morbo parceretur. Aegrotabat coadiutor; & de eius salute medici iam desperauerant; proinde etiam Rectorem monuerant, non esse in illo frustra sumptus faciendos. rogauit nihilominus Pater, sumptum ne respicerent: quidquid conferri posset ad leuandum aegrum, magno animo praescriberent. magni sumptus remedia adhibita: aegrotus praeter spem sanatus, pristiniq. ab eo labores repetiti.

Hactenus res prioris anni: transeamus ad posteriorem. Est haec domus in imo quidem, sed perameno vrbis loco sita. quo multi viri Principes mire delectantur; afficiuntur autem tum ameniſſimo receſſu,

tum

tum opportunitate loci, ad colligendum animum aptissimi. Illustrissimus Cardinalis Aquauiua Legatus Auenionensis, Reuerendissimus Archiepiscopus, & Corneuus summus militiae Praefectus, frequentes huc veniunt; iucundissimoq. pietatis fructus in hoc silentio, & solitudine percipiunt. Ipsi Reuerendissimi Praesules sacras hostias offerunt: Praefectus crebro sacram hostiam communicat. omnes nouiciorum apprime disciplina delectantur: & quoties sese obijcit occasio, ad ciues de illis honorifice loquuntur; magnamq.& pulchram in ciuitate de illis opinionem excitarunt. Pridie eius diei, qui Assumptioni Virginis, & qui Christi Domini natali sacer est, Illustrissimus Legatus mane, omisso comitatu, huc se recepit: ac secundum sacrosanctum sacrificium totum Matutinum tempus, pijs exercitationibus insumpsit: cibum cum tironibus vna cepit: ac se per illud tempus nouicium profiteri, iucunde declarauit. Contigit, vt fit, vt inter mensam aliquid e pulpito obedientiae nomine ediceretur; ille audito nomine obedientiae, aperto capite, & vultu ad reuerentiam composito, quae dicerentur excepit. Legati pietatem imitatus Archiepiscopus Vrbinatium Prolegatus, ipso natali Matris Virginis die nouicios inuisit; sacrisq. operatus, eos sanctissimo ferculo refecit: atque vna cum Illustrissimi Legati fratris filio cibum, nobiscum vna sumpsit, iucundeq. definita hora animum laxauit. Eandem in tirones piam praestitit beneuolentiam, ipso anniuersario fundationis die Archiepiscopus: atque ad diuinum epulum adiecit hortationem, nostris institutis, & illi ordini accommodatam. Sed haec sunt illi,& vsitata.& solemnia. Fuit huic domui posterior hic annus insignis,accessione sacrosancti Christi corporis, quod in domestico sacello asseruari coeptum est.

est. Sed fuit ad priuatas idem fortunas calamitosus. Nam in nostra haec Gallicana turbulenta huius anni tempestate, trecentorum coronatorum damnum fecimus, inuidia eorum, qui aures nacti faciles, atque in nostram perniciem propensas, nos volunt omni malorum genere pessundatos: maximam praeterea bonorum partem amisissemus, quae est sub iure Regio, nisi primaria femina Aloysia de Ancesuna Fundatrix, datis litteris ad Regiam, strenue sua, nostraq. iura defendisset. Eadem, stroma suis manibus contextum, eleganterq. sericis discriminatum, ac filo aureo distinctum, sacrario donauit. Et vt inter haec pericula laeto aliquo nuncio narratio claudatur, optimae spei adolescens, opulenta familia prognatus, multis superatis laboribus, multaq. incommoda perpessus, Parisijs longo itinere nostrae ineundae caussa Societatis, huc se contulit.

SOCIORVM LVGDVNENSIVM Proscriptio.

HAec de rebus huius biennij, vtcunque laetis, aduersis tamen aliquibus admistis. Nunc quam forti animo boni sodales merum Domini calicem biberunt, exponere aggrediamur. Et quidem Lugdunensis res, quam nobis inter tot tumultus bellicos prospere ad superiorem vsque annum processerit: quantaeq. felicitatis semina iaci cepta, & bonarum progressionum spes enasci videretur, proximae litterae copiose satis declararunt. Sed illo ipso anno, cum legitimo adhuc Rege nullo declarato, ciuitas esset in partibus; & Dux Nemoreus, qui pro partibus rem Lugdunensem administrabat, ob atroces suspiciones

dome-

domesticis parietibus coercitus esset; maleuolorum obtrectatione, earum suspicionum inuidia in nos praecipue, quibus ille familiariter vtebatur, redundauit. itaque vulgo tanquam coniurati habebamur: conuicijs passim domo egressi proscindebamur: Regni, Regiaeq. Maiestatis hostes ad publicam quietem euertendam nati, audiebamus. proinde aut in vltimas terras asportandos, aut esse in Rhodanum deijciendos. nobis imperita multitudo opprobrabat, in triuijs schedarum probra praefigebantur, famosi libelli edebantur, accusationes diuendebantur, quibus summi Pontificis satellites, & malorum omnium, quae toto hoc bello improbi Gallia tota fecerunt, auctores accersebamur. Iam quibus e fontibus, ista manarent, Summi Pontificis nomen satis] indicat. etsi nostris incommodis posthabitis, quantum miseri potuimus, Romani Pontificis auctoritatem a sugillatione vindicauimus. Denique eo progressa res est, vt domi concluderemur omnes; custodiaeq. in templo, ad scholas, ad omnes Collegij exitus, circa nostras aedes perpetuo excubarent. nequis domo exiret, nisi diligenter excussus, & multis interrogationibus fatigatus, aut ad nos alij penetrarent, cauebatur; nec quisquam ad nostrum colloquium, remotis arbitris, admittebatur. quidquid intro inferebatur, opsonia, vtensilia, libros, ipsas etiam litteras venatici perscrutabantur. tantum non sacrae confessiones in templo explorabantur. merces, aliaq. quae nobis apportabantur, ad portas reuoluebantur, lacerabantur, dissipabantur: litterae per ludibrium conscindebantur: nostri homines qui forte Lugdunum proficiscebantur, contumeliose tractabantur, excutiebantur, tanquam hostium exploratores, infestis animis, vexabantur, vestibus prope nudabantur, per speciem nequid contra

tra publicum ciuitatis bonum importarent. Tandem cum se iam ciuitas noui Regis potestati subiecisset Ad vij. id. Februarias anni millesimi quingentesimi nonagesimi quarti, Senatus prima cura fuit ad nos summum militiae Praefectum, quem Tribunum nominant, delegare. Is nobis Magistratuum nomine subitam illam rerum conuersionem custodias appositas, & populi tumultus, excusauit. se metus nobis, si quis esset adimendi caussa missum esse: ac post longam conquestionem de superiorum temporum incommodis, de Principum ambitione, de Summi Pontificis in Rege absoluendo cunctatione; post laudatam Regis praeclaram voluntatem atque omnibus iam perspectam religionem!, magistratuumq. prudentiam, aequitatem, vigilantiam, ad extremum adiecit optare se, vniuersumq. consilium, vt in praesens, libero ab omni suspicionum metu animo viueremus: interim Regis voluntatem expectaturos. cui si aliter visum sit; tum se a nobis postulaturos, vt fines alios incolendos, alias sedes nobis domicilio quaereremus. aut si ea condicio non placeret, Regis imperium acciperemus; eiq. solemnibus, conceptisq. vocibus acclamaremus. Ad haec paucis Proprouincialis, (nam Prouincialis ipse aberat Romam, ad conuentum Societatis vniuersaè profectus) Nos non esse nostri iuris, sed e Praesidum pendere potestate: neque nobis esse liberum, in publico negotio, nisi ex eorum praescripto quidquam statuere. summo tamen consilio, & magistratibus, de tanta in nobis tuendis beneuolentia, gratiam habere; eiusq. beneficij perpetuo memores futuros. Sub idem tempus viciniae nostrae decurio (militare munus id est, vrbis descriptis regionibus tuendis institutum) iam pridem nobis infensus, nostrum discipulum puerum manu tra-

nu trahebat, quem se ad scholas venientem cum abdito sclopulo deprehensum clamitabat, sclopulumq. manu altera ostentabat: ad nos arma comportari, nostras deprehensas coniurationes; nostra consilia, nostros detectos apparatus. Tam subitae rei atrocitate, quae vera esse videretur, nostri perculsi, etsi attoniti primo haesere, mox tamen receptis animis, visum est primum ex ipso puero rem, cuiusmodi se habeat, exquirere. & si fateri cunctetur, ad rem totam proferendam verberibus adigere. Quod & si seuere administratum est, quia tamen non decuit saeuire, nil aliud exprimi potuit in praesens, nisi se telum domo pecuniolae conficiendae clam subripuisse, quae res maiorem suspicionem faciebat. At postea certis iudicijs cognitum est, a beneuolo vicino, fido custode regionis, praemiolis subornatum puerum eam tragoediam exorsum esse. Eodem ipso die idem perfidus decurio, duobus sibi comitibus adiunctis, & caterua stipatus puerorum, in atrium nostrum armatus irrumpit; magnisq. vociferationibus, faustas Regi pertonant acclamationes. Accurrit ad clamores Proprouincialis: audax ille, hasta intentata, Patrem repellere conatur, iubet eandem Regi sospitatem comprecari. non tamen deterritus est noster, quo minus praesenti animo responderet: curam hanc esse magistratuum: non illis prudentiam, non aequitatem deesse. Hoc constanti responso fracta audacis hominis ferocia. Sed non impune eam contumeliam caelestis vindex abire passus est, plus poenarum vidimus, quam exegissemus, vel si maxime vlcisci vellemus. Paucis post mensibus, miser ille eiusdem coniurationis, cuius nos insimulare conatus erat, accersitus, in quaestione illud ipsum, quod in nostrum intentauerat, imprudentia carnificis brachium perdidit;

didit; & diuturni carceris squalore confectus, miserrimam adhuc, cum in Prouincia litterae darentur, trahebat vitam. Sed tamen illo ipso die, irritatae furor multitudinis magis, magisq. tumultuari coepit contra nos. nos iam ad caedem, nostras aedes ad direptionem designare; & qua esset irrumpendum consilia inire. Sub vesperam, nobis nunciatur, nil propius abesse, quam vt intempesta nocte armata plebs nefaria consilia exequeretur, & feciissent vtique, ni mature admonitus tribunus, illorum furorem repressisset. misit chirographum, quo aduersus impetum furiosorum vteremur: excubias ipse, alijs submotis, nobis apposuit: & nos ad praesens duntaxat, in suum patrocinium suscepit. Sed non his rebus fractus furor perditorum. Postero, & sequentibus diebus adolescentulos gymnasium nostrum frequentantes, indignis modis diuexabant, ceruicibus raptabant, pulsabant pugnis; pedibus proculcabant, aures, genas, nasum etiam crudeliter vellicabant; mortem intentato gladio, & incendia minabantur, ni faustam Regi fortunam precarentur. Sed mira in tam acerba iniuria constantia puerorum fuit: cum ab ijs aliud nihil extorquerent, nisi quod vnum ipsi docueramus: Debere vnumquenque Regem suum reuereri: sed quis legitimus sit Rex, Romani Pontificis esse declarare. Puerum tenera admodum aetate, ac paene infantem, audiuimus ab ijs elatum in sublime, iussumq. Regi bene comprecari, alioqui se in subiectum ignem coniecturos, intrepido animo respondisse; malle se incendio absumi, aut per summos cruciatus vita spoliari, quam Regem vllum agnoscere, quem Summi Pontificis non probasset auctoritas. Sacerdotem nobis perfamiliarem, quia cultu corporis vestituq. non multum a nostro discrepabat; errore lapsi,

aliquem e noſtris eſſe rati, duo milites, reſti collo iniecta, diu raptarunt: fauceſq. illi eliſiſſent, niſi quorundam interuentu, qui errorem detexerunt, liberaretur. rumor tamen increbuit, Ieſuitam a militibus reſti ſuffocatum. Viſum eſt ad Magiſtratuum auxilium confugere. Declararunt Magiſtratus noſtras iniurias ſibi non placere: daturoſq. operam, vt pueris liceret ſcholas impune frequentare. Sed ne ſic quidem, niſi ſatiati ludibriis, diuexationibuſq. puerorum deſtiterunt. Inter haec Pariſiis perfertur, noſtros in ampliſſimo illo totius Galliae conſilio, capitis accerſitos, multorum, atrociumq. criminum accuſatos, ab omnibus deſertos, breui exterminatum iri. Iniquorum videlicet animi, ſeſe ad nouam veluti praedam erexere: rati eandem nos hic, qualem Pariſiis fortunam habituros. Affertur acerba illa accuſatio, quam praeclarus ille iure Coſ. nominis ſibi faciendi cauſſa, non tam contra nos, quam contra veritatem, contra ius, faſq. contra Catholicam Eccleſiam falſis criminationibus, impudentiſſimiſq. mendaciis refertam, in Senatu Pariſienſi euomuerat. Egere noſtri cum iis, penes quos ius eſt, obnixeq. rogarunt, ne quod aduerſarii moliebantur, tam impudentem farraginem mendaciorum, ac calumniarum prelo mandari paterentur; vt ne cui imperito, tam atrocia mendacia errandi cauſſam praeberent. Dederunt aequitati, quod petebatur; & publicis litteris, publico ſigillo munitis excudi typis, aut in lucem edi infame monſtrum vetuerunt. At vero ita non fuit rata magiſtratus auctoritas; vt, nobis illius edicti praeſidio ſecuris, ac nihil inde mali formidantibus, accuſatio excuderetur. ita quaſi iocus eſſet, publicam infringere auctoritatem, inſcripto etiam nomine librarii, in lucem editur, ignominioſa noſtro nomini

mini adiecta in fronte inscriptione. IN LAESAE MAIESTATIS REOS IESVITAS, SCELERIBVS OMNIBVS COOPERTOS, ATQVE CONVICTOS, DAMNATORIVM PARISIENSIS SENATVS DECRETVM. Hoc maledicentiae praeconio feralis illa chimaera, venalis tota vrbe proponitur, ac circunfertur. his maledictis vrbis plateae compitaq. omnia personant. Continuo minuti institores conuolant ad nos, in media gymnasii area, ad valuas scholarum, in auribus, & oculis magistrorum, discipulorumq. circa omnia aedium nostrarum loca, insanae vociferationes audiuntur: nobis ipsis per vrbem ambulantibus infames tituli recitantur: pestiferi libelli venales obtruduntur. Res pleniſſima iniquitatis a cordatiſſimis quibusq. iudicatur. omnes vident, mirantur omnes. hiscere audet nemo: ne voculam quidem nostrae innocentiae obtendere. Haeretici videlicet triumphant, & catholicorum inertiam irrident. Sed cum Parisienses socii, in eo rerum turbine, non suae cauſſae indormiissent, sed egregiam aduersus impiam mendaciſſimi blateronis impudentiam apologiam Senatui Parisiensi obtulissent, eius exemplum ad nos, quos sciebant iisdem criminationibus circunueniri, iterum, & tertio, miserunt. praeclari vero legum vindices, vulturibus sagaciores, quasi praesagio rem odorati, semel & iterum nostras litteras cum volumine interceperunt, suppresseruntq. iamq. se ad tertium furtum comparabant, nosq. omni praesidio expoliassent, nisi miro modo, nobis Diuina prouidentia fauisset. Sub ipsum enim aduentum tabellarii, forte vir integerrimus interuenit. videt nefariam fieri pactionem; vecturae mercedem ab eo, qui fucum nobis faciebat, persolui liberaliter. hic

omnem rem patribus enunciat. noſtri hominem conueniunt: ſua poſtulant. ille aliquandiu tergiuerſatus, tandem interrogationibus fatigatus, ad alios, atque alios circunducendo, eos tranſmiſit. Cumq. noſtra tandem nobis eſſent reddita, nouum oritur certamen, de excudendi poteſtate. obiicitur nobis, rem eſſe multorum cognitioni, & cenſurae ſubiiciendam. ita liber, multorum manibus circumlatus, vt excudatur, aegre tandem impetratur. Ita apud bonos duntaxat innocentia defenſa; & fallacia, atque impudentia reiecta. Sed malis gliſcentibus in dies, qui ſua auctoritate, & apud multos gratia magnam partem obuiam ire, & multa domi componere, quae fluctuabant, potuiſſet P. Prouincialis iam Roma aderat: ſed vt in magnis rerum motibus aliae ex aliis ſuſpiciones oriuntur, ad vrbem accedere prohibebatur. Cognitum erat Summum Pontificem mandata illi dare ad ciuitatem voluiſſe; ipſumq. maiorum malorum metu, onus deprecatum eſſe; verebantur tamen ciues, ne, quod palam fieri non potuit, id occulte tentaretur, ac ne quid clam haberet in mandatis, quod illorum conſiliis aduerſaretur; & ciuitatis quietem perturbaret. Vnum erat remedium rei duntaxat domeſticae componendae, ac ne illud quidem ſatis efficax, agere per litteras: at id quoque vti ſupra demonſtratum eſt, ſublatum erat; cum ad portas omnes noſtrorum litterae interciperentur. ita ne domeſtica quidem commode ſatis habere videbantur; cum minime nobis opinantibus, in comitatu Turnonii Comitis P. Prouincialis in vrbem introiit. ſed breuis eius laetitiae vſura fuit. Cum incredibili voluptate omnium animos compleſſet, rebus domeſticis, vt tam arctis potuit temporum anguſtiis, compoſitis, ad publicas tollendas ſuſpiciones, cum Turnonio ad Ma-

giſtrum

gistrum equitum, quem Comitem stabuli vocant, venit. Conuenerant eo consules, aliiq. publici consilij Principes. Ibi rationem sui in vrbem aduentus exposuit: vt quoniam multa, & atrocia in nos conijcerentur, si quid esset, quod aut ipse, aut nostri ciuitatem offendissent; id corrigeret, & ciuitati satisfaceret; &, vt quacunque re possent, omnium nostrum, vt semper fuit promptissimum omnibus obsequium deferret; tum vt suo Prouincialis munere, re nostra priuata ordinanda fungeretur. orare vt si quid aduersum se haberent, coram dicerent. Duo illa tantum, e re nata, & commenticia, veri criminis inopia commemorarunt, quae vulgo iactabantur: occultam ipsius ex vrbe Lugduno fugam; & nimiam cum Duce Nemoreo familiaritatem. Ad priorem obiectionem ipsorum Consulum conscientiam testatus est; se luce & palam, non modo ipsis spectantibus, sed etiam prosequentibus, profectum esse: praeterea quod etiam pueri nossent, ac meminissent, semestre toto, se se ad hanc profectionem comparasse. neque vniuersa totius Societatis nostrae comitia, in vrbe Roma, in principe illo vniuersi orbis theatro habita, rem tam obscuram fuisse, atque abditam, vt ad fugae latebram, velamen tam necessariae profectionis, obducendum fuerit. Ad Ducis Nemorei familiaritatem, se saepius hominem adijsse priuati officij caussa. nos ad omnium hominum vtilitatem natos, omnium commodis ex instituto nostro inseruire oportere: neque esse, cur aut se aut ciuitatem suae cum Nemoreo familiaritatis paeniteret. Oportere eos eius temporis meminisse, cum res Lugdunensis in arcto versaretur, ciuitas fame laboraret, vrbs obsidione premeretur, omnia trepidationis plena fluctuarent; se virorum Princi-

pum rogatu, ciuitatis cauſſam ſuſcepiſſe; obitaq. ad Nemorei fratrem legatione, vrbem obſidione, ciuitatem metu liberaſſe. Poſt hoc commune ciuitatis periculum, ſe nullam vnquam, neque antea, neque poſtea partem ciuilis rei attigiſſe: qui vt noſtra poſtulant inſtituta, à rebus publicis ſemper abhorruiſſe. harum rerum conſules ipſos teſtes eſſe; nominatimq. eos, qui aderant, compellauit, rogauitq. vera eſſent, necne. Hic omnes obmuteſcere, mutuo ſeſe circumſpectare; fateri vera eſſe, quae commemoraſſet, petiere tamen vnius diei moram ad reſpondendum. Poſtero die, duo ad Patrem Conſules delegantur; qui nomine ciuitatis rogarent; vrbe cederet; ne cum Archiepiſcopus, alijq. viri grauiſſimi extra vrbem eſſe iuberentur, hoc ipſius priuilegio iniuriam ſibi factum iri quaererentur. Addunt tamen, dicis videlicet cauſſa, gratum ſibi fore, ſi, cum Rex venerit, ipſe libere ſe referat in vrbem. Ad haec Pater ciuitatem ſe ſemper ſingulari beneuolentia proſequutum, multis annis omnium commodis inſeruiſſe; & nunc eadem beneuolentia, publicae ſecuritatis cauſſa vrbem relinquere: ita tertio, quam venit die multis ſuorum cum lacrymis, diſceſſit. Inde vt ex malis alijs alia ſererentur, ad tam graue, tamq. peſtilens irritatae ciuitatis odium in nos, inſanus & rabioſus concionator Lutetia miſſus, tanquam venenatus vnguis ad vlcus, acceſſit. hic ſtygio veneno linguam exacuit, imperitumq. vulgus, non ad odium tantum, ſed ad ſaeuitiam quoque in noſtrum nomen incitauit. nos noſtrumq. ordinem in concione nominatim laedere; atque omnibus probris, ignominijſq. concidere, audaciſſima impudentia, non erubuit. Palam in principe concione proclamauit, Ieſuitas Galliae vniuerſae plures, quam Caluinum, eiuſque ſectatores cla-

des

des intuliſſe. Iudam ipſum, cum Chriſtum prodidit, non ſe tanto ſcelere contaminaſſe, quanto iſtos Iudaiſtas (hoc nos nomine acuta maledicentia nominabat) cum Regnum florentiſſimum Hiſpano licitati, Regem ipſum de medio tollere conati ſunt. Et ſane verſipellis cum de Caluino loqueretur, ea è vero ſenſu proferebat. nunquam enim, vt declarauit exitus, Caluinum perniciem vllam intuliſſe exiſtimauit. Haec, hiſq. ſimilia, praeter conciones, in congreſſionibus, in circulis, in compitis paſſim vbique plebis inconditae auribus obtrudebat. vt ſi vere vel tales eſſemus, quales nos illius fuci, non colores depingebant, ſtygia tamen maledicentia multum ab Euangelica loquutione diſſideret. Ea tanto auidius a credula multitudine excipiebantur, quanto maiorem illi auctoritatem, religio faciebat, quam profitebatur. & vulgus in noſtrum exitium erectum, nil aliud niſi noſtrum aut exterminium, aut extremum ſupplicium loquebatur. Audita vox fertur mulieris lignariae multa faſciculorum millia ad omne Ieſuitarum genus vno incendio concremandum offerentis. Multos annos in ſcholis noſtris ante verſatus Patronus quidam, gratam ſcilicet memoriam, & plenam pietatis voluntatem nobis tam afflicto tempore rependit. is iuratus dixit: nihil ſibi poſſe iucundius accidere, quam ſi vnum ſaltem Ieſuitam videret in crucem ſactum: ſe cibum potumq. & quoduis aliud oblectamentum neglecturum, dum hoc oculos paſceret ſpectaculo. quanto id gratius, optatiuſq. tale de ſe ſpectaculum praebenti? neque animus periculo deeſſet. Interim, malis hiſce ebullientibus, veſanus ille adoleſcens Pariſijs Regem ferro violauit. confeſtim nuncij Lugdunum perferuntur; Ieſuitam Regem obtruncare adortum, in ipſo facinore eſſe deprehenſum.

sum . id calendis ipsis Ianuarijs , anni millesimi quingentesimi nonngesimi quincti Lugduni increbuit. eo die primum sensimus huius iam annuae tragediae catastrophem instare . postero die nuncij atrocitas lenitur; non Iesuitam veteranum , sed nouicium; tertio die,ne nouicium quidem Societatis , sed Collegij nostri discipulum , suasu confessarij horrendum facinus adortum esse.id ipsum adolescentem in quaestione aperuisse . Sed neque tum erat in nostra disciplina : quippe emensus Philosophiae cursum , se ad iuris prudentiae studia transtulerat : & constat ipsum exquisitissimis tortum supplicijs , neminem e Societate eius affinem culpae nominasse , ita non est facile omnes mendaciorum fibras reuellere , cum praesertim ad mentiendum odio animi incitantur . Hoc nuncio creuere animi aduersariorum , eo vsque vt Sacerdotem nostrum dum ad habendam concionem proficiscerétur , collocato ad pontem Araris cum aenea fistula percussore,interficere in transitu constituerint, sed homini saluti fuit nostra calamitas . Sub ipsum tempus adeundi concionem , publico ciuitatis edicto,concionis iure nobis interdicitur.Tum vero haeretici animos inflare; ille in primis personatus buccinator venenum lingue effundere;nostrumq. nomen, nemine illi respondente , petulantius , quam ante insectari . Acuit rabidam linguam haud ita multo post Parisiensis Senatus , de nostra proscriptione decretum , Lugdunum perlatum . hanc homo amens & furiosus , in nostrum nomen desaeuiens , nactus occasionem , suopte ingenio concitatum vulgus irritat; optimatium odia inflammat , in nostram perniciem spectantium . eos per quicquid haberent in vita carissimum obtestatur, respiciant remp. consulant otio communi ; publicam , priuatamq. salutem tueantur,

Regis

Regis iniurias vlciſcantur; damna ſuperiorum temporum, noſtris proditionibus illata, recordentur; ſentiant veniſſe tempus cum perduelles Ieſuitae, Regum interfectores, perturbatores Regni, rerum diuinarum, humanarumq. euerſores, vna cum Regni totius ſanie, ac putredine exterminentur. nunquam miſeram Galliam quieturam, niſi peſtilens illud vlcus, & venenata vomica ignito aliquo ferro exſecetur, expurgetur, aduratur: aut certe Regni peſtis, & morborum omnium ſentina, vltra vltima omnia maria eijciatur. Fuit facile opprimere aduerſarios non repugnantes; & perſuadere quod iampridem erat in optatis. Ita in noſtram perniciem inclinantibus omnium animis, ſtygia illa ſeditionis tuba, praeclarorum laborum ſuorum praemium noſtram ſibi bibliothecam ſpoponderat. Sed triumphum ſibi cecinerat ante victoriam. Nam cum iam ante non in noſtrum modo nomen fuiſſet procax, & impudens, ſed in Summum etiam Pontificem è ſuggeſtu illa ſceleſtus effudiſſet, quae non niſi in concione Geneuenſi effutirentur (tantum ei licentiae dabat audacia) catholicorum quorundam animos in ſe accendit. praeſertim cum animaduerſum eſſet, ipſum frequentem adire Caluiniſtam inſignem, tota vrbe notum, & Lugduni increbuiſſet vxorem ipſum, liberoſq. alere; & ementito habitu, huc, quaſi tempeſtate delatum, appuliſſe; paſſim vero probi iuſta, atque improbi eum miniſtrum eſſe haereticum dictitarent. his offenſi rebus nonnulli hominem noctu erraticum, & vagum nacti, fuſtibus egregie illi terga complanarunt; tum multa lapidatione agitatum, ſemiuiuum reliquerunt; ac parum abfuit, quin in propinquum profluentem merſerint. Secundum haec, Pater eius ordinis Guardianus, non ſemel ad nos adijt; illius co ntuma-

ciae

ciae culpam a se atque a suis omnibus amoliens; hanc feram belluam se suorum numero non habere; quod nullo cum testimonio, potentium quorundam tantum commendatione huc venisset; ac sese illorum gratia fretus, in illud munus intrusisset: rogare, ne ob illius improbitatem, solitam a sua familia beneuolentiam auerteremus. Et vero non potuit venenum diutius latere. Ciuitas male vbique audiebat, quod haeretico concionatore vteretur. Hac infamia permota, hominem futilem, ac clamosum rabulam non modo sua nostrorum librorum petitione deiecit, sed vrbe etiam exterminauit. vt qui nos omnibus eiectos finibus videre cupiebat, nostri exsilij praecursor esse posset, spectator quod optabat, non posset. ita consilium Achitophelis in ipsum recidit caput auctoris. Nostrae interim calamitates ad maturitatem veniebant. Placuit nefarij hominis consilium etiam eiecto auctore. Proponitur in omnium ordinum consessu Parisiense de nostro exilio decretum; vt quid facto opus sit, statuatur. Non fuit in tanta ciuitate ne vnus quidem, qui innocentiae causam susciperet. non tamen statim fulmen iactum est: ille videlicet nodus erat dissoluendus: causa quaerenda, cur iuste eijceremur. Ergo rem procrastinari placuit. Inter haec circa idus Ianuarias, ad multam noctem Tribunus magna cum armatorum manu venit ad nos: in collegium irrumpit: collegij claues occupat, custodias toto collegio disponit, ne quis e collegio elabatur aut ex aedibus quid exportetur, neue in colllegium alius irrepat. Ciues sunt praefecti excubijs portarum, hos Notabiles ciuitas nominat. ex ijs duos toti collegio praefecit: alterum ianuam, alterum ostium ad sacrarium custodire iubet. edicit vtrique seuere, nequem omnino cuiusuis ordinis hominem ad nos

intrare

intrare paciantur, scholas tantum nobis permittit exercere: & hoc ad populi honestioris vitandam offensionem: aliorum omnino ministeriorum vsu interdicit. Interim militibus large cibos, potus, & ligna praeberi imperat. ita tota illa nox relinendis dolijs, vinis eligendis, & potationibus traducitur. interim vis lignorum ingens absumitur. Erant milites omnino supra sexaginta; & omnia ijs ad libitum quotidie suppeditanda: conclauia perpetuo diu noctuq. ambulationes, atria, porticus, horti, inconditis vocibus, periurijs, exsecrationibus, impuris cantionibus, militaribus iurgijs, & lasciuientium, bacchantiumue clamoribus personabant. cum interim nihil de religiosa disciplina, deq. horarum, actionumq. partitione intermitteretur; quin in tanta rerum confusione, tanta iniuriarum perturbatione, summa per nos animi tranquillitate administrarentur omnia. quidquid petebatur, sedato, promptoq. animo exhibebatur: asperitas militum, petulantiaq. aequitate animorum, & sermonis lenitate vincebatur. ipsi nobis infesti milites, tantam animi constantiam, & aequitatem mirabantur. & cum alioqui aspere de nobis loquerentur, benignitatem tamen, & animorum aequitatem quasi nostras iniurias non sentiremus, efferebant multis laudibus. Et quamuis irritata esset paene vniuersa ciuitas in nos, tanta tamen illata nobis iniuria, & militum procacitas, rumore vulgi dissipata, etiam nostros offendit aduersarios: & qui nobis erant infesti; animaduersione dignam iudicabant. ipsiq. milites nostrarum rerum dilapidatores, per vrbem ambulantes, digito ignominiose notabantur. Verum illud torquebat aduersarios, quod nullam satis dignam causſam inueniebant nostri exterminii. quare ad Parisiensium artes confugere constituerunt. Quendam

e no-

e nostris auditoribus, quod Parisijs factum esse cognouerant, falsis criminibus, quae pertinerent ad Regem, circumuenire aggrediuntur. sed cum res ipsa sua vanitate concideret: ac procerum vigilantia, quibus ille affinitate iunctus erat, obstaret, incepto destiterunt. Illis alia in id excogitantibus, nec satis dignum quidquam inuenientibus, miles e castris Nemorei transfuga, tanquam comicus testis Phania accessit ad caussam. Is mentitus est, se paullo ante quam Rex vulnus acciperet, ex ore Iesuitae Lugdunensis, qui frequens Principem adiret, audisse: Galliam aliquando a tantis miserijs respiraturam. fore enim breui, vt quidam è caelo ictus caderet. crimen illi simile, quod duo falsi testes ad Cayphae tribunal Christo Domino obiecerunt. Sed adornatum mendacium audacem testem, & strenuos nactum vindices, e caelo oblatum visum est. ita hominem magnis pollicitationibus oneratum: ad indicium strenue prosequendum adhortantur. Adiunguntur illi duo collegae, & eorum alter Caluinista: qui vna cum illo rem indagent: Sacerdotem illum obseruent, & agnoscant: eiusq. rei caussa, clam ad nos saepius venere, ac nihil ex sententia deprehenderunt. Tota vrbe interim rumor dissipatur: Iesuitam perduellionis conuictum breui esse extremo supplicio afficiendum. nempe improbitas Parisienſi pabulo delectata, saepius ad escam eandem recurrebat. Nostri, calumnia cognita, cum scirent promptum esse falsis criminibus quemlibet opprimere, mutuo sese ad extrema quaeque toleranda, & sermone hortabantur, & precibus ad Deum comparabant. Sed cum comparatus index nihil expediret; mittitur vt nostros omnes vnum in locum coactos contempletur; & ex ijs eum deligat quem notauerat. Tum vero Diuinam prouidentiam nostri

experti

experti sunt: nam cum omnes ita conueniissent, vt vnusquisque se eo die victimam ad sacrificium lectum iri existimaret, nequam ille popa, omnium constantia, alacritateq. perterritus, ita expalluit, vt si ipse in rotam statim rapiendus esset. armatus igitur inter inermes pauidus, tremensq. cum singulorum nomina ex tabella ianitoris recitasset; singulosq. timide, remisseq. intuitus esset, semimortuis verbis: non comparere eum, quem quaereret, pronunciauit. ita, re infecta, qui ferox modo venerat, nocenti & damnato reo, quam accusatori similior, abscessit. ergo hae quoque alterae insidiae irritae fuerunt. Tum noster Praeses, *Benedictus*, inquit, *Deus, qui redimit nos a calumnijs hominum, vt custodiamus mandata eius*. Socij, eo periculo perfuncti, solemne gratijs agendis Deo carmen cecinerunt. Tres iam ipsas hebdomadas, & quot excurrere dies, domesticum illum carcerem, cum feris illis inexplebilibus nostri iam pertulerant. Silebant eo tempore amici, cum & irritam fore nostri defensionem intelligerent; & ex Principum offensione suarum fortunarum, ac sui capitis periculum perspicerent. maerebant tamèn domi; & quibus poterant, furtiuis schedis, eleemosynisq. afflictam nostram fortunam sustentabant. In his Comes Turnonius, qui tum pro Comite stabuli Lugduni praesidebat, & per internuncios saepius salutauit: & ipse coram adijt nonnunquam; neque beneuolentiam dissimulauit; militumq. sua auctoritate castigauit insolentiam, contumaciam repressit; multis nos aerumnis liberauit; nec dubitauit simultates cum optimatibus nostra caussa suscipere. Ad extremum prid. cal. Februarias Propraeses, cum Regio procuratore, & tribus quatuorue consulibus, sub noctem ad nos mittuntur, qui nobis Senatusconsultum

denun-

denuncient. edicunt vt die craſtino vrbe omnes excedamus; neque quidquam inde, praeter ſuas quiſque ſarcinulas auferamus. Poſtulat noſter Praeſul, quod item Pariſijs factum eſt, tridui ſaltem moram; ac ne tam ſubitum diſceſſum, tam arctis temporum anguſtijs concludant: atque vt ad itineris vſum, aliquid eorum, quae ſuperiores ſuo labore nobis acquiſierant, nobiſcum ferre patiantur. Reſpondit Propraeſes, vt in tumultu diſertus videretur; Nos non ad Baias, aut delicias mitti: debere ea lege contentos faceſſere, quam Regia Maieſtas, Senatuſq. dediſſet. hoc docto reſponſo iniuriae inhumanitas alleuata. At ſaltem inſtat noſter, aliquod tanti ſupplicij crimen proponite. Qui in caput, inquit, Regis coniurarunt, quo omnium ſalus continetur, ij pari poena omnes plectendi ſunt. Non deſeruit cauſſam noſter: rogauitq. An inſontes homines, & indemnatos licet proſcribere, ante quam de illorum cauſſa quaeratur more, ac legibus? Hic cum haeſiſſet aliquantum Propraeſes; poſt, quaſi illud pronunciaturus. *Animaduerte & dicto pare*: &, *Si te hic ſecundo lumine: Non tam iſta*, inquit, *reſpicienda ſunt, quid ius. quid conſuetudo poſtulet, quam quod ſciſcit plebs, nobilitas iubet, religioſi ordines optant, Pariſienſis Senatus decernit. Rex denique, a cuius nutu pendere decet omnes, imperat.* Accepit imperium noſter; paratoſq. omnes ad mandata exequenda profeſſus: quando ita Diuina permitente Prouidentia nobiſcum agitur, non deerit, inquit, nobis occaſio diuinae rei alibi procurandae, & in proximorum ſalute laborandi. Elicuit Procuratori Regio, multiſq. alijs vbertim lacrymas pia, & à iuſto expreſſa dolore ſententia. Quare cum aequi nihil impetrari poſſet, omnes ſe ad ſubitam profectionem compararunt. Prima cura fuit,

magnum

magnum numerum damnatae doctrinae librorum igni tradere, durauitq. incendium, frementibus Vgonotis, prope ad meridiem diei insequentis. Qua scilicet hora ij, qui nobis discessum imperarunt, ad nos venerunt. ac primum belli hospites prandium sibi expediri: post, bibliotheca, omniq. re domestica, tum sacra, tum profana sigillo Regio obsignata, e vestigio nos abire iusserunt; quantulamcunque moram longam esse proclamantes. Ad hanc denunciationem luctus fuit, videre nostrorum discipulorum complorationem. Diceres funus indictum ciuitatis: ita lugentes, commiserantesq. palam nos prosequebantur: se suaq. omnia ad viae vsum, & laborum leuamen deferebant. Nec defuere beneuoli, qui ad nos, per media armatorum tela luctu saltem prosequendos, accesserunt: & inter eos nobilissimi non pauci in collum singulorum procumbentes, lacrymarum largam copiam profuderunt: multasq. eleemosinas nobis ad viaticum contulerunt. Ipsi illi, qui nobis antea infesti fuerant, rei acerbitatem non ferebant: & quod de crocodillo ferunt, hominem a se interfectum aliquando gemere, tam acerbum discessum deplorabant. Scriba publicus, qui alieniore animo a nobis esse visus erat, non modo lacrymis, sed etiam viginti aureorum numorum eleemosina suum nobis dolorem declarauit. quae in tenui fortuna homine ampla satis benignitas agnita fuit. Heluetij milites, quibus atrij nostri custodia commissa erat, in nostris malis lacrymas multas fuderunt. Vni nostrorum, qui lugebantur vultus, inter tot lacrymantium ora, facieq. maestitia deiectos, erecti, laeti cernebantur; siccisq. oculis in suo luctu aliorum lacrymas excipiebant. Egressi tandem inter armatorum agmina, Rhodanum petere iubentur; ne, si vsitata via proficiscerentur,

tur, ciuium animos miserando agmine permouerent. cum praesertim multi nos cum lacrymis, vel militibus inuitis, prosequerentur; totumq. litus nostrum casum deplorantibus compleretur. Tanta tamen fuit aduersariorum suspicio; vt cum vnus e fratribus Christi cruci affixi signum paullo maius veste obuolutum secum asportaret, Propraeses id deponi, ac reliqui iussserit, quod ad commouendam seditionem, auferri suspicaretur. Et, cum octo ex ijs Dolam essent profecturi, nullaq. alia, nisi per vrbem esset via, eos operta lectica extra vrbem curauit deportandos. Et quoniam multa in itinere iis, cum ad ipsorum calamitatem augendam, tum ad diuinam prouidentiam laudandam, euenere, ex multis, quae perscripta sunt, nonnulla persequar, quae omitti nullo modo debuerunt. Nauibus impositi Rhodano iter ceperunt. Est non longe a ripa fluminis, circa vrbis pomerium, Xenodochium mendicorum, curae religiosarum mulierum commissum. cum ad eum locum venissent, piae feminae se cum lacrymis, & eiulatu, ad litus effuderunt: positisq. humi genibus, sublatisq. in caelum oculis, manibusq. nostram conquestae fortunam, faustum, vt in malis, iter saltem precabantur. Sed ne in eiectione quidem, calamitatum, & periculorum finis. noua in itinere discrimina, vrbana damna exceperunt. Vix ad tertium, quartumue ab vrbe lapidem progressi erant, cum consilium cepere nautae subsistendi: neque ijs, vt progrederentur, vlla ratione persuadere potuerunt. Erat in fluminis crepidine male sarta domuncula, nullis ad victum quietemue praesidiis instructa, & vagantium e proximis stationibus militum excursionibus infesta. Hic multa adhuc superante die, nocteq. insequente, posteroq. die ad meridiem sedendum fuit, nautis tergiuersantibus,

metumq.

metumq. simulantibus; ne, si iniussu magistratuum progredetentur, periculum aliquod adirent. Pauci è senioribus socij in propinquam casam concesserunt: vbi aegre ad quietem nudos asseres, & scamna impetrarunt. reliqui partim in nauigio iacuerunt, partim in aperta illa, atque omnibus ventis peruia domuncula flumini imposita, vna cum P. Proprouinciali, summa hieme, caelo asperrimo, solo glacie operto, pernoctarunt. Nocte concubia superuenit ab vrbe nauigium. Qui in eo erant, cum ijs, qui nos vehebant, nautis eos occultos habuere sermones, qui non obscuras nobis insidiarum facerent suspiciones: eoq. magis, quod in nauigio illo agnitus homo est, ab illo missus, qui in nobis expellendis fuerat teterrimus; ipsa tamen illi nocte iter prosequuti sunt. Sed dubitationem nobis sustulit mulier, in cuius diuersorio, qui nauigio vehebatur, pridie substiterat. haec se certo cognosse nunciauit, hominem illum nostrorum vitae insidiari. Postero die, circa meridiem, nautae tandem soluere constituunt, nostrosq. Viennam deportare. In discessu tres, deuexa iam aetate senes, vno, aut altero ex adiutoribus comitibus, à nobis digrediuntur, Camberium proficisci iubebantur. Hi viginti ipsos annos Lugduni laborauerant: nunc tam graui aetate, tempestate perfrigida, densa glacie omnia tenente, male tutis itineribus, suis onusti sarcinulis, asperum & longum iter pedibus inire coguntur. Reliqui Rhodano iter prosequuti, eo die ad vesperam ad opidum obscuri nominis appulerant. vbi caedis periculum ingens adierunt. nam praeter portitores molestissimos, in saeuos quosdam armatos inciderunt; qui nostros primo appulsu diabolos Lugduno eiectos, salutarunt. Hi aliquandiu nostrorum aduentum praestolati, praedam ex nostris quantulisçunque

que minutijs magna spe deuorarant. Iam se ad direptionem comparabant, cum publicas Comitis stabuli litteras protulimus. quas etsi initio adulterinas esse causſabantur; nostrasq. saepius sarcinulas contrectando, premendo, expendendo, attentarunt; ad extremum tamen iras deuorarunt. Postero die nautae ad solitas cunctationes, tergiuersationesq. redierе. sed tandem bono congiario deleniti, commodiores se nobis exinde praebuere. Inde digressi in nauigium, a quo insidiae timebantur, incidere: sed periculum eadem arte, qua nautarum duritia discussum. Viennam cum venissent, Nemoreo, & Archiepiscopo salutatis, ab ijsdemq. cum lacrymis excepti, ac dimissi, eodem die discessere, magno Principum, ac totius maerore ciuitatis. postridie Turnonem tenuerunt. Turnone, & nostrorum caritate, & Comitissae Turnoniae benignitate, tum ipsius ciuitatis humanitate, ex itineris labore & aerumnis, se non mediocriter recrearunt. Ciuitas centum ijs numos aureos dono misit. quae in ciuitate & exhausta, & non ampla, larga satis benignitas fuit. E naui exscendentibus, Comitissa obuiam venit; eosq. à portu ad collegium est prosequuta. eadem, quandiu Turnone quieuere quotidiana e sua domo cibaria transmisit. Inde profecti Valentiam, Valentia ad opidum aliud haereticorum appulerunt. Hic in ipsa exscensione pomorum putrium grandine ab incolis excipiuntur, & cum postero die ad opidum alterum Caluinistarum direptionibus, & latrocinijs infame, essent appulsuri, & ventus violentus periculosam faceret nauigationem, ne maiorem haereticorum experirentur crudelitatem, ad aduersam ripam magno cum periculo nauim traiecerunt. Inde reliquum itineris, pedibus aggrediuntur, paucis illis, quae secum trahe-

bant

bant impedimentis nautarum fidei relictis. Nondum plane discesserant, cum nautis nunciatur, sceleratam Vgonotarum manum aduentare, vt Iesuitas contrucident, illorumq. impedimenta cum nauicula comburant. nautae de nobis iam securi, nostris etiam rebus consulere statuerunt. ita se periculosae nauigationi committentes, conatus improborum eluserunt. nostri eo die Viuarium vrbem Heluiorum peruenerunt, humanissima vsi Canonicorum hospitalitate. Inde ad vrbem quod S. Andioli suburbium nominant, progrediuntur. Hic omnes praeteriti temporis molestias Diuina Prouidentia promptissima, vniuersae ciuitatis beneuolentia, & benigna hospitalitate, compensauit. Primum obuiam ijs venere Franciscani, a quibus in suburbanum coenobium summa excepti caritate, dum in vrbem deducuntur, facti obuiam consules, eos cum lacrymis salutant; atque, opidum ingressi, in parato instructoq. collocant hospitio. Ibi omnia Episcopi sumptu, multum huic rei obluctante ciuitate, liberalissime suppeditantur. Inde ad benignum Antistitem salutandum se conferunt; qui ad primum eorum adspectum, victus lacrymis, seorsim magno cum fletu, ac singultu se recepit: neque quidquam ab ipso, praeter lacrymas expressérunt. Quacunque per vrbem nostrum agmen incessit, nil, nisi ciuitatis lacrymae cernebantur. in officinis, in vijs, in plateis, ex aedium suarum fenestris, nostras aerumnas miserati, humanissimi ciues lacrymas fundebant. Hospitium ad multam noctem aduentantium, & nostra, communiaq. mala complorantium, frequentia celebratum est. Nostri per eam occasionem rudibus subinde aduentientibus, ac recedentibus catechismum explicare coeperunt: honestiores ac peritiores, varijs de rebus pijs disputationibus tenuerunt, om-

nibus vero pietas pia icone pagellas, piaculares globulos, rosariaq. distribuerunt. Quae illi tanta gratia, tantoq. sensu pietatis exceperunt: vt etiam beneficij loco frustula nostrarum vestium decerperent; aut earum saltem contactum postularent. In discessu, nauem instructissimam ijs, Auenionem vsque attribuerunt. Et cum iam plenis velis nauigarent, a P. Rectore Auenionensi missus puer eos certiores fecit Vgonotas Arausianenses in armis esse, illos vt in itinere opprimerent; & iam non ita longe a loco lanienae destinato aberant, cum subito perculsi pauore, relicta naui, sarcinulis in humeros sublatis, longo viarum anfractu, reliquum iter pedibus Auenionem vsque confecerunt. hostes haud ita multo post in litore, quo nostri erant appulsuri, spe sua frustrati, steterunt. Ita parum abfuit; quin tot aerumnis perfuncti, in ipso paene portu facerent naufragium. Auenionem pridie Cineraliuni ingressi, ea qua par fuit caritate a nostris sunt excepti. Tum vero Illustrissimus Legatus, Reuerendissimus Archiepiscopus, & ipsa ciuitas certamen susceperunt, quis potissimas partes in recreandis miseris, fouendisq. susciperet. Legatus bene magnam pecuniae summam ad tolerandos sumptus, illo ipso die ad nos misit: dieq. postero venit ad collegium, exulumq. singulos admisit ad amplexum. Archiepiscopus magnam, opportunissimamq. suarum aedium partem, iam ante expeditam, atque omni instrumento ad nostros commodo hospitio excipiendos, adornatam praeparauerat, nostrarum domesticarum conscius angustiarum. id cum prouidissent, & alij viri primarii, eiusdem imitati studium, ad partem meritorum communicandam, se pro sua quisque laxitate comparauerant. Sed satius visum est, ad coniunctionem retinendam, & seruandam

dam disciplinam, nostrorum arctari contubernia, quam distractis hospitijs, disiunctos habitare. Quare sui studij meritum consequuti, pius Antistes, & cetera nobilitas, ille fercula in caenam, alij quae parauerant, subsidio misere. Adiecit & illud nunquam satis laudatus Praesul, dignum sane suis laudibus; cum pecunia non satis abundaret, suarum aedium parietes, peristromatis nudari iussit, vt ex ijs nostri vestirentur peregrini: & ex sua supellectili vasa argentea detraxit, quibus ipsi pecuniam conficeremus. Reliqui porro ciues, pro se quisque certatim alij frumentum, vinum alii, alii lectos, aliaq. vtensilia, plurimi etiam pecuniam, ad nostram egestatem subleuandam contulerunt. Neque ii modo, qui in vrbe erant, & nobiscum consuetudine coniuncti, quid nostra tempora postularent, coram oculis spectabant; sed & ignoti multi, & quos à nobis alienos esse suspicari poteramus, ex aliis circa vrbibus, viciſq. largis eleemosinis, rerum nostrarum statum subleuarunt. Hac benignitate, Diuina Bonitas nostram inopiam tam difficili tempore laxauit. Sed cum alia multa, tum illud in primis diuinae tutelae beneficium declarauit; quod cum ante anguste habitaremus, aucto tanta accessione numero, & cubicula male materiata, & inutilia contubernijs distribuere, & multo angustioribus, quam ante spatiis conubernales comprimere necesse fuerit; ita vt octoni, & noueni iisdem arctarentur cubiculis: tamen tot incommodis, contra omnium opinionem, commoda vsi sunt omnes valetudine; rarioresq. morbi, quam cum habitarent laxius, fuere. Sed qui huc Lugduno venere exsulatum, scholarum splendorem per se priore anno auctum, post hanc miseram fugam, magnis incrementis auxere. Nam in nostro Lugdunensi gymnasio, pulsis nostris;

noui in eorum locum suppositicii Magistri suffecti sunt. sed eorum partim imperitiam contemnentes, partim haeresim, fedosq. mores discipuli detestantes, Lugduno relicto, suos veteres magistros, in exilium sequuti, Auenionensium scholarum frequentiam auxerunt. neque legem Parisiensem timuerunt, quae tanquam Maiestatis reos, fortunis omnibus euertit, qui extra Regni fines, filios suos in nostram mittunt disciplinam. Ita Lugdunensibus scholis Auenione restitutis, qui tertio inito anno ad Philosophici studij metas properabat, post illam eiectionem, hic repetito cursu, spatijsq. confectis, feliciore fine spumantia bijugum colla exsoluit. suos enim auditores, maiore celebritate, in multorum Praesulum, clarorumq. virorum frequentia, ad theses propugnandas produxit in certamen. Quod item in posterum reliqui duo, deinceps suis vterque spatiis, dispari interuallo decursis, iam sibi proponunt. Neque studiorum causa tantum e remotissimis vrbibus, vnde nostri eiecti, longissimis itineribus huc venerunt; sed etiam ad nostrum vitae genus, vt admissi nostrarum calamitatum socios se praeberent. Tantumq. abfuit, vt saeua eos haec tempestas retardarit; vt in multis etiam, quorum remisisse putabatur, vis feruoris reuiruerit. Eorum multos P. Prouincialis in magna nostrarum rerum difficultate, certa in Deum fiducia fecit voti compotes. Sed & ex Auenionensibus, ad alias religiones multi transiere, e minorum vetere B. Virginis sodalitate septem, e maiorum recens instituta, tres. vtraque vero floret & iuuenum numero, & vtriusque studii laudibus non vulgaribus.

PROSCRIPTIO BILLOMENSIS.

LVgduno tanta cum iniuria nobis eiectis, primum post eam cladem Billomense Collegium, Parisiensis legis atrocitatem sensit. Est Billomensis ciuitas in Claromontani tribunalis, quasi metropolitana ciuili dioecesi. inde enim tum ipsa, tum aliae minores ciuitates ius petunt, & accipiunt, Ad Claromontanos igitur Praesides, feralis lex de nostrorum exterminio Lutetia mittitur; vt eam Billomensibus indicant: addita, nisi rem strenue exequantur, praeter dignitatis imminutionem, graui multa. Non deerant iniusti muneris idonei ministri, & inflammata quorundam in nostrorum nomen odia: sed accensos ad iniuriam animos retardabat omnibus prospecta Billomensium pietas, & beneuolentia singularis erga nos. vt nemo inuidiae pleniſſima legatione ciuitati tam amicae nostro nomini, vitam suam committere auderet. Ergo litteras officij ad speciem pleniſſimas, Claromontani Magistratus ad nos dederunt: Magnam se ex nostro malo capere molestiam: maiorem, quod eius ministri esse iubeantur. Verum summi Galliarum senatus imperium detrectare, neque sibi, neque nobis, neque Billomensibus satis esse tutum. Rogant vt a ciuitate tutum Regiis ministris ad ipsam ciuitatem commeatum impetrent. Quo per nostros impetrato, Billomum veniunt, nec tamen audent in vrbem introire. Consules ad portas euocant: eis mandata Regia exponunt; edicunt, vt illa exsequantur. Sub idem tempus Claromontani Episcopi litterae perferuntut; qui totam rem impedire nitebatur. Valuit praeclari Antistitis auctoritas. ita re infecta, in praesens Claromontem reditur. Inde Lutetiam vo-

lant litterae. Lutetia paucis post mensibus, flagrans edictum Claromontanis mittitur. quo nullam eorum, quae conaretur Episcopus, rationem habere iubebantur. & graues minae Billomensibus proponuntur, si diutius nostros in vrbe conentur retinere. Erat tum P. Prouincialis Billomi: ab ipso Claromontani Magistratus Legati in vrbem, & collegium inducti, contra omnem suam spem benigne habiti, nobis suadere coeperunt, ne his minacibus aedictis terreremur; neue pedem vrbe efferremus. fieri non posse, vt non aliquando iniquae proscriptionis, ipsos paeniteat auctores. Pater tamen lege exilii recitata: Quantum, inquit, & ad rem catholicam, & ad pietatem Gallia tota augendam Societatis opera vtilitatem attulerit, nemo nisi insanus, aut mendax negare audeat. Cuius operae quoniam multos iam taedere incipit, parati sumus omnes, Christi praecepto, ex vna pulsi ciuitate fugere in aliam. Et quamuis nihil cuique nostrum gratius possit accidere, quam in religionis caussa vitam ponere; quoniam tamen semper communis otii, tranquillitatisq. (contra quam falso insimulamur) studiosissimi fuimus, ne cui turbae alicuius caussam praebeamus, aequissimis animis tempori cedemus. Vnum tamen illud rogauit, quoniam itinera vndique latronibus essent infesta; neque ita multo ante e nostris vnus crudelissime necatus erat, praesidium nobis decernerent: & vt nobis Billomi impune esse liceret, dum de his rebus Lutetiam litterae mitterentur, & redirent. Vtrumque impetratum. Interim dum Parisiis responsa expectantur, vt breui illa temporis vsura fruerentur, qua breui se priuatum iri sentiebant, Billomenses certatim ad nos diuini verbi, & sacramentorum caussa confluere. itaque & concio, & confessionum tribunalia calebant

lebant: multiq. per eos dies vitae totius confessionem obiuere. Tertium tandem Parisiensis Curiae decretum emittitur, quo solum vertere iubemur. Non visum est tot iam fulminibus percussis diutius esse obsistendum. Ita die tertio ab aduentu Parisiensium litterarum, magno fletu ciuitatis, discessimus, cunctis in nostros amplexus irruentibus. Primores vrbis nos Modunam vsque prosequuti sunt. ea est arx Episcopi Claromontani, quatuor circiter milliarijs, Billomo distans. Ibi octo dies a liberalissimo Antistite, & in nostrum ordinem propensissimo humanissime habiti, subsistimus. Dederat enim de nobis ille ad Regem litteras; nosq. ibi earum responsum expectare cupiebat. vt vero diutius moraremur, impetrari non potuit. ita inde ad nostros Anicium contendimus. Billomenses nobiscum armatorum praesidium miserunt; vniq. e consulibus negotium dederunt, vt nos ciuitatis nomine Anicium vsque deduceret. Ac ne sic quidem periculo caruit profectio. Loricati equites decem, milliarijs circiter quinque. eos insequuti, infestis tandem armis, ijs superuenere. Sed, quod in loco decliui essent, & equitibus iniquo, iniuria abstinuere. quin etiam ferocia in familiaritatem versa, nostros se olim fuisse discipulos testati sunt: (egregia sane laus pietatis) & patres aliquot citabant, qui antea Billomi versati essent. Idem tamen nostram fortunam laudabant; quod illo in loco potius, quam expedita in planicie nos assequuti essent. Ita eam gratiam nobis obtruserunt, quod nos paucis illis impedimentis, ac vitam nobis eripere cum destinassent, Beatae Virginis ope prohibiti, non potuerint. Illo enim in periculo constituti, ad sanctissimae matris auxilium, quae Anicij religiosissime colitur, confugeramus. illius enim praesenti ope, non

latro-

latronum inuita, & neceſſaria clementia ſeruati ſumus.

PROSCRIPTIO DIVIONENSIS.

VIdebatur poſſe Diuionenſe periculum vitari, niſi rem totam quorundam praua conſilia perdidiſſent. Fatigati enim bello Diuionenſes, & aliarum vrbium deditione moti, ſtatuerunt & ipſi cum Rege, eiuſq. Praetore, qui magnam iam Burgundiae partem occupauerat, paciſci. Duae illae à ciuitate pacis conditiones edebantur. vt tota Djuionenſi ditione nullus eſſet locus haereſi tuendae; & vt Societatis Collegium nihil detrimenti pateretur. Et fuere qui ſi alterutra earum inducenda eſſet, priorem mallent, quam poſteriorem refutari. Et cum his condicionibus dedere ſe ciuitatem honeſtum effet, quorundam improbitate factum eſt; vt, ante quam legatio ad Regem mitteretur, aduenienti cum copijs Regio Praetori, Magiſtratus portas aperiret. Arx tamen aliquandiu ſe defendit. Bellum ergo erat inter arcem & vrbem: cum interim noſtri duodecim continentes dies nihil de conſuetis muneribus, nihil de quotidiana opera intermitterent. Et ſane magnum fuit, nos in tanto tumultu, tam conſtanter curſum exercitationum noſtrarum tenere potuiſſe: & in vrbe militum contubernijs occupata, cum armatorum plena eſſent omnia; neque ab ijs moleſtijs, incommodiſq. religioſae aliae familiae exciperentur, nos inter litterarias exercitationes perturbationibus omnibus liberos fuiſſe. Quod tamen Praetoris, & Magiſtratus prouidentia factum videtur. Octauo deinde a deditione die, Rex adueniens in vrbem, excipitur: nec nos a noſtris muneribus deſiſtimus. Multi e comitatu Re-

tu Regio amici nos inuisunt. Non defuere tamen inimici; qui, vt nobis nocerent, malum sibi, suisq. liberis sua manu, vt postea senserunt, accerserent, Ita quarto post Regis in vrbem ingressum die, Nomophylax, quem Regni Cancellarium appellant, P. Rectorem ad se accersit; humaniter alloquitur, iubetq. caput operire. queritur se acerbae denunciationis esse oportere internuncium: sed excusat iiunctisibi a Rege muneris necessitatem. docet Regis esse voluntatem, vt vrbe nostri cedant. Quae Parisijs acta sunt, commemorat: non videri sibi Regem esse tutum, quandiu ijsdem menibus nobiscum sit. Res nostras omnes nobis integras permitti: nihil inde Regem in fiscum suum inferre, nihil cuiquam dono dare, etsi multi petant, decreuisse. proinde tantisper, dum componuntur res, nostra apud quoscunque volumus, deponamus; vel de ijs nostro arbitratu transigamus. Ad haec paucis Pater. Non debere, si quid in vllo criminis haesisset, in omnes Societatis homines culpam transfundi: non magis quam Iudae proditionis in reliquos Apostolos. Quantopere nostri labores vtiles Diuioni semper fuerint, non ipsam testari modo ciuitatem, sed Burgundiam vniuersam profiteri. Exilium nobis graue non esse, quibus nec propter innocentiam infame, nec ob vitae instituta calamitosum, cum aeque nobis Indiam patriam esse, atque Galliam iampridem statuerimus. dolere tamen nostra opera nos ijs prodesse amplius non posse, quibus & omnia debemus, & sumus in primis carissimi. Regem ipsum, postquam ad catholicam fidem se recepit, re ipsa cogniturum, nullos magis, quam nostros homines sibi addictos, ac fideles esse: quales nos & esse, & fuisse superiores Christianissimi Reges singulari sua in nos beneuolentia declararunt. Sed

quando

quando haereticorum, & aduersariorum calumnijs ita persuasum est multis, tutum eadem nobiscum vrbe Regem esse non posse, libenter eam subibimus fortunam, quae tum Regem ipsum, tum reliquorum animos atrocis facinoris liberet suspicione. Ab hoc sermone digressum confestim se cum tota familia ad profectionem comparare coeperunt. Ciues interim, & magistratus nihil intentatum reliquerunt, vt tantam cladem (sic enim vere appellabant) a sua ciuitate auerterent. Plus quadringenti, & in ijs viri primarij praedes se pro nobis Regi profitebantur, & in hanc fidem suas fortunas omnes, vitamq. obligabant; & professionis tabulae iam conscribebantur, cum metu territi destiterunt; praesertim cum se nihil profecturos animaduerterent. Postridie veritus Cancellarius, ne victus Rex vehementi ciuium contentione, de nostro exilio legem antiquaret, Patrem accersit: vrget quam primum vrbe cedant: excusare Pater aeris alieni, aliasq. difficultates; nec posse tam subito, tam multa expediri; alioqui ne pridie quidem, e nostris vllum pernoctaturum in vrbe fuisse. Quaerit quantum spatium sibi dàri postulet; postulat noster triduum: Regium praeterea diploma, Regium praeconem, & militum praesidium; quo tuti esse possint in itinere, latrocinijs infestis locis omnibus: & vt per vrbes, eo quo aduenae ac viatores, tuti ab iniuria excipiantur. Et quoniam res angusta domi nobis erat, petijt praeterea aliquam ad viaticum eleemosinam. vix enim tantum pecuniae supererat, vt in singula capita singuli numi aurei impendi possent. Sed quia a Regis aberant aerario, ciuitatem iussit nobis aureos centum numerare. Sed neque tantula pecunia expediri mature potuit. Quare amicorum benignitate vtendum fuit. & multi pro se quisque multa detulerunt.

runt. vt cum multorum liberalitati remiserimus, plus tamen collegerimus, quam quantum a Cancellario dabatur. Reliqua benigne impetrata. Ceterum triduo illo, tantus fuit luctus ciuitatis; vt ipsos iam aduersarios nostros, sui consilij poeniteret, vel quod maerorem tantum ciuitatis aegre ferrent; vel quod ea calamitate, nostram illustrari innocentiam, augeri gloriam; nosq. tanta esse gratia, non apud ciuitatem modo, sed etiam Burgundiam vniuersam, aequo pati animo non possent. Sed quam ferax suspicionum, prauorumq. consiliorum est maleuolentia. Cum in digressu ab amicis, nostrum aliqui, admota manu pectori, sinceram testarentur amicitiam; fuere qui nostros eo facto indicare voluisse interpretarentur, qua parte corporis Rex petendus esset. Aduenerat iam profectioni dicta dies: is fuit prid. idus Iunias; cum prima luce nostri, peractis sacrificijs, ad iter se parabant, summus ciuitatis Magistratus ad nos venit: negat illo die esse discedendum; quod & caelum esset fedum pluuijs; nec dum qui praesidio nobis essent equites conueniissent, quos ex aliquot distantibus locis euocassent. Sed veriorilla fuisse causa videtur: quod vici omnes ciuitatis; qua nostris esset transeundum, maestissimis amicis, nostrum discessum miserantibus, referti essent. & inter eos è nostris aduersarijs, vt nostro malo insultarent, non pauci conspecti essent: ex quo periculum ab aliqua seditione; vel turba populari timebatur. Ergo idibus Iun. lacrymis prosequente ciuitate, discessum est: eoq. vultu, & animi constantia vrbem amicissimam, sedesq. carissimas nostri reliquerunt, quo patriam quisque suam, paternam domum, parentes, & propinquos confectos olim lacrymis reliquerant. Assona opidum est ad Ararim. huc cum venere, omnium infestis animis excidiun-

cipiuntur: conuicijs, contumelijsq. omnibus appetuntur; voces etiam iactantur; dignos esse, qui de ponte, quem transibant, in Ararim deuoluerentur. ac nisi equitum praesidio defenderentur, periculum esset, ne violarentur. Hanc grauem iniuriam Regis tubicen, cui Rex ipse nostrum iter commendarat, & sua sponte nobis humanum se praebebat, grauiter ad portam, & ad Propraefectum questus est. contra Regis esse voluntatem, vt vel minima nobis in itinere fieret iniuria. Regio iussu audito, edicitur praeconis voce tota ciuitate, nequis vel solo nutu miseris hospitibus molestus sit. Postmodum Propraefectus (nam Praefectus ipse aberat) nostros adijt; isq. verbis satisfecit: magnum se è nostro malo capere dolorem. Ita factum vt in discessu postero die pro contumelijs amicae salutationes nostris redderentur. Inde, datis ab vxore Praefecti ad custodiam peditibus, eo tandem praesidio Dolam peruenere.

TVRNONENSIS COLLEGII periculum.

TVrnonense Collegium reliquum erat, in quod Parisiense fulmen iaceretur. & id maxime aduersarij nostri contenderunt, vt hinc quoque exterminaremur. in primis vero, Senatus Bliterensis; qui magnam partem haereticis Senatoribus constabat, Tolosa initio tumultuum eiectis. & iam eius decretum emanarat, quo hinc abire iubebamur. Tum Praeses Bliterensis, cum ad Regem Turnono iter faceret, & ante nostrum collegium constitisset, iure iurando se obstrinxit, ante se honore, & vita spoliatum iri, quam nostros Turnone diutius esse permissurum.

rum. Neque irritam fecit numen protestationem. Nam cum Regem hac de re esset aditurus, Diuina iustitia hominem iurisiurandi fide, repentina morte liberauit. Nec defuete tamen nobis, quae Dei bonitas est, humana etiam praesidia. Senatus Gratianopolitanus Parisiensis, & Bliterensis Senatus decreta antiquauit. quin etiam Lugdunum de nostris Turnone retinendis ad Regem certos homines legauit. Iuuere quoque nostram caussam Turnone habita Viuariensium, & Delphinatium comitia. Gens enim vtraque, nostrae conscia innocentiae, serio admodum nostrum suscepit patrocinium. sed omnium maxime sua auctoritate, & potentia caussam obtinuit ipse Comes Turnonius. Is certum hominem Bliteras allegauit: qui Senatum ab ea mente deterreret: & si qua tentaretur vis, strenue ad eam repellendam se accinxerat. ita inter tot perturbationum fluctus, & bellorum strepitus securi, nihil de quotidianis muneribus, nihil de solemni exercitatione est deminutum. ita vt magisterij titulos, facto doctrinae periculo, Philosophiae candidati, quo maxime tempore omnia pessundatum iri iudicabantur, feliciter susceperint. Non tamen omnis prorsus calamitatis fuit expers hoc collegium. Nam haud ita multo post, quam nostri Lugdunenses hac Auenionem iter habuerunt Illustrissima femina Magdalena Rupifucaldina nobilissima Turnonij Comitis coniux, magno huius Collegij damno, & luctu ciuitatis, acerba omnibus morte praerepta est. Creditur non magis morbi grauitate, quam moerore ex tot nostrorum proscriptionibus extinctam esse; cum praesertim in hoc quoque collegium ea procella immineret; nec satis liquido adhuc appareret, quis esset exitus futurus. Sed ea minus dolenda, quae quamuis incommoda,

ineul-

ineuitabilis tamen serius, ocyus attulit necessitas. Nostrum luctum Illustrissimi coniugis par humanitas, & ea, quae semper fuit egregia in nos voluntas consolatur.

PRO-

PROVINCIA BELGIVM.

NVMERVS eorum, qui hoc biennio in Belgio versati sunt, è septemdecim, octodecimue domiciliis collectus priore anno ad trecentos octoginta tres, posteriore ad quadringentos, & duodeuiginti peruenit. Sed in singulorum domiciliorum numeris prodendis sequar posterioris anni rationem. Fuere igitur in Tornacensi collegio, cui adiuncta est probationis domus, omnino quadraginta nouem: in Duacensi triginta tres: sex & quadraginta in Louanienſi: viginti nouem in Leodiensi: in Audomarensi octo & triginta: in adiuncto ei Seminario Anglicano de nostris praesunt septem: in collegio Antuerpiano septem & viginti: duodeuiginti in Brugensi: totidem in Gandauensi: vno minus in Iprensi: atque vno plures in Valencenensi: viginti in Traiectensi: septemdecim in Cortracensi: vnus & triginta in Insularensi: in Bruxelensi Residentia, quo se recipiunt, qui sequuntur castra, viginti sex: in Residentia Montensi vndecim: quinque in Luxemburgensi: in Cameracensi quatuor: tres in Hollandica versantur Missione. E toto numero priore anno excessere decem: tirones accessere duodecim: posteriore vita

functi quinque: vnus & viginti ad nostrum numerum allecti.

COLLEGIVM TORNACENSE & adiuncta probationis domus.

PRima in Belgio, secundum Louanium Societati sedes Tornaci fuit iam inde a B. P. Nostri Ignatii regimine. Primum etiam collegiorum omnium a P. Iacobo Layne impetratum, quod aliquandiu fuit florentissimum. Verum iniuria temporum bellis vniuersam rem Belgicam versantibus, ab haereticis dissipatum, ac disiectum, cum idonea fundatione careret, ne pacatis quidem rebus, & reddita tranquillitate, restitutum est. Rediere quidem nostri tandem aliquando: pristinasq. repetiere sedes: Sed probationis in ijs domum instituere. Dolebant vero Tornacenses, cum tot circa ciuitates collegiis nostrae Societatis laetarentur, se qui primi omnium collegio sedem dedissent, scholarum fructu destitutos. Quare serio eius rei cura suscepta, aedes nostrae domui vicinas, in quibus scholae multo ampliores, & speciosiores, quam antea collocarentur, coemptas nobis attribuerunt: quae penfili coniunctae traiectu nostrorum quoque inhabitationi commodum praebent domicilium, cum aula perampla. VII. igitur id. Octobris anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi quincti S. Spiritus ope inuocata, scholae felici initio apertae, iuuentutem ingenuitate, & nobilitate spectabilem coegere. ex eo die tot annorum interuallo collegij nomen repetitum, Magistratus ciuitatis abunde omnia, magnificeq. ad ornatum, splendoremq. Gymnasij suppeditat. Diuina Bonitas progressus in dies

dabit

dabit laetiores. Non caruit credo parte horum meritorum P. Franciscus Enlart, cuius & in hac peregrinantis, & nunc in aeterna luce constituti preces magnam tantæ prosperitatis partem impetrasse credendum est. Is enim priore anno vix dum quarto mense Rectoris munere perfunctus, est nobis morte praereptus. acerbissimis calculi doloribus cruciabatur: frustraq. omni medicorum arte in eam curationem impensa, ad extremum illud vnicum remedium permissu Praesidum, descensum est; vt per sectionem concretus lapis extraheretur. erat magnitudine paene oui gallinacei, acutis tuberculis, seu radijs potius instar echini horridus: haerebat in summa vesica visceribus infixus: vt ad caeteros cruciatus incisionis & euulsionis accederent etiam tot exulcerationes, quot spinas e visceribus aspera illa durities secum euellebat. acerbissimum cruciatum saeua febris consequuta triduo hominem extinxit. ita in illa verba: *Maria mater gratiae*, &, *Et hora mortis suscipe*, animam Deo reddidit. Ceterum praeter vsitatam catechismi, & sacramentorum frequentiam, aliqui ad catholicam fidem rediere: alij nutantes in fide confirmati.

In domo probationis tirones viginti quatuor numerati sunt, quorum quatuor sunt Sacerdotes, studijs destinati duodeuiginti, domesticis laboribus duo. Galli adolescentis, nobili loco nati est rebus aduersis illustrata & aucta constantia. Is Mussiponti nostrorum numero ascriptus erat. Parentes a Senatu Parisiensi decretum impetrant, quo nostri illum recipere prohibeantur. Tentauit Viridunum se conferre: quae ciuitas extra Parisiensis Senatus iurisdictionem est: & dum Tullo, quae illi fortasse patria est, Viridunum proficiscitur, ex itinere a sex equiti-

bus illum insequutis interceptus Trecas retrahitur ad patrem, qui in ea vrbe Praefectum agebat. Adolescens, vt in praelio domesticorum esset constantior, voto castitatis, & ingressu Societatis, sumpta Eucharistia se obstringit. adhibentur omnes machinae ad eius animum labefactandum: minae, blandiciae: nil relinquitur intentatum: continenti septem mensium praelio frustra oppugnatur. ac ne ille quidem obsistendo quidquam proficit: nihil enim ab oppugnatione desistitur: irritiq. omnes adolescentis aperti conatus erant. Compresso igitur intra animum consilio: simulat se manus dare, atque in parentum futurum potestate. Mittitur igitur Parisios: ibi non ante destitit, quam opera Illustrissimi ac Reuerendissimi Viridunensis Electi, fugae accepto duce, commeatu instructus, multis superatis periculis, in montes Hannoniae peruenit: inde a P. Prouinciali Tornacum ad tirocinium est missus.

COLLEGIVM DVACENSE.

DVaci priore anno migrauit e vita Sacerdos vnus; a castris, vbi vtiliter in Missione versabatur, huc morbo implicitus, curationis caussa transmissus. Eum sequutus est e domesticis adiutoribus spectatae virtutis, & probati admodum exempli frater alius. posteriore anno Iacobus Boullius, vnus e gymnasij magistris, pari virtute, & vitae exemplo conspicuus. Et hic haeretici nonnulli ad Ecclesiae gremium traducti. De aliorum nostrae consuetudinis munerum vtilitate, etsi ea permagna est, & suppeditat multa ad scribendum; tamen, quoniam ex similitudine intelliguntur, satietas vitatur. Illud tamen vnum non tacebo, etsi vsitatum. Ad spiritalium commenta-

tionum exercitationes Curator quidam animarum, & curatorum Decanus accesserunt; eius exemplum curatores aliquot sequuti sunt: tum e Benedictinorum familia Prior vnus, & scholarum aliquot alumni. Scholae numerosam habent iuuentutem; sola Theologorum classis septuaginta supra centum numerat. Philosophorum trecentos quadraginta; inferiores sexcentos octoginta, omnino mille ferme ducentorum numerum conficiunt. In ijs Illustris Marchio de Renty, alijq. plures nobiles, non minus expectatione, & indole, quam generis nobilitate praeclari. Duae sunt in hoc gymnasio sodalitates, quarum prior B. Virgini dicata, sodales habet plus trecentos: altera sanctis omnibus caelitibus, numerat non minus octoginta: & numero respondet pietas, siquidem priore anno ex ijs vndecim, posteriore duodecim sese Societati nostrae dedicarunt, ad Capuccinos item sese contulere multi. Ex eorum numero Anglus adolescens, dum intentius in studium incumbit, familiari studiosorum morbo, rupta in pectore vena, magnam vim sanguinis euomuit. is vnius è nostris monitu, consilium rei catholicae tuendae inter suos cum repetijsset, conualuit: sacrisq. initiatus, atque ad Sacerdotium promotus, in patriam magno studio aduolauit.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

BOna hoc biennio, Dei beneficio, cepit incrementa Louaniense collegium. siquidem priore liberalitate Reuerendissimi Antuerpiensis Antistitis, aucto collegij censu, circa finem anni auctus est etiam numerus nostrorum; vt a tricenario numero ad quadraginta tres ascenderint. Ad binas Theologicas

scholas, tertia accessit sacrorum librorum explanatio: tanta frequentia celebratur, vt eam scholae laxitas vix capiat. priuata quoque schola intra domesticos parietes nostri Hebraicam grammaticam docentur; quae sequente anno schola foras educta, cum externis quoque in publico gymnasio communicata est. Posteriore anno Fundatorem habuit collegium eundem Antuerpiensem Episcopum Læuinium Torrentium, nostri ordinis amantissimum, virum non minus doctrinae fama inclytum, quam honoris dignitate, & auctoritate suspiciendum: vt praeter vtilitatem, magnum etiam momentum addat ad Societatis existimationem, amplissimi viri de nobis, doctrinaq. nostra iudicium. Habuit in votis, praeter Theologicas, philosophicas quoque scholas, hic nostro more explicari, quibus eodem anno iv. non. Octobr. initium factum est, bene magna frequentia. Sed non ei licuit huius laetitiae fructum viuo percepisse. is enim Aprili mense exeunte vixerat. Rudimentis ad diuinas commentationes instituti multi sunt, tum religiosi, tum Illustres viri. in quibus Comes quidam Scotus, Regij sanguinis, magnam se ad Christiano viro dignam vitam traducendam percepisse vtilitatem profitetur. Tres adhuc habuimus in vrbe hac sodalitates. primam B. Virgini dicatam; de qua nullis prope superiorum annorum litteris scriptum non est: illud his literis addendum. praeter latinas hortationes, quae Dominicis diebus, ab vno e nostris habentur, sodales ipsos festis diebus sanctæ Matris, mutua sese oratione hortari solitos: quod egregie aliquando praestitit publicae Academiae Rector, vnus e conscriptis, vt interim omittam plures ex ijs, qui diuersos religionum ordines sequuti sunt. Alteram, in quam ciues aetate militari ad vrbis praesidium,

fidium, & expellendas haereſes referuntur: de qua ab anno xc. quotannis eſt perſcriptum. ea nunc a S. Sede Apoſtolica aucta, ſacris indulgentijs ſpem ſui magnam facit. Tertiam inuocatione S. Petri inſignitam. haec negotium promouendi catechiſmi ſuſcepit, & viros, matronaſq. complectitur. & de matribus quidem accurate ſcriptum eſt proximis litteris anni xciij. viri porro ita per vrbem diſtributi rem vrgent, vt nullum paene templum fructu careat tam ſalutaris inſtitutionis. His tribus addita quarta in patrocinium ſe dedit omnium Sanctorum. in hanc ſelectiſſimi tantum admittuntur; & diu, multumq. in primo B. Virginis Sodalicio probati. hi diligentiorem, ac magis peculiarem Dei cultum profitentur. illudq. in primis ſtudioſe curant, vt quam religioſiſſime leges quaſque, vel minimas primi ſodalicij obſeruent.

COLLEGIVM LEODIENSE.

LEodij anabaptiſtae duo: Haeretici aliquot, & a fide apoſtatae ad Eccleſiae gremium ſe recepere. Sed poſteriore anno, Huenſi arce proxima Leodio proditione capta ab haereticis, in magna rerum perturbatione, tum ditio tota, tum vicina vrbs Leodium verſabatur; auctuſq. noſtris labor eſt, tum concionibus (nam id forte per Quadrageſimam contigerat) tum confeſſionibus, hortationibus, priuatiſq. colloquijs ciuium animis ad ſpem in diuina ope erigendis. Quadragenarum horarum in ſingulas hebdomadas in noſtro templo, indicta publice ſupplicatio, ſuper ceteris temporis laboribus, nos bene ſollicitos, occupatoſq. habuit. Sed Deo grates concionum, ſupplicationum, ceterorumq. laborum fru-

ctus constitit. Serenissimus enim Princeps, magnis opibus rem aggressus, arce ex hoste recepta incommoda omnia, periculaq. discussit. Reddita tranquillitate, Princeps de commodis Societatis cogitare coepit Leodiense collegium, qua parte Mosa flumine alluitur, a media vrbis parte ita dirimitur, vt non nisi nauigio, aut longo molestoq. ambitu viarum. inde ad nos adiri possit, quorum vtrum sit incommodius, tum discipulis ad gymnasium, tum reliquis ciuibus ad nostrum templum euntibus, non facile quis dixerit. Opus aggressus est Princeps sua dignum maiestate, ab vlteriore vrbis parte recta nostrum ad Collegium ponte iuncto flumine, iter continuare constituit, cuius in fundamenta primus ad ripam collegio proximam, ab ipso Principe iactus est lapis. Opus tanto Principis, ciuiumq. studio, ac tanta Praefectorum, fabrorumq. contentione susceptum; continuatumq. est; vt erectis pilis, iactisq. fornicibus, pons centum sexaginta pedes longus, sexdecim latus, stratus iam sit, & ante hiemem spes sit vsui esse posse, cum prid. id. Iunias initium iaciendis fundamentis factum sit. Leuata est eiusdem Principis, & Consulum benignitate collegij inopia, hoc anno quinque florenorum millibus dono datis. & nunc de collegij etiam fundatione cogitationem suscepit. Proximam quoque aream collegio Consules lapidibus sternendam curarunt. Sacellum, quo templum iam pridem auctum erat, pia canonici liberalitate posteriore anno perfectum est, & ad nostros vsus accommodatum. Auctus est templi apparatus, piorum amicorum benignitate. Nam vrbis Antistes Praepositus, Consules ciuitatis, & Ecclesiarum Decani singuli singulas fenestras renouandas, ornandasq. susceperunt. Sacra quoque supellex, eadem liberalitate aucta est.

Exsti-

Exstitit & illud erga nos beneuolentiae simul, & iudicij argumentum non obscurum. Primaria cathedralis Ecclesiae concio nostris demandata est. & qui eo munere nunc fungitur, a magna populi frequentia, gratis animis auditur: cum tamen prior altera nostra ad S. Dionisij non minore frequentia celebretur. Christiana doctrina, septem diuersis locis a nobis explicatur. cuius fructum vt augeret Princeps publice edixit, vt Parochi, patres, matresq. familias, liberos, seruos, ancillas, omnesq. suae curae commissos, ad conuentus illos mittant. Est etiam extremo supplicio damnatis multo cum fructu opera praestita: sed in duobus praecipue quanuis diuerso exitu, strenue tamen laboratum est. Erat vtrique dicta perduellio, & vterque eius criminis damnatus: poena irrogata, resti vt suspenderentur. Alter facta confessione peccatorum, ita se composuit ad pietatem: vt multa animi vera confecti paenitudine documenta daret, ac dum duceretur ad supplicium, ab obuia multitudine, & miserationem, & multa Missae sacrificia precesq. impetraret. De altero, nullum est operae pretium referre, nisi vt constantis caritatis & pertinacis in iuuandis tali tempore miseris perseuerantiae exemplum alijs prodatur. nam licet omnis incassum effusa sit opera, nihil tamen est omissum ad vesanum hominem, ad extremum vsque spiritum iuuandum. Deerrauerat ille a fide, ita vt, cuius esset sectae, ne ipse quidem sciret: tantum se Christi discipulum ferebat. Compellatus de remedio saluandi animi, veram religionem eludebat: conuictus falsi dogmatis, nostrum Sacerdotem doctiorem esse respondebat, quam vt eius argumentis a se non aeque docto responderi posset. monitus, vt fidem haberet doctiori; ludibundus in cantus erumpebat. Nihil

eo, &

eo,& die posterο non tentatum est: nihil ad animum descendit. Cum e carcere ad patibulum esset educendus, praemonuit se itinere toto, quasi per lasciuiam cantillaturum. proinde data est opera, vt illi os obstrueretur. ita contumax eius licentia retusa. Vbi ventum ad patibulum, noster nihil reliqui fecit ad omnem curam, sollicitudinemq. cohortationibus, precibus, flexis etiam iterum & tertio genibus, contumacem proteruiam flectere contendit, mirante tantum studium, contentionemq. ciuitate. Conscendit tandem, & ipse post reum scalas. Inde facto signo crucis, breuem ad populum sermonem habet, si forte ea res hominis ipsum mortis limen intrantis, obduratum emolliret animum. Silentio audiere omnes; detecto capite. Noster Deum testatus, & eorum Patronum S. Lambertum, nihil se operae industriaeq. in reo ad Deum traducendo, omisisse. sed quod ab illo non potuit, ab ipsis velle se verae fidei exprimere confessionem. Rogat igitur multitudinem: an veram esse fidem credant, quam sancta catholica Ecclesia Romana praedicat? vna voce assensere omnes: & An in illa viuere, moriq. certi sint? cumq. hic quoque acclamassent, conuersus ad reum, si forte tanto hominum consensu aliquid profectum esset: filice durior apparuit. tum a populo in eum omnia conuiciorum genera coniecta; postulatumq. vt admotis flammis, viuus cremaretur; in eoq. magna contentione perseueratum, quoad est miser ille, elidendis faucibus, e scalis deturbatus. Expressit, si nihil aliud dura obstinatio ab homine alienae salutis studioso peseuerantem in diuino opere constantiam, quae vel exemplo, alio duntaxat tempore, alijs prodesse possit.

Scholae viginti circiter adolescentes diuersis religionum familijs dedere. Excursum in prouinciam

Duca-

Ducatus Limburgici, Praefecto & Bruxelensi aula postulantibus. & paucis mensibus, quibus Sacerdos cum comite ibi versatus est, multis obitis populis, ingens auxilium allatum imperitis, & agrestibus, & non nihil haereticorum vicinitate deprauatis. Non est Illustris viri Paulli de Stoor memoria praetereunda; qui quondam in aula, floruerat; post, vt sunt humanae vicissitudines, & rerum conuersiones, fortunae victus iniurijs, in sua se recipiens, quandiu vixit, sibi vixit. is quamuis ante non ita multum nostra consuetudine vsus esset; in hoc tamen rerum statu, ita Societatis opera illi non defuit; vt diceret, florentibus rebus suis, multos sibi amicos presto fuisse: aduersis, solos Societatis homines constantes se experiri, & beneuolos. Ita nostrorum consuetudine, longe ad studium pietatis progressus erat: nostros ita complexus, vt illis se suaq, omnia committeret. Adhuc viuens, mille florenorum censum annuum collegio attribuit, post coniugis obitum percipiendum. Morti proximus, exclusis alijs, vnum sibi P. Rectorem adesse voluit. Testamento nobis bibliothecam suam reliquit: & argentea vasa nonnulla, auro admisto affabre elaborata. ex ijs duo ad lumina coram Sacrosancta Eucharistia accommodata; Tertium pretiosius solennioribus diebus, Eucharistiae asseruandae destinatum est.

COLLEGIVM AVDOMARENSE, & Seminarium Anglicanum.

AVdomari duo vita functi priore anno alter, posteriore P. Ioannes Lanoy professus quatuor votorum: vir incredibili animi lenitate, quem nemo

vidit

vidit vnquam ; ratum : ad opus vero impiger, ac strenuus, & magna caritate praeditus. Haeretici nonnulli ad catholicae gremium Ecclesiae recepti Audomari, tum Maruillae, vbi duo de nostris habuere conciones. Ad gymnasium binae diebus singulis de confcientiae iure scholae accesserunt. eae idoneo satis auditorum numero tum nostrorum, tum externorum frequentantur.

De Anglicano Seminario, Regis Hispani munificentia Audomari excitato, deq. adolescentium indole scriptum est proximis litteris, id hoc biennio magna accepit incrementa. versantur in eo e nostris septem Sacerdotes, Scholastici duo cum vno adiutore. Alumnorum numerus priore anno ad triginta tres peruenit: posteriore plus minus excreuit ad quinquaginta; plerique honesto loco nati, quorum parentes ob fidem catholicam aut carcere tenentur, aut exsilium bonorumue proscriptionem patiuntur. adolescentes ipsi, etsi tenera adhuc aetate, egregia tamen indole, & maturo ingenio esse noscuntur. primum in litteris suos anteeunt aequales deinde, quo consilio huc missi sunt, assidue animo volutant. De martyrio, deq. laboribus, ac difficultatibus, quibus in Anglia catholici premuntur, libenter audiunt, & se ad illa subeunda animant. Et sane suae constantiae non obscurum specimen dedere. Sex eorum mittebantur in Hispaniam, itineris duce Sacerdote vno e Societate. qui a piratis capti, in Angliam abducti, neque minis, neque blanditijs à catholica fide auerti potuere. Vnus tantum ex illis natu minimus, aetatis mollitudine succubuit; ceteri constantes perstitere. nullus tamen Sacerdotem nostrum, qui se ferebat mercatorem Italum, prodidit. quo factum est, vt breui liber mitteretur. Adolescentes in domo Pseudoarchie-

chiepiscopi Cantuariensis seruabantur. propria mensa, quae illi legitimis cibis parabatur, vtebantur; palam legitimam precationem praemittebant, & gratiarum actionem ex Ecclesiastica praescriptione, subijciebant: signo crucis se muniebant; omniaq. catholici hominis signa constanti animo edebant. Duo ex ijs fuga elapsi, iterum cogitant Hispaniam. Catholici interim clam eorum, qui relicti sunt sermone de institutione, & vitae ratione huius seminarij edocti, egregie animati sunt, ad suos liberos huc transmittendos. hinc factum est, vt breui eorum numerus ad eum, quem dixi, terminum peruenerit. Rem non omittam magnae in adolescentulis indicium constantiae. Qui in Hispaniam mittebantur, admoniti de itinere, mirum dictu, quam generoso animo omnia reliquerint, pretiosas vestes, libros, instrumenta musicà, quibus antea assueuerant, amicos ac familiares, cum quibus antea coniunctissime vixerant. ita se liberos omni humanarum rerum studio ostenderunt, vt si diu religiosam vitam professi essent. Quin etiam e portu dum opportunitatem nauigandi operiuntur, missis litteris ad collegium erratorum veniam a patribus petierunt; gratiasq. egerunt, de tam studiosa institutione, & pia in suam vtilitatem impensa cura. Ex ijs Sacerdotibus, qui collegio praesunt, vnus, Ipras euocatus praedonem Anglum a catholicis exceptum, & morti addictum ad catholicam fidem reuocauit.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

ANtuerpiae biennio toto haeretici sexaginta piorum cetui sunt agregati. Septem perinde affecti, vt si nullam numen, nullam religionem esse

crede-

crederent, inuiam reuocati: sex ne fidem desererent, retenti. Prauorum dogmatum libri plurimi exusti. Quinque priore anno, sex posteriore in carcere, ante quam extremo supplicio afficerentur, detestata haeresi, & peccata rite confessi, non indigna catholico homine pietate eam mortem subiere. Et in vno quidem certa diuinae praedestinationis argumenta perspecta. Erat hic genere iusta & ingenio nobilis: sed Lutheri institutis vitam egerat. Ad eum confirmandum destinatus Sacerdos, per id tempus rebus alijs occupatus, munus illud obire non potuit. Eius loco missus alius reum obstinatum, genus & patriam occultantem, & ciuem suum, & quondam condiscipulum agnouit. Is tamen, an vt se excusaret, an vt piarum hortationum molestiam auerteret, suae perfidiae causam illam praetendebat; quod nullam aliam religionem doctus esset; proinde nec scire se quam aliam sequatur. sed haec quoque, illo mendacij conuicto, fallacia detecta est. vna enim secum, illi obiecit pater, catholicae fidei rudimentis olim adolescentem eadem schola fuisse institutum. Cum tot certis signis teneretur, dedit tandem manus; &, mora tantisper impetrata, se ad mortem in catholica fide oppetendam comparauit: qui nisi hac ratione agnitus, in sua obcaecatus peruicacia perijsset. Videtur diuina Bonitas pati noluisse ouem suam e suis sibi manibus auelli. In eodem carcere tres alij ab atheismo potius, quam haeresi abducti. Duo quidem non haeretici, sed maleficij damnati totius vitae confessionem vni e nostris explicarunt. alteri quoque eorum impetrata venia, & hic non ita multo ante furtum intempesta nocte dum facere tentat nostro in collegio, fratrem obsistentem nouem vulneribus sauciauerat. Restitutiones aliquot centenum, trecentenum, & mille-

millenum florenorum procuratae.

Est hoc collegium multis sacris reliquijs instructum. ad eas posteriore anno maximum accessit ornamentum, caput S. Guilielmi Ducis Aquitaniae, odio primum, postmodum familiaritate S.Bernardi, eximiaq. postremo vitae sanctitate clarissimi. Venit igitur hoc anno in nostram possessionem illa via. Seruabatur ante Marcodurae metropoli Ducatus Iuliacensis in Monasterio heremitarum ipsius sancti Guilielmi, quod proxime vrbis menibus situm erat. Anno autem millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, expugnata a Carolo V. Augusto Marcodura, Monasterium funditus sublatum est: Religiosi dissecti. illi in discessu sacras reliquias ita inter se partiti sunt; vt S. Guilielmi caput Priori obtigerit. Is aliquandiu incertus, quem locum sibi, sacroq. capiti sedem deligeret, anno demum eiusdem saeculi septuagesimo tertio Arnoldo Cools e Carmelitana familia viro religioso libera & publica donatione concessit. Hic Antuerpiam cum venerabili cranio commigrauit. occupata postmodum ab haereticis Antuerpia, Carmelitae domesticum instrumentum, vnaq. sacrum caput, ligno inclusum in manus hostium deuenit. Hostes id auctioni subiecere. Duo auctioni praeerant, alter catholicus, alter haereticus; instabant milites, vt venderetur, conniuente catholico, ac permittente. cumq. licitatores haud dubie per ludum, ac lasciuiam ingentia pretia, & maiora in singulas professiones quam vt pendi possent, pollicerentur, haereticus auctionator, seu noua tactus pietate, seu militum lasciuia offensus, sed, vt vero similius puto, occulto interiore motu diuinitus immisso, venerabile caput eorum ludibrio subtraxit; domiq. suae, sed non ea, qua par fuit, dignitate asseruauit. quod illi magno

gno stetit nam eius vxorem primum, mox filiam, totam denique familiam pertinax morbus afflixit. quibus ille malis territus, socium monet catholicum, vt caput illius mortui (sic enim irreuerenter appellabat) sibi ex aedibus efferret: alioqui se pedibus, calcibusq. foras deuolutu rum. totam enim sibi familiam funestasse. adiecit etiam nocturnam eius vmbram terroribus omnia complere. Ita ab haeretico transijt ad catholicos: & apud catholicos quali quali religione asseruatum ad annum vsque octogesimum sextum. Eo anno vrbe a catholicis recepta, & religione reuocata, sacrum illud pignus nostro collegio oblatum: ibiq. depositum tantisper dum hoc anno Pontificis Maximi decreto nobis perpetuo iure concessum est: addita etiam Pontificia indulgentia plenaria ijs, qui Dominico die ipsius S. Guilielmi festum sequente precabundi nostram aedem inuiserint. Ad sacram supellectilem paruum pegma accessit ad Eucharistiam populo proponendam, ad eius similitudinem, quod Romae habetur in domo professorum. Basi pedali dextera laeuaq. angeli insistunt manibus orbem tenentes, qui solis instar circunquaque radios emittit. quo crystallo lucidissima sacra hostia inclusa elucet. orbis ipse vna cum radijs varijs ornatur vnionibus. totum pegma argenteum inauratum mille stat florenis. Senatus gratam sibi esse Societatis operam nouis quotidie beneuolentiae argumentis declarat. nam, & rei domesticae difficultatem expediuit, & scholis adhuc amplificandis locum laxiorem, pretio persoluto nobis assignauit.

M.D.

MISSIO HOLLANDICA.

AD hoc Collegium pertinet Hollandica Missio. Pergunt tres sacerdotes inter multas insidias, ac difficultates baptismo alijsq. sacramentis patriã Indiam excolere; Catholica religione alienos informare, Orthodoxos confirmare; vrbes populosq. ac regionem omnem peragrare: & cum in vna ciuitate insidijs appetuntur, fugiunt Christi præcepto in ciuitatem alteram, quam ad rem ipsos sæpe hæreticos habent periculi nuncios, & monitores.

Hæc vniuerse illorum litteris cognita sunt: illa præpostero ordine, quia sic inter festinandum commodum fuit, subijciemus, quæ priore prioris anni semestre ipsorum litteræ pertulerunt. Per Quadragesimam quotidie binis, ternisue in locis, intra priuatorum ædes, sermones de rebus pijs ad clandestina conuenticula habuere. conueniebant autem rari, ne frequentia proderentur, quindeni minimum, non plus viceni. post sermonem singuli confitebantur: posteroq. die, alio in loco, periculi vitandi caussa, ad sacrosanctum Missæ sacrificium, sacramq. synaxim conueniebant: inde seni, septeniq. quotidie infantes, & sæpe etiam adultos baptizabant. matrimonia ritu hæretico contracta, ad sacram canonum formam reuocabant. & adhuc confessionum generalium ingentem numerum excepe-rant. Eucharistiæ sacramentum plus tribus hominũ millibus contulerant. Ab hæresi ad Ecclesiam vndetriginta traduxerant. Sed è semestri spatio, quantum biennio toto profecerint, facile cogitari potest; etsi magnus est rerum cursui scopulus obiectus. Nam, Anglis adnitentibus, pœna proscriptionis bo-

norum, exsilij, & capitis proposita edictum est, nequis Catholicorum conuentus habeatur: ne Missa celebretur; neue sacramenta ritu Catholico administrentur. Quæ res multos pauore affecit. Egregij tamen Christianæ propagatores pietatis magno animo persistunt parati ad vitam in diuina causſa fundendam.

BRVGENSE, ET ALIA Collegia.

BRugis noui pæne nihil accidit. cinguntur vndique belli periculis: & excursionibus, tum Anglorum, tum Batauorum infesta omnia. quare nostrorum opera menibus se continet, De pænitentium, & Sacellum nostrum frequentantium numero, maiore, quam pro mensura loci, scriptum est proximis litteris. Parthenium Sodalicium auctum, adscriptis ad studiosos multis claris viris', & magnam reipub partem sustinentibus; tum canonicis multis, & vrbis parochis pæne omnibus. Eluxit diuinæ Matris patrocinium, & præsens in grauissimo periculo auxilium in vno e recentibus. cui ex onusto curru elapso rota circumacta collum pressit, non modo innoxia, sed ne vllo quidem mali vestigio relicto.

Decessit Ipris, nondum plane probationis anno altero exacto Iacobus Huet, qui ibi Græcas litteras profitebatur: longo confectus morbo, ea veræ pietatis signa dedit, quæ & vitæ recens institutæ comitari, & longa solet interitus expectatio afferre. De Anglo pirata hic supplicio affecto, scriptum est in seminario Anglorum Audomarensi. Ad eum tres adiuncti comites eodem supplicio affecti, & eiusdem

dem facerdotis opera, cum Duce primario ad fidem Catholicam traducti. Duo alij ex eodem grege in carcere item deteſtati hæreſim, ac fidem Catholicam conplexi, ſupplicium æquo animo ſubierunt. Præter hos hæreſim nonnulli alij abiurarunt. Quidam vitæ paullo ſolutioris, multis calamitatibus appetitus, multis etiam fruſtra cohortationibus ad vitam corrigendam inuitatus, tandem graui preſſus morbo, ad ſe redijt; Sacerdotiq. noſtro ad ſe accito totius vitæ peccata ſacra confeſſione explicauit; & a confeſſione paullo poſt conualuit.

Gandaui quindecim ab hæreſi reducti ſunt. Scholarum fructus vel ex illa vna re, quantus ſit conijci poteſt. Vir patricius, genere, & auctoritate potens, cum paucis annis ante de conſtituendo Collegio in Senatu ageretur, propenſis ceteris omnibus, & noſtræ cauſſæ fauentibus, vnus aduerſatus eſt, nihilque reliqui fecit ad totam rem impediendam. Is tamen collegio conſtituto, liberos ſuos cum ciuibus alijs in noſtram miſit diſciplinam. Ij tantum breui profecerunt; vt parens, admiratione victus, noſtrum inſtitutum, noſtramq. in iuuentutis diſciplina rationem etiam ſupra modum laudare non deſiſtat. Tamq. propenſo eſt in nos animo, tamq. illi grata magiſtrorum induſtia, vt ad excitanda præmijs puerorum ingenia, non libros tantum, ſed pecuniam etiam liberaliſſime ſubmittat. Quicquid auri, quicquid in ſuppellectili habet argenti, quicquid tabularum, ornamentorumq. domi, id totum ad ornandum gymnaſium tranſmittat. idq. tanta contentione facit; vt nobis quodam modo modeſtiæ limites tranſiliendi ſint, ne tantã generoſi viri liberalitatem aſpernari videamur. Sodalibus porro B. Virginis quantæ curę ſit amor pietatis, vel ex eo po-

test intelligi, quod aliqui pro suo in Deum amore insignes contumelias, etiam cum dignitatis detrimento æquo animo ferre, quam iniurias, ne iudicio quidem persequi maluerunt. Studia porro edomandi corporis, quoniam hæc vsitata sunt, & cum ceteris communia prætereunda sunt.

Traiecti duo priore anno diem suum obiere, Deo certe noti. posteriore P. Arnoldus Procurerius, vir, vt grandi ætate (annum enim quartum, & septuagesimum agebat) ita etiam studio precationum apprime deditus, & vitæ exemplo singulari. Ad fidem ab hæresi aliqui traducti sunt. E gymnasii alumnis septem varijs se Religiosorum familijs dicarunt: e quibus tres erant Sodalicio B. Virginis adscripti. Catechesis hoc anno accepit incrementum magistratuũ diligentia, qui edixere, vt scholarum omnium magistri suos discipulos adducerent; & vt alij quoque conuenirent, curam susceperе. Est & e præsidiario milite pium Sodalicium institutum. in id qui relati sunt, ducentorum numerum excedunt. Hi non militibus solum reliquis, sed etiam ciuibus exemplo prælucent pietatis. Ipsorum præterea stationes Patres adeunt, habentq. ad eos de diuina lege seruanda sermones hebdomadis singulis. quo fit, vt non minor sit militum numerus, quam ciuium in nostro templo sacramenta frequentantium.

Cortraci quoque cura magistratuum impensas ad munuscula emenda suppeditantium scholæ catechisticæ promotæ: & excursionibus ad vicina opida incolæ, præsidiarijq. pijs sermonibus ad pietatem excitati. Composita dissidia, & magni momenti, & difficilia. Sed quia istorum plena sunt omnia, narratione supersedendum visum est. A desperatione noni ulli: ab hæresi aliquot reuocati. E sæculi fluctibus

ctibus in portum religionis inuecti e noſtris diſcipulis complures. In his germani fratres duo claro genere nati ad Capuccinorum ordinem ſe contulerunt.

Valencenis vixit P. Guido Marboreus. morbum contraxit dum vario morborum genere affectis in noſochomio ſedulo opitulatur. Vir vere religioſus, & verus, germanuſq, filius Societatis. In eodem valetudinario decumbentes multi, milites præſertim noſtrorum opera, hæreſi abiurata, piam, & Chriſtiano viro dignam mortem obiuere: nonnulli etiã conualuere, nobiſq. gratias egere: quorum opera & veram religionem agnouere, & cum Eccleſia ſancta reconciliati ſunt. Et hic quoque B. Virginis Sodalitas multos religioni peperit. Comes Fontanus, cum hac iter faceret, magno vniuerſæ ciuitatis apparatu exceptus eſt: in quo etiam Gymnaſij noſtri extitit induſtria: dato dramate, quo ciuitati teſtimonium dabatur, & in Regem fidei, & voluntatis in ipſum Comitem gubernaroremque. Collegium ipſe poſtero die inuiſit perhumaniter; multaq. & præclara erga nos ſuæ beneuolentiæ ſigna dedit. Auctum ſacrum inſtrumentum veſte, pixide, & artificioſe elaborato ad continendam Euchariſtia pegmate peramplo. In Heſuidienſem Miſſionem Sacerdos ex hoc Collegio Sacerdoti alteri comes additus opida aliquot illius oræ magna vtilitate luſtrauit incolarum. vt quocumque veniret, magna gratulatione exciperetur: ad eumq. Chriſtianæ rudimenta diſciplinæ explicantem, puerorum, adultorumq. greges conuenirent.

Scholæ Inſulenſis Collegij in opportuniorem locum translatæ ſunt. Collegij etiam ædificium ad meliorem deſcriptionem vſumq. commodiorem

reformatum. Multi ab hæresi abducti. Seminarium nostrorum adolescentium, qui humanitatis studijs ad scholas regendas informantur, in hoc Collegio posteriore anno collocatum est: alumnis magistri duo dati, alter qui eos latinis, alter qui Græcis litteris instituat. Ad id eleemosina matronæ nobilis, quæ ter mille & ducentos florenos nobis dedit, adiuti sumus.

RESIDENTIA BRVXELLENSIS.

HAeretici ab ijs, qui Bruxellis resident, ad Catholicam fidem reuocati; sed ægrotorum militum, Germanorum præsertim magnus numerus ante mortem ad Ecclesiam adiunctus. Angli ad quadraginta, quorum bona pars in fide nutabat, cõfirmati; & retexta priore vita, ad meliorem reuocati. Duo sacrarum Virginum cœnobia adiuta; alterum a licentia, quam temporum calamitas inuexerat, ad veterem disciplinam reuocatum; alterum diurnis nocturnisq. terroribus, qui quadriennio iam illud infestum habebant, liberatum. Eiecta etiã ex vrbe famosa meretrix. cuius caussa multæ patratæ cedes erant; & ingens malum repressum. Ex ijs qui Bruxellas se recipiunt, Sacerdotes decem militibus iuuandis, qui in castris degunt, sunt destinati. Ij cum nulli nationi sua opera præsto non sint, operam præterea dederunt, vt Vallones milites, qui antea negligebantur, sua, etsi exigua domo hospitali, vel cum saucij sunt, vel cum in morbum incidunt, curentur: corrogatisq. eleemosinis, Hispanorum more sustententur. Et cum posteriore anno per Quadragesimæ tempus Huensis arx obsideretur (est id munitum præsidium in Eburonibus: Batauí

per-

perduelles occupauerant) Sacerdotes quatuor castra sequuti, Pontificiam culparum remissionem indixerunt: ingens militibus iniectus ardor est eius religionis obeundæ: vt nulla ne nocturni quidem temporis pars a confessionibus audiendis vacua præteriret. Quo facilius factum est, vt paulo post, expugnato oppido, milites a prædandi licentia,& muliebri pudicitia violanda continerentur. Inde ad Castellettum Picardiæ opidum copiæ ductæ: eas sequuti Sacerdotes decem,dum obsidetur opidum, milites ad male actæ vitæ pœnitudinem hortantur. ac primum quidem primorum ordinum centuriones, tum reliquum vulgus militum iterum confessione expiati,ad oppugnanda mœnia se comparabant. Verum sexto obsidionis die, opido in deditionem accepto, Dorlandum belli vis translata: disterminat id opidum extremos Atrebates a Picardis. Hic rursus nostris Sacerdotibus labor geminatus: vt non modo nostris militibus; sed hostibus quoque inter arma, & prælium, belli Marte sæuiente,opem ferrent. Delecta enim ex flore Gallicæ nobilitatis iuuentus, duce Bullonio, obsessis auxilio veniebat, tanta fiducia, & alacritate; vt prope iam intra obsidentium castra penetrarent. Verum maiore fiducia rem aggressi, quam viribus, repulsi, cæsi, fugatiq. sunt. Multi tum equites, tum pedites confecti vulneribus, ac semineces, confessione expiati: nonnulli, qua prece, qua pecunia nostrorum opera neci subtracti. In ijs quidam, qui Duaci in nostra se fuisse disciplina testabatur. Alijs tantisper dum confiterentur, frementibus licet militibus, & ægre ferrum continentibus, breuis vsura a furentibus in cædem extorta, ante plane quam trucidarentur. Hæc decimo obsidionis die, ipso S. Iacobi peruigi-

lio euenere. Quinto inde die vrbs vna cum arce expugnata. Hostiliter sæuitum in armatos: cæsa hostium ad duo millia, cohibita tamen a templis,& virginibus omnis iniuria militaris. id quod, nostris præsertim auctoribus, etiam in alijs direptionibus solenne fuit. Hic quoque inter cædes & vulnera, hostibus iam neci datis,nostrorum opera confessionibus excipiendis præsto fuit: retentaq. non sine magna nostrorum contentione, & animi præsentia ad breue duntaxat tempus, furentium militum a confitentium cæde ferocia. Fuit qui inter militum gladios,ad nostri Sacerdotis, cuius opem implorabat pedes abiectus, diceret: triduo ante se illius Missæ sacrificio interfuisse. Ad Missæ nomen sua sponte milites sacræ rei reuerentia ab illius cæde temperarunt. Sed redacto in potestatem opido, hosteq. deleto, cum cæsorum cadauera nostri scrutarentur,si quem forte spirantem adhuc inuenirent, tremebundus quidam, sanie coopertus,ac pro mortuo relictus opem implorauit. deportatur nostrum in hospitium, ac remediis pro copia, fouetur. tum ablutis, obligatisq. vulneribus, pænitentiæ sacramento animi quoque vulnera sanantur. postremum vtcumque curatus, atque idonea pecunia adiutus, remittitur ad suos. Cameracum inde profectum est: auctoq. exercitu nouis auxilijs, nostrorum quoque numerus augendus fuit: nam ad decē priores accessere quatuor. ita trifariam distributi, suæ quique præerant castrorum parti. Ac præter vsitata & communia, ægrotorum tuguria, situ, squaloreq. sordida, fetore tetra, obita quotidie. sacrosanctum Christi corpus longe in agros magno nobilium comitatu delatum moribundis. duella mutuo se prouocantium, vel ipso corporis oppositu prohi-

prohibita. seditiones militum ob retenta stipendia, ad secessionem spectantium repressæ: scorta e castris exacta ad ducenta. Hæc vniuerse. Illa sigillatim. vir & claritate nominis, & munere, quo fungebatur in exercitu Illustris, vitæ licentia magno erat inuitamento alijs ad libidines, hic graui pressus morbo, accito vno e nostris Sacerdotibus, magna præteritæ vitæ pœnitudine confessionis sacramento, & alto doloris sensu commissa diluit: & sacrosanctã Eucharistiam postulauit. Quam tanta corporis, animiq. reuerentia, & doloris significatione excepit aduenientem, vt adstantes omnes (& multi conuenerant) commoueret; nec contineri potuit, ne patris quidem monitu cohibentis, quin se voto obligaret, si supereſſet, Capuccinorum institutum amplectendi. Contra alij duo contumaciores, cum pia monita aspernarentur omnia; quo magis ad vitæ, morumq. emendationem inuitarentur: interpositis etiam minis, futurum, vt nisi se respicerent, cum minime opinarentur, male perirent; eo magis religionem ac pietatem ludum, risumq. faciebant. Vtrique comminatio vera fuit. alter prope statim ab eo sermone sclopo traiectus est: alter prædatũ egressus a frumentatoribus interemptus. Neque contumacium solum vesania punita diuinitus; sed bonorum etiam pietas miraculo comprobata. Tormenti ænei pila in femur Angli militis impacta, qui eo die sacro Christi corpore se munierat, resilijt innoxia. Simili prope ratione, periculo eodem alius e nostris Sacerdotibus perfunctus. is dum suis laboribus intentus, obsesso opido securus obequitaret, ferreus tormenti globus, in eum libratus ei caput abstullſſet, nisi diuinitus illo ipso temporis momento equo in genua prolapso, vacuo ictu præterijsset.

Demum

Demum Cameraco altero iam a prima obsidione mense, vna cum arce in potestatem redacto, nostri in vrbem introducti antiquas sedes, vnde tredecim annis ante iniurioſe exturbati erant, repetierunt. Eas duo Sacerdotes, duobus adiunctis fratribus, incolere, nostræ Societatis munia magna ciuitatis voluntate exercere cœperunt. ita spes est, lætos admodum fructus prodituros.

RESIDENTIA MONTENSIS. & Luxemburgica.

IN Montensi Residentia excessit e viuis P. Balthasar Magnus, vt exiguo corpore, ita contra animo, studio iuuandi proximos, & laboribus impigre obitis, non minus, quam nomine Magnus. Hic multis annis militibus iuuandis strenue operam impenderat; donec excipiendæ confessioni intentus, lapide ictus in capite semiuiuus per media castra reportatus est ad socios. qui pristina recepta valetudine, eodem quo antea animi ardore ad pristina munia se retulit; sed laboribus & ærumnis castrensibus confectus, contracto morbo ex itinere huc diuertens extinguitur. Vrbanarum scholarum pueri, qui a sæcularibus ludi magistris litteris instituuntur, tanta alacritate Christianam percipiunt institutionem, vt ad aduentum nostrorum mirifice exhilarentur. & si quo casu, vt fieri necesse est, maioribus interuenientibus occupationibus, stata dies præteritur, ipsi magistri sollicite mittũt, qui nos accersant. Auximus bibliothecam florenis ducentis liberalitate Magistratus nobis dono datis. & tum ipse alijs in rebus, tum pij ciues priuatim suam sæpe in Societatem voluntatem ampla beneficentia declararunt.

Luxem-

Luxemburgum priore huius biennij anno mandato Regis Sacerdotes tres, cum fratribus duobus ad primordia Collegij instituenda missi sunt. Quatuor Prioratus, postulante Rege, Pontificis Gregorij XIII. & Xisti V. litteris ad collegij fundationem sunt attributi. quorum trium iam possessionem adiere: quarti possessor adhuc superat. Conciones Dominicis diebus, & catechismum Germanice explicare cœperunt: quod etiam per Aduentum ter quaque hebdomade factum est, magno ciuium concursu. habita est & Gallica concio. frequens etiam sacramentorum vsus paullatim inducitur: &, vt in ciuitate huius religionis insolente, multum proficitur; speramusq. rem in dies maiora habituram incrementa. Fatentur certe viri graues longe aliam esse huius ciuitatis faciem, atque ante aduentum nostrum fuit. Ciues ipsi, vt nunc est, nobis beneuolos se præbent. Collegio nondum certa sedes constituta. Sed Regis iussu primoribus, & Senatui negotium datum est, omnino vt Collegium Societati in ora hac constituatur. Illustrissimus ipse Carolus Masfeldius Comes vrbem vniuersam pedes obiuit; vt locum opportunum designaret. sed nihil adhuc expeditum erat.

PRO-

PROVINCIA POLONIA.

NVMERAVIT hoc biénio Polonia Prouincia ſocios omnino trecentos nonaginta duos: e quibus Sacerdotes fuere priore anno centum quinquaginta, poſteriore centum quadraginta quattuor, domicilijs tredecim, pauciſq. reſidentijs ſeu miſſionibus diſtributos, in quibus ſigillatim recenſendis, quod in alijs fecimus prouincijs, anni poſterioris numerum ſequemur. In Collegio Vilnenſi fuere ſexaginta quatuor, in Bransbergenſi triginta quatuor, triginta in Poſnanienſi, duodeuiginti in Pultouienſi, in Lublinenſi viginti tres, In Iaroslauienſi viginti ſeptẽ, ſeptemdecim in Polocienſi, viginti quatuor in Caliſſienſi, viginti tres in Derpatenſi, ſex & triginta in Rigenſi, in Nieſuiſienſi ſexdecim, in Cracouienſi profeſſorum domo duodeuiginti, in Probationis domo item Cracouienſi quadraginta duo: in Miſſione Gedanenſi Sacerdotes tres: in Miſſione in Regia Sacerdotes tres, duobus fratribus comitibus: in Leopolitana ſede Sacerdotes item tres, cum fratribus duobus. fuere quoque in Miſſione alia ſuperiore anno, cum tribus fratribus Sacerdotes quinque. E viuis exceſſere priore anno quinque: totidem ſupra viginti venere eodem anno ad Societatem: poſterio-

steriore anno vno vterque numerus minor fuit.

COLLEGIVM VILNENSE.

IN Collegio Vilnensi nostri primum ad cælestem opem bello implorandam, contra Turcam, precationem Dominicis ac festis omnibus diebus omnes; tum stata sibi quaque hebdomada ieiunia indixerunt multi,& vt sacrificiorum magnum numerum preceſq. alias extra ordinem omittam, ad duum millium flagellationum ea causſa susceptarum numerus peruenit. Eadem studia nostris auctoribus, etiam Parthenij, & alumni Pontificij susceperunt. Ceterum constitit biennio toto fructus operæ, errantibus ad fidem veram reuocandis. Plus centum quadraginta homines priore anno, posteriore centum & triginta, partim ab hæresi, partim a schismate nostrorum opera reducti sunt. In ijs duo nobiles suorum in conciliabulo dissidia non ferentes, ad nos venere postulatum, vt se cum Catholica Ecclesia coniungeremus. Virgo nobilis, parentibus inuitis, ac dotem illi se negaturos interminantibus, victrix tamen consilij, ad Catholicam Ecclesiam adiungi voluit. Adolescens ab hæretico nobili, cuius se famulatui addixerat, Vilnam missus erat; vt a Vilnensibus ministris, & artem concionandi, siue circulandi,& ceteros vesanæ ritus impietatis doceretur. & erat hic ante catholicorum ritu hypodiaconatus ordine initiatus: vtriusque rei,& sacrorum, & religionis, quam professus erat, impie desertor. Hic, cum vno e nostris congressus, ad se redijt; sacrisq. domi nostræ commentationibus excultus, eiurata hæresi, atque in fide confirmatus, monasterio, vnde discesserat, se reddidit. Scythæ quin-

que,

que, duo priore, tres posteriore anno, quorum vnus schismaticus, Mahometani reliqui, ad veram Christi fidem contulere sese. Mulier schismatica cum supremum instare sibi diem intelligeret, repudiatis Russorum Popis, Sacerdotem nostrum sibi iussit aduocari. Verum cum eius familiaris, nostrorum accessum prohiberet; tantum tamen animo constantiæ ac roboris, Diuinus infusus Spiritus iniecit; vt victa improbitate, ægrotæ tandem satisfieret: ipsa actæ vitæ per confessionem noxis expurgatis, in Catholica Religione confirmata, Catholico ritu diem clauserit extremum. Affuere etiam de more nostri supplicio afficiendis. Quo in genere res contigit exempli sane singularis, & euidens diuinæ prouidentiæ, in tuenda innocentia argumentum. Reus ducebatur ad supplicium, quem falsi criminis conuictum, sed aduersariorum potentia oppressum, rumor erat. Nostrorum preces miser ante flagitauerat. nostri non modo in id sedulo, ea qua par fuit commiseratione incubuere, sed aliorum etiam precationes, monito pro concione populo, expetierũt. Ita misero, extremo illo tempore omnibus & caritatis, & commiserationis officijs affuerunt. Procedebat miser grandi natu per confertam turbam, suã semper innocentiam contestans, spe fixus in diuina prouidentia, cuius assidue opem implorabat. Ad supplicij locum ventum est. Erat ille viuens in frusta dissecandus. Iam porrecti humo, distentique nudo pectori carnifex cum cultro imminebat; cum populus vna voce: facinus crudele inclamare, appellare aduersarios, vt mitiore pœna sint contenti (est enim gentis more ius accusatori vel de supplicij acerbitate remittere, vel crimen totum condonare) Victi populi clamore concedunt, vt ferro iugu-

guletur.

guletur. Sed ecce tibi noua difficultas. publicus ciuitatis ensis, quo solo carnifici lege licet agere, non aderat: nec tolerari mora poterat, donec ex vrbe afferretur. itaque iubent resti suspendi. Eo supplicio contenti, voti compotes discedunt aduersarij. ille pendens mortuus omnibus apparet. Dilapsa multitudine, qui eius casum miserati, cadauer ad sepulturam impetrarant, præciso fune, dum corpus curant ad humandum, redeuntibus paullatim sensibus, cœpit ille se mouere, mox etiam respirare, tum amici illum magnis vocibus inclamare, fouere, & quibus licuit, in præsens adiuuare. nostri qui ei ad suspendium vsque affuerant, reuocantur, accurrunt, addunt animos, confirmant semianimem, reportatur in vrbem, recreatusq. domum suam incolumis dimittitur. Non dubium quin precibus oblatis Diuina Clementia hominis innocentiam concesserit.

Scholis priore anno non leue accessit ornamentum, Franciscanorum de nobis opinione, ac iudicio; qui suos alumnos nobis doctrina imbuendos commiserunt. duo Theologiæ, quinque Philosophiæ, Rhetoricæ scholas quatuor frequentant. Ceterum cum multitudine, & nobilitate gymnasium frequentetur, vt cum maxime, tum vero ingenij laudibus, & pietate floret. Parthenij præcipue præclara vtriusque studij documenta edidere. Nam & ipso mortis Christi die, & iterum & tertio, cum Rex ad auitum suum pacandum Regnum in Sueciam exisset, agmine processere magna indole pietatis, & nouo in gente exemplo, flagellis se cedentes. Ex eorum, aliorumq. scholas frequentantium numero quinque in Societatem sunt allecti; ad instituta alia se contulare plures. Itum est priore anno a Sacerdote nostro Nouogrodecum (opidum id est in

Litua-

Lituania, vbi per id tempus, iis nobilitati dicebatur) ibi præter multorum auditas confessiones, duo primæ nobilitatis viri, ad catholicorum numerum, se adiunxerunt. In opidum alterum Paschalibus ferijs Sacerdos alius se contulit; quingentos, qui nunquam tota vita pœnitentiæ Sacramentum obiuerant, audiuit: plurimos, in ijs etiam adultos, & grandi natu baptizauit: viros nobiles quatuor, in fide hæsitantes, confirmauit: qui extra vrbem procul à templis, in suis prædijs more nobilium agebant, ijs, vt Paschalia Christi Domini intra opidũ, in sacris ædibus, cum communi Ecclesiæ lætitia celebrarent, persuasit. Ita viri nobiles multi, biduo ante Pascha in templis in preces effusi pernoctarunt. Posteriore anno, ab vno reditum est Nouogrodecum; vt cum Ebionitis anabaptistis, de Christi diuinitate, ex prouocatione disputaretur. biduo disputatum est, in magna virorum Principum, & nobilium corona. Ita discessum, vt non modo catholici, sed etiam Rutheni schismatici, hæretici quoque Zuingliani, ijq. viri primarii, nostro victoriam gratularentur. Manauit rei fructus ad absentes. nam disputatio tota, vt est habita, prodita typis exiit in vulgus: plurimiq. impietatem profligatam, & defensam veritatem, lætari se significarunt. Excursum ab aliis in vicina opida, magno incolarum bono. In iis vir apprime nobilis, ab hæresi ad Catholicam fidem est traductus. Id vnus e famulis hæreticus iniquissimo ferens animo, conceptum odium in nostrum patrem, cuius opera herus resipuerat, amaris vocibus subinde effundebat; dum modo sathanam, modo Iudam nominabat. Is in iurgio non ita multo post, letaliter alterum vulnerauit: ex quo multa ei calamitatum seges oborta est.

quare

quare grauiora adhuc veritus, ad placandum numen se conuertit: atque ad eius, quem carpebat, Sacerdotis pedes abiectus, contumaciæ suæ venia petita,& hæresim, & præteritam vitam detestatus, expiauit. Potest & alterum eiusdem generis attexi argumentum: ex quo item vexatione dari intellectum,liquido appareat. Matronæ duæ nobiles hæreticæ, die Dominico Palmarum, Catholicorum templum, captandi risus caussa, petebant, præcipue, vt, cum reliquis eius diei cerimoniis, sacram processionem irriderent: quos illæ, per ludibrium, Papistarum lusus nominabant. Erat fluuius traijciendus. is forte per eos dies,liquatis niuibus,auctior solito,rapidiorq. defluebat. hunc dum transeunt,ponte dehiscente, carpentum secum feminas, traxit in flumen. metu subitæ mortis ex risu versæ in religionem feminæ,diuinam opem suppliciter implorant: vouent, si periculum euadant, ad fidem Catholicã se redituras. Factæ voti compotes, ad sanitatem rediere; ipsoq. anniuersario Christi patientis die, & concioni interfuere, &, facta peccatorum confessione, abiecta hæresi,ad Catholicos se recepere.

Non est silentio prætercunda piorum liberalitas. Septingenti floreni ab vno, cum in ære alieno essemus, dissoluendis nominibus dati sunt. Magnus Prælatus cum cognouisset hæreticos prædium nostro vicinum, ædificandæ sibi synagogæ emere velle, vt eorum conatus impediret, quingentis florenis nos donauit, vt ipsi prædium vindicaremus.

COLLEGIVM BRANSBERgense, Posnanienſe, & Pultouienſe.

BRansbergæ priore anno ab hæreſi triginta duo, totidem circiter poſteriore ad catholicos ſe tranſtulere, præter alios, qui ex Germania huc ſtudiorum cauſſa profecti ad Eccleſiam vltro rediere. Parthenia ſodalitas non paucos ex ſuo numero, tum in noſtrã, tum in alias religioſorum familias trãſmiſit. Virgines ſex perpetuæ integritatis conſiliũ cepere.

Poſnaniæ biennio toto ducenti ſexaginta plus minus ad Eccleſiam rediere. Ex ijs vnus antea Sacerdos, qua iniuria, ſeu caſu neſcitur, ſed doloris impatiens, duobus circiter annis, quam vomere, aut ſaltem coquere debuit iracundiam, in ſuam pernicié effudit, hæreſeon factus proclamator. vt ipſi hæretici exultarent, hominem transfugam, & diſſertum ſe nactos eſſe. Adiuit hominem noſter Sacerdos: graui, ſeriaq. oratione, miſeriam ſuam vt agnoſcat adhortatus, ita hominem perculit; vt hæreticis relictis, ad nos protinus contenderit: domiq. noſtræ longa meditatione, ſua mala deteſtatus, in principe vrbis Eccleſia, magna hominum frequentia, hæreſim eiurauerit. Matrona etiam nobilis a prima ætate hæreſibus imbuta; itemq. vir nobilis plus annos quinquaginta, varia ſequutus hæreticorum caſtra. Duo prauarum opinionum magiſtri, Catholicorum item numerum auxerunt. Iudæus item, magno honore apud ſuos, & Rabini clarus munere, vltro ſe contulit ad nos, paratus Chriſto nomen dare. exceptus domi noſtræ, non modo in fide a noſtris eſt inſtructus, ſed etiam a grauiſſimis periculis, quæ illi Iſraelitæ tetenderant, defenſus. Ita baptiſmo ablutus,

lutus, nostri hominem sartum, tectum conseruarunt. Illustris fuit Regis aduentus in hanc vrbem. qui ex Suecia, antiquo suo Regno rediens, cum hac iter faceret, ad triumphalem fornicem, in vrbe illi magnifice extructum, à nostris discipulis semel, postridie iterum in Collegio, cum illuc cum Regina rei diuinæ caussa veniisset, salutatus est. Inde Collegium ingressus, nostrum singulos ad se admisit salutandum. Non est omittendum vsitatum quidem alibi, sed plane tamen miraculum. Incendium in vrbe excitatum, humanis nullis poterat artibus sedari. iniectis ab vno è nostris fragmentis aliquot ceræ consecratæ, ita resedit, vt ciuitatem magno terrore liberarit. Ad rem tum sacram, tum familiarē, hoc biennio, piorum liberalitate nonnulla accesserunt incrementa. Ad templi fabricam perficiendam collati floreni septingenti. Perfectum item tabernaculum augusto Christi corpori asseruando, impensa maxime piæ cuiusdam Virginis; quæ duo fere in id florenorum millia impendit. opus plenum dignitatis: & cui simile vix reperias in his oris, totum ex cupro constat inaurato; pretioso varij generis lapillo illustratum; arte ingenioq. nostri fratris, ex ijs, qui operis sunt administri descriptum ac formatum. Hortos præterea, quibus ad amenitatem, & animi oblectamentum vtebamur, quod omnium aspectui subiecti essent, cum alijs, & maioribus, & opportunioribus commutauimus.

Pultoniæ ab hæresi abstracti sex. paruus alibi numerus magnus est in vrbe adhuc minime hæresibus fedata. Adolescentes sex in Societatem nostram cooptauimus: e quibus tres e Parthenia sodalitate prodiere. ipsa porro sodalitas quotidie progreditur ad pietatem. Episcopus nunquam cogitare desinit,

qua ratione de nobis melius in dies mereatur. noſtrorum conſuetudine delectatur: noſtra opera vtitur perlibenter. Clericorum ſeminarium inſtituit: eius nobis curam demandauit: tricenis in annos ſingulos florenis Collegij vectigal auxit: voluitq. clericorum cauſſa, gymnaſium ſcholas de controuerſis quæſtionibus, ac de conſcientiæ iure auctius eſſe. adiecit ad emendos nouis profeſſoribus libros, florenos in præſens ducentos quadraginta, plura deinceps pollicitus ſe daturum. Hac fama commotus Luceorienſis Antiſtes, & ipſe alumnos aliquos huc miſit; & vt vna cum Seminarij clericis, eodem contubernio, diſciplinaq. inſtituerentur, impetrauit.

IAROSLAVIENSE Collegium.

IN Iaroslauienſi Collegio non erit alienum hoc attingere. Septingenti prope, & ij omnium ordinum homines, totius peccata vitæ expiarunt. & fuere in ijs, qui e vicinis opidis hæreticorum huc venerunt; licet multam magiſtri opidorum indixerint ijs, qui ſacrorum cauſſa ad catholicos accederent. Ab illegitimo concubitu auulſi quinquaginta quinque, viginti ſex legitimo matrimonio coniunctis. Qui ſuperſtiti coniugi pellicem ſuperinduxerant, vel inceſtis nuptijs ſe contaminarant, octo reſipuerunt. Coniugia male diſciſſa, reconciliata ſeptuaginta ſex. Vnus & viginti cælibem vitam ſunt profeſſi. A ſchiſmate Græcorum Rutheni viginti nouem, ab hæreſi vnus, & viginti rediere.

Scholæ & frequenti, & præcipua nobilitate florent. Sunt in ijs adoleſcentes, qui, quam cum lacte ſuxerant, hæreſim repudiarunt: in eoq. ſe viriliter admo-

admodum constantes præbent. Duos tenera adhuc ætate fratres mater, & hæretica, & furens, neque minis, neque verberibus vnquam potuit adducere, vt die vetito cibos illegitimos, ne primoribus quidem labris deguſtarent.

Excurrere verni ieiunij diebus Sendomiziam Sacerdotes duo; qui præter ceteras vtilitates, multos in fide vacillantes confirmarunt: reuocarunt ab hæresi nonnullos: odia, & non incruentas dimicationes compresserunt: pietatem in ea gente mirum in modum excitarunt, extremæ præsertim Quadragesimæ sanctiore tempore, iubileo promulgato, traductisq. interdiu, noctuq. supplicationibus, non sine flagellatione, nouo, & nunquam ante cognito in ijs finibus spectaculo. Alibi aliqui hæresibus expediti; vulgoq. superstitiosorum rituum, quando vniuersa Catholica religio non potuit, saltem inducta contemptio est. Hæc priore anno.

Postetiore tentatis morbo nonnullis, vnus decessit P. Stanislaus Herbestus, vir excellenti virtute, & huius Collegij Rector aliquandiu. qui linguæ vsu, ex morbo aliquot annis pæne destitutus, rei domesticæ tamen, quod vnum potuit, procurationem administrauit: negotium neque parui momenti, neque homini debilitato expeditum. Itaque non ante destitit labore sibi difficillimo, huic Collegio prodesse, quam vita, spirituq. destitutus. obijt prid. id. Maias, ipso octauo festo die patroni sui S. Stanislai. elatus est magno totius ciuitatis, tum nobilium, tum popularium mærore: qui tantam virtutem, & studium de omnibus bene merendi, alte animo impressa retinebant. Eodemq. ipso die, quo ille humatus est, P. Ioannis Harti, qui in Anglia Fidei Catholicæ caussa, equuleo tortus erat, corpus septem

annorum interuallo, non sine admiratione adhuc integrum, ex alieno in nostrum sepulchrum est translatum.

Quod ad operam, præter quotidiana, vndequinquaginta, partim hæretici, partim schismatici ad Ecclesiæ Romanæ gremium venerunt. Miraculo præterea fuit simillimum, quod alijs prodesse possit. Miles, dum collatis signis pugnaretur, in acie prostratus, imminentis hostis mucronem exspectabat. vouet in tanto discrimine, si euadat, se peccatorum confessionem in æde nostra obiturum; voto concepto, ex hoste etiam superior euadit.

Scholis nonnihil subtimuimus, noua Academia in propinquo excitata. sed, Diuinæ bonitati grates, nullum damnum factum est: nam & frequentia eadem fuit, & studia pietatis acriora. Parthenij præsertim documenta præcipua dedere. Nam turbatis rebus, & in vicina Vngaria a Turcis, & intra fines a Tartaris, præter quadraginta horarum bene frequentem supplicationem, verbera ducenti ferme vltro sibi adhibuerunt: vt taceam interim tum cilicia, ceteraſq. corporis afflictationes; tum illa, quæ biennio ante scripta sunt: cum vulgo, stipe corrogata ægros iuuare, pauperum pedes abluere, ad omnia ferme seruilia ministeria Christi causſa descendere, instituerunt. Quorum hoc anno exemplum æmulata Ducis Ostrogiensis coniunx, semel & iterum, pauperibus sua manu cibum ministrauit. Magnus præterea hominum in nos amor, cum antea semper, tum præcipue constitit hoc anno; cum aduerso casu iniecto incendio prædium nostrum cum instrumento exustum est. Tum siquidem in tanto rei familiaris damno, plus propemodum a pijs hominibus, ac nostri ordinis amantibus, ad nostras

stras expediendas difficultates submissum, quam amissum est. Tum alia ratione si minus re, in præsens certo tamen iure in perpetuum iactura; non modo compensata, sed est etiam abunde cumulata: Vicum enim piæ matronæ nobis addixerunt; in cuius plenam possessionem cum venerimus, copiosiorem familiam, ad hominum vtilitatem procurandam, alere poterimus.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

LVblini vtroque anno messis sane fuit non infecunda. Quadraginta circiter priore anno ab hæresi traducti: quorum pleriq. ab ipsis incunabulis prauis opinionibus imbuti; alij plures annos in suis erroribus versati erant. Iudæa virgo in Christiana fide est a nostris instituta. hæc antequam coniugio destinaretur, senserat interioribus se stimulis, ad Christianam religionem excitari: sed postquam suæ gentis viro desponsata est, cœpit ardentius exstimulari. quare rata præuertendas esse nuptias, cum pia, & graui matrona rem communicat. hæc suscipit puellæ patrocinium, tutum ei aduersus parentum violentiam in suis ædibus receptum præstat, nostrosq. illi fidei magistros adhibet. Instituta aliquot hebdomadis, vt summo parentum dolore, ita communi omnium lætitia, in Principe vrbis æde, eius baptismus celebratur, Episcopi Vicario sacramentum conferente.

Scholæ nostræ Palatini, arcis Lublinensis Præfecti iudicio, magnum ad hominum æstimationem cœpere incrementum. Is enim, vt testatum esset omnibus quid de nostra in instituenda iuuentute diligentia sentiret, filium octennem in nostram tra-

didit disciplinam. Splendorem præterea pietas auxit Partheniorum: nam præter vsitata, & quotidiana virtutum documenta, illustre fuit, & non vulgarem laudem tulit, in re iam veteri,& vsitata, nouum factum. nam cum, quibus diebus solénis Christi passi memoria recolitur, biduo de more solemnem supplicationem, prælata cruce, multa cum face, ad Christi sepulchrum, sub vesperam, traducerent, magnum flagellantium numerus cœpit hoc anno incrementum: cum multi se adolescentes, e ciuium numero, ad Congregationis alumnos, flagellis instructi adiunxissent. Rem fecit adhuc religiosiorem, & maiorem ad pietatem auxit ardorem pia femina; quæ filiolum, tenella admodum ætate, seminudum, cum scuticula agmini se verberantium inseruit: puerum palam his vocibus hortata. Habe puer grandem animum; vt ista discas ætate, illius amore pati aspera, qui tui amore mortem passus est. Permouit ea res ita vehementer, qui spectabant; vt quod tunc in agmine non possent, multi domi postea illo exemplo flagris se ceciderint.

Quadragesimæ ferijs, Sacerdos ad prædia, vicosq. nobilium excurrit, sacra mysteria circunferens. Venit præter ceteros ad senem & nobilem, & diuitè, auitæ religionis non ipsum tantum, sed vniuersos ex familia tenacissimos. Is oblatam sibi diuinitus occasionem, magna lætitia excepit; seq. cum omni familia, ad sacra percipienda sacramenta comparauit. Vicanos porro suæ ditionis vniuersos, tum auctoritate, tum hortatione efficaci, ad Christianæ rudimenta disciplinæ, confessionis, atque Eucharistiæ percipienda sacramenta inuitauit. Se illis quodam modo pastorem esse oportere; seq. de illorum salute diuinæ iustitiæ rationem reddere debere: ip-

sorum

sorum sanguinem de sua manu Deum exacturum; a suiq. esse officij curare: vt qui in sua familia, ditioneue sunt, Christiani ne sint, an infideles, dignoscantur. Hac orationis grauitate persuasum omnibus, vt alacri animo, ad animi remedia quærenda se cõuerterent. vnus officio defuit, qui anabaptistarum flatu putrefactus, salubre imperium aspernatus, quãuis alioqui, & frugi, & hero carus, è familia exactus est. Idem vir nobilis paullo post, promulgato in illa prouincia Iubileo, a P. Rectore per litteras contendit, vt eo Sacerdotes mitteret. Duo profecti, duas ibi morati hebdomadas, alijs familijs multis in eodem tractu auxilio fuere. Ingens pœnitentium numerus: nobiles aliquot ex hæresi educti. Quo in numero quidam, quinquaginta ipsos annos, Valdensibus adhæserat: Samosathenis alius viginti. Hæc feda monstra parit venenatum istud nouorum apostolorum, seu apostatarum euangelium. Germanus item discessit a Luthero, cum tamen sui dogmatis esset peritissimus. Ac, ne rem leuem quis existimet, cum dignitate hi ceteris præstarent, maluerunt fidem Catholicam professi, redigi in ordinem, quam cum religionis iactura clari esse inter suos.

Posteriore anno a schismate vnus, ab hæresi triginta plus minus reuocati. Hæreticus Minister, a viro nobili cum Sacerdote nostro commissus ad disputandum, ita conuictus est, vt stupidus discesserit. Pro concione Sacerdos noster duo præcipue in ciuitate vitia notauit sæpius: & quod nundinarum tempore maior solito scortorum numerus confluere: & quod parum decenter sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, per vrbem deferretur ad ægrotos. Exactæ ex vrbe mulierculæ: & sodalitas e Sa-

cerdotibus, ac ciuibus primarijs inſtitui cæpta, quæ curam ſuſciperet, vt digna ſacro Chriſti corpori reuerentia haberetur.

Excurſum eſt etiam hoc anno ſæpius ad vicina loca; ac dum e ſuperiore loco hæreſes exagitantur, vir nobilis, qui in ſectarum doctrina magnos proceſſus habebat, primo cœpit de ſua doctrina dubitare, poſt etiam catholicam probare veritatem, demum aperte etiam hæreſim contemnere. Et quo tempore in Prouincia litteræ darentur, nunciis certis cognitum iam erat, ipſum ſeſe Catholicæ Eccleſiæ addidiſſe. Spes eſt, non leue ipſius ad Eccleſiam acceſſum momentum habiturum, & propter opinionem doctrinæ: & quod iam non contemnendo, in repub. fungatur magiſtratu. Alio in loco Dynaſta Catholicus nouum templum in medio ſchiſmaticorum extruxerat, ad eius conſecrationem noſter ſacerdos inuitatus, de ea religione, deq. ſacris alijs Eccleſiæ ritibus verba fecit, Antiſtite Luceorienſi, multiſq. alijs viris nobilibus, tum Eccleſiaſtici, tum ſecularis ordinis audientibus. Tam alte eorum animis oratio inſedit; vt multi ad confirmationis ſacramentum acceſſerint; vſque eo, vt eorum audiendis confeſſionibus, cum multi eſſent Sacerdotes, tamen non ſufficerent. Obliquis oculis hæc a Popis Ruſſorum aſpiciebantur. timereq. cœperunt, ne huius templi nobilitate ac ſplendore, ipſorum templa cõtemnantur. Actum eſt cum illis de religione; ac pro concione demonſtratum, vnam eſſe Eccleſiam, vnũ eius paſtorem Petri ſucceſſorem: neque illi cæleſte Regnum patere, cui ille commiſſa ſibi claue non aperiat. Commouit ea diſputatio plurimos: ſed perturbauit vniuerſam Poporum nationem; multum vero momenti attulit, ad illorum labefactandam

dam inconstantiam, quod per eos dies Græcus Episcopus, e Moscouia in Thraciam rediens, in opido substiterat, & concioni interfuerat. Hominem officij caussa noster conuenit; sermonemq. de Romani Pontificis potestate contulit, quam cum validis testimonijs confirmaret, Græcus, siue quod vere ita sentiret, siue quod in angusto se deprehensum animaduerteret; vt ij solent, qui sapientes videri volunt, cum aientibus aiunt, cum negantibus negant; illa non solum vera esse fassus est, quæ dicerentur; sed plura etiam, quam noster ad eandem rem probandam, tum ex sacris litteris, tum ex sanctis patribus testimonia protulit. Quid ille probaturus animo discesserit, incertum est: sed certe ipsius assertione, maior iniecta est Popis perturbatio. ad quæ infelix turba cum, quid responderet, non haberet, tumultuari cœpit, & inter se consilia agitare, an sub potestate Luceorienſis Episcopi esse oporteret. incertiq. consilij, rem ad Voladicam (sic enim suos Antistites appellant) retulerunt. Qui nisi resipuerint, ac manus dederint, videntur non plus profecturi, quam vt imperiti ab imperito edocti, nunquam non stulti esse doceantur.

POLOCIENSE COLLEGIVM.

POlociæ quoque, vt Vilnæ Vngaricis tumultibus Dominicos, festosq. dies totos in precibus nostri traduxerunt, verberatione, asperitatibusq. alijs adhibitis. & vt populus preces coniungeret, Sacrosancta Eucharistia è sanctuario prolata, & omnium aspectui proposita. Octo & viginti hæresim, schisma quadraginta octo, biennio toto reliquerunt: vtrique partim in vrbe, partim extrà

vrbem

vrbem varijs excurſionibus ; quibus multum catholica res de more ſubleuata : ſublata vitia, abuſuſq. permulti ; diſcuſſa inſcitiæ caligo, infantibus per multis baptiſmus adhibitus, vt excurſione vna duodeuiginti ſupra centum ſacro fonti admoti ſint. Sed domi ſacra, vt in vrbe multum hæreſibus infecta, a Catholicis ſtudioſe ſatis culta ſunt. Dies feſtus nullus præterit, quin aliqui ſacram obeant ſynaxim, ſolennioribus vero diebus plures admodum. Sed Iubileo promulgato, tantus e circuniectis locis, vrbeq. ipſa ad ſacramenta concurſus factus eſt, vt feriæ Paſchales agi viderentur. Scholas, hæreticorum, quibus regio abundat, partim odio, partim metu, minus habemus frequentes, quam vellemus. Intelligunt ſiquidem homines, prauis opinionibus imbuti, noſtram induſtriam eo ſpectare, vt iuuentute inſtituenda, nouorum dogmatum auctoritas prematur, veritas corroboretur. ita ſuos liberos noſtri Collegij acceſſu prohibent, non tamen deſunt, qui e tam tetra caligine, aliquem tamen noſtræ lucis aſpiciant fulgorem. Vir notæ nobilitatis, & magiſtratu clarus, olido Iudaiſmi ceno alte infectus (vah prodidium humani generis) tres filios tamen noſtræ commiſit diſciplinæ; quatuor alius anabaptiſta: vnũ alius e plebe. qui quid ſapiat incertum eſt; graueolentiam tamen exhalat Iſraelis. Sunt & alij Caluinianis, alij ſchiſmaticis orti parentibus (proh dolor quanta fex) qui tamen faciles ſe præbent ad noſtrã diſciplinam; ac ferme omnes palam catholico ſe ritui accommodant; diuinis apud nos interſunt libenter; Sacerdotibus operantibus miniſtrant; vt in eo ſtudio etiam Catholicorum filijs præcurrant. Optanda ætati eſt conſtantia, ſed futurum videtur, vt conceptum quondam ſemen, non euaneſcat. Et

fuit

fuit qui oblata occasione, se nostræ alumnum disciplinæ profiteri non erubuit. Vnus enim ex ijs, a patre hæretico ducere choreas iussus, constanter recusauit; miratusq. pater est nostræ institutionis grauitatem.

Excursum est tum ad loca alia, tum ad Orsam opidum in finibus Lituaniæ situm ad Boristhenem, præclare vbique opera posita, catholicis retinendis, rudibus instruendis, hæreticis & schismaticis redarguendis. Minister certe hæreticus, quandiu nostri Orsæ fuerunt, sui potestatem facere non est ausus. quo facilius fuit scholam ibi excitare; in quam statim, non pauci nobilium filij sunt admissi. In opido altero curatum est per nostros, schismaticis frustra obnitentibus, vt templum paullo ante nostrorum opera exstructum, pariete sepiretur, fieretq. augustius. Adiectum est, & Xenodochium, & schola, quam etiam hæretici flagitarant.

COLLEGIVM Calissiense.

CAlissij biennio toto cum commoda fere Socij vsi valetudine sint, vnus P. Alfonsus Pisanus annum agens nonum, & sexagesimum, in Societate quartum & quadragesimum, laboribus confectus, priore anno incidit in morbum acerbissimum, qui in graui corporis cruciatu, non minus nunc ferendo forte præbet exemplum patientiæ, quam cum valeret, docendo ac disputando, sapientiæ. Hæretici supra triginta, varias detestati hæreses, cum Ecclesia reconciliati sunt. In his pestilentis doctrinæ magister, domi nostræ cum se collegisset, facta omnium, quæ admisit in vita, peccatorum confessione, publice

blice in templo errorem damnauit ſuum; cauſaſq. tum errorum, tum veritatis agnitæ expoſuit, audiẽte Archiepiſcopo Gneſnenſe, alijſq. Principibus viris, vt magno cum hæreticorum dolore ac dedecore, ſic magna cum Eccleſiæ Catholicæ lætitia, & gloria. Ceteris in rebus conſtitit operæ fructus; neque vnus aut parui de ſathana triumphi reportati. A morte & veſania multi peccatorum confeſſione liberati, qui catholici ne eſſent, an hæretici, ne ipſi quidem expediebant, ad mentis ſanitatem, & pietatis ſtudium adducti. A praua viuendi conſuetudine, animiq. ſui negligentia ad monaſticæ vitæ conſilium aliqui traducti Voto ſe religionis obſtrinxit adoleſcens non ignobilis, miniſtri filius: ita de Sathanæ vinea in Dei cellam nonulla vindemia collecta. Virgo, quæ ſuam Deo vouerat integritatẽ, ſtatu poſtea rerum ſuarum ita poſtulante, imperio eorum, in quorum erat poteſtate, nubere coacta, virum, cui tradita eſt, in voti ſocietatem ſecum traxit.

Scholæ egregiam habuere poſteriore anno ingenia oſtentandi occaſionem: Regem enim hac iter facientem, alumni ſuis quiſque ingenij fetibus, exceperunt. Data eſt tragœdia Iehu, Rege ſpectante, & magno virorum principum conſeſſu. habuit admirationem potiſſimum argumentum bene longũ, ac diffuſum, ad duarum horarum tantum (ſic enim Rex præceperat) actionem contractum; ita vt ex tanta hiſtoria, nihil ad integritatem deceſſerit. Tragœdia peracta, Rex Collegium ingreſſus, magna beneuolentiæ ſignificatione, noſtros ſe ſalutantes excepit.

Non minor, quam in re litteraria in omnibus, fuit ſplendor pietatis, in Sodalibus B. Virginis. Nam,

vt

vt omittam Bacchanalia, per multam pietatem, ac corporis asperitatem transacta, funeralia Christi Domini eo argumento pietatis prosequuti sunt; vt flagellatio res vsitata, & vulgaris, nouam admirationem hoc biennio habuerit. Multi enim & Sacerdotes, & viri nobiles, exemplo permoti, scholasticis adiunxere sese, vt vna cum illis pari feruore flagella corpori incuterent. Aduentus Domini diebus, a Præfecto Congregationis ad Valetudinaria sodales dimissi, magno decumbentibus, & omni officiorum genere, etiam ablutione pedum, & pecunia erogata, leuamini fuerunt. Ex ijs aliquot, rebus humanis abiectis, cœnobio se addixerunt. & priore quidem anno Societatem nostram tres, posteriore vero quatuor sunt amplexi: duo alij in opportunum tempus dilati, cum præterea eodem studio multi teneantur.

Templi ædificatio, superioribus annis instituta, ad iustam iam creuit altitudinem. Rem vrget Illustrissimus Antistes fundator. Qui cum antea semper, tum non definit hoc tempore de nostris commodis cogitare. Nunquam ad illum adit P. Rector (nam in vrbe alia degit) quin aliquo auctus redeat emolumento. Priore anno argenti facti tantum dedit, vt ad mille & quingentorum florenorum æstimationem ascenderet. Auctum est eodem anno collegij annuum vectigal quadringentorum, ac nonaginta aureorum; censu coempto, pecunia collata, tum à pijs alijs amicis, tum ab ipso maxime Antistite. Posteriore anno Collegij Rectorem ad se euocatum, sanctorum plurimis reliquijs, argenteo calice multi operis, veste sacra insuper, & pecunia donatum dimisit, iussitq. adhuc plura exspectare.

DER-

DERPATENSE Collegium.

DERPATI Congregatio B. Virginis die Cœnæ Domini dicato, præclaro pietatis documento, epulum dedit pauperibus. ijsq. pedes Christi D. exemplo lauit. Est præterea Christi corporis alia Sodalitas, Vilnensi similis, sex septemue annis ante instituta, paruis quidem initijs, nunc ad maiora iam cœpit excitari incrementa. In eam viri, feminæq. suo vtrique cetu diuisi, adscribuntur; nobileq. certamen pietatis inter se suscipiunt. nam deuotior sexus, virorum magis acuit ardorē, ne ipsi ab imbecillioribus vincantur. Valetudinaria illarum exemplo incitati, & ipsi inuisunt; solantur ægros; pauperes, pro sua quisque facultate, eleemosina iuuant; a turpi vitæ genere ad honestatem, quos possunt, traducunt. Feminæ vero in eo genere acriores: vt illarum sedulitate multi crebro confitendi suscipiant consuetudinem. Ex ijs matrona pia, sed inops, cum alteri ægrotanti opem ferre non valeret, magno animo sua contempta dignitate, emendicandæ illius nomine stipis negotium suscepit. Effundit se iam huius sodalicij nomen, & fama pietatis: ita vt vir primarius, ac generis perillustris, ad inopum egestatem subleuandam, censum annuum horti suburbani, huic Sodalicio addixerit. Horum sodalium præsentia, facilius nobis fuit, Christi corpori die dicata, solennem sacrosanctæ Eucharistiæ pompam per vrbem augusto traducere apparatu, tubarum sonitu, displosione tormentorum, armatorum agmine instructo, choro symphoniacorum, & dramate ad tempus accomodato. quod eo magis

gis fuit admirandum, tantam rem nos ausos esse, & feliciter Diuina ope peregisse, quod illo anno (is fuit nonagesimus quinctus) Catholicus magistratus, nullus esset in ciuitate. Itaque spes est, vt se dant initia, maiora in dies Sodalicium habiturum incrementa.

Itinera in finitima loca suscepta, magnos in horreum Domini prouentus conuexerunt. Vna excursione totius vitæ confessiones exceptæ sunt mille, & ducentæ: multorum annorum quingentæ quadraginta quatuor: ab hæresi abducti viginti quatuor; & in ijs ministri vnius filius. A schismate cum Ecclesia reconciliati quatuordecim: baptismo abluti ducenti septuaginta vnus: vt interim numerum eorum, qui ad sacram synaxim sunt admissi; vt matrimonia Ecclesiastico ritu copulata; vt dissidentiũ reconciliationes, & reliqua Societatis ministeria prætereamus.

Itum etiam ad Hestones; eademq. obita Societatis ministeria. Triginta sex ad Romanam Ecclesiam adiuncti. & in ijs vir nobilis, qui diu dubius, errorum ne scopulis adhæresceret, an ad oblatum salutis portum cursum tenderet, ancipiti in sententia fluctuauit; hinc veritatis amore, illinc humano pudore ventos commouente. in incerto igitur salo versanti formidolosa mortis alea, venti melioris flatus duplicauit: ac ne sic quidem proram aduertebat: cum subito familiaris interitu perculsus, omnem ex animo cunctationem excussit: accitoq. nostro Sacerdote, vere, & ex animo statui suo illacrymans, totum se Catholicæ Ecclesiæ permisit. Aliorum qui in suis dogmatibus persistunt, animis illud certe infusum, vt de Catholica Ecclesia sentiant non male. Itaque propemodum in æquo sita res est: nec

 diffici-

difficile fortasse fuerit, in partem alterutram impellere. nostros enim ritus non, vt alibi, aspernantur: quin etiam in morbo herbas Ecclesiastica benedictione affectas vltro deposcunt, rati ægrotantibus esse salutares; & felicia interdum euenta consequũtur. Hæc prioris anni excursionibus. Repetitæ eædem posteriori, pari cum fructu eorundem ministeriorum; & viginti partim hæretici, partim schismatici reconciliati.

Instituta est etiam in nostris prædijs noua parecia, magno nostrorum colonorum, & Collegij cõmodo; cum & Sacerdotem habeant assiduum, & Collegij patres onere leuati sint crebro ad eos, longo præsertim itinere, excurrendi.

COLLEGIVM RIGENSE cum adiuncta probationis domo.

RIgæ priore anno diem obiere extremum nouicius Sacerdos P. Gaspar, sexto ab ingressu mense; & Albertus Volterus e veteranis, phthisi vterque consumptus. Videntur iam, Christo laus, vetera in nos hæreticorum odia desedisse; & quæ communia, & vsitata alibi, posse hic, vt noua, & admirabilia narrari. Confitentium, & ad sacram mensam accedentium magnus numerus; maior vtique, quam in hæretica ciuitate; & nobis modo infensissima, expectari posset. Baptizati centum quinquaginta nouem: matrimonia Ecclesiastico ritu coniuncta duo supra centum. A Luthero Germani decem, Lotaui ducenti octoginta tres, vnus a schismate, ab Anabaptistis alter recesserunt. Vitæ to-

tius

tius admissa, integra confessione, euoluerunt centum septuaginta quinque. Ita quantum de perfidiæ lance detrahitur, tantum in alteram Catholicæ caussæ imponitur. Vnde spes est, si, vt cœpit, res ire pergat, hanc aliquando alteri præponderaturam. Euocantur nostri, sacramentorum caussa, longe extra vrbem; fauetq. diuina bonitas piorum studio, præclaris interdum documentis. Mulieri enim tribus iam hebdomadis affixæ lecto, protinus adhibita sacramenta, sanitatem reddidere. Infans, qui lac exsugere non poterat, cælestis agni sacra cera, cœpit melius habere. Pedibus æger alius, & morbo diuturno illorum vsu destitutus, sacra apud nos Eucharistia percepta, omni solutus est impedimento. Vnus è tironibus, plebem rusticam dum erudit, rosarij mysteria exposuit: tantus eius religionis est rusticorum animis ardor iniectus, vt statuerint quantolibet pretio, globulorum sibi quisque coronam comparare: eiusq. rei caussa, triginta in vrbem redeuntem prosequuti sint: idemq. postero, & tertio die alij plures imitati. Ita se exerit insita huic genti, a natura probitas, & pietatis amor, nisi fornacé Babylonicam, tartareo fumo teter ministrorum flatus succendat. Sed illis iam bonorum fauore, & diuina ope nobis aspirante, de præterita multum audacia decessit. Non tamen est odium penitus extinctum, quin fractas vires suas intentet aliquando; & quasi ex insidijs erumpens, agmen subinde, imbecilla velitatione carpat. Ad arcem Lemselem, Præfecti rogatu, noster Sacerdos se contulerat, vt die festo Purificationi Virginis, rem diuinam faceret in templo, ab Rege nuper hæreticis adempto. Id vbi resciuere furiosi, Sacerdotem adorti, auulsum ab ara, extra templum præcipiti furore protrusere. In

vrbe quoque, quando neque veris, neque verisimilibus iam possunt; conantur saltem stultis, & hebetibus commentis, occultum in nos odium exprimere. vt nuper cum Sacerdoti nostro collum a diabolo obtortum, alterum in lupum conuersum aniculis, & miseræ plebeculæ obtruserunt. Sed, Diuino protegente numine, re Catholica in tam aduersa prius ciuitate iam pæne constituta, ita aduersariorum retusam audaciã non timemus, vt ipso corporis Christi die festo, sacram adornare pompam, Eucharistiamq. digno apparatu circumferre auderemus, magna prosequente hominum frequentia. & iam palam ad ægrotos, accensis facibus circunferre cœpimus, nullo prorsus ne molestiam quidem exhibéte. Quin etiam Dux Curlandiæ, quanuis hæreticus, præbuit se nobis honorificum; nam cum hac iter faceret, peramanter Collegium inuisit; & nos etiam non contemnenda eleemosina donauit. Hic prioris anni cursus, pro temporum natura satis felix. felicior est adhuc alter insequutus. Sex & quinquaginta, partim hæretici, partim schismatici, nonnulli etiam propemodum gentiles, ad veræ religionis viam, cultumq. conuenere. In his ministeri, qui in cathedra pestilentiæ biennio consederat; & primarij Capitanei (maximi honoris nomen id est, & magnæ in rep. auctoritatis) coniux, quæ a prima infantia hæresim imbiberat. Est & alterius adolescentis spectata constantia. quem cum resciisset herus, apud nos confessionis obisse sacramentum (nam etiam nobilium filij, in his locis in familias nobiliũ traduntur in obsequium) & velle sacram Eucharistiam communicare, per caussam longi itineris, puerum illo die amandare studuit. ille vero non alia ratione se itineri commissurum constanter asseue-

rans,

rans, nisi sacro Christi corpore munitum, confictam heri fallaciam inanem fecit. Virgo item nobilis, a matrona, cui in famulatum data erat, male verberibus accepta, quod die Christi Domini cænæ, apud nos animi labes expiasset, non tamen est deterrita, quo minus Christi resurgentis die, denuo sacramenta vsurparet. Ita sensim carpendo minuitur impietas, religionis cultus augetur. Denique hæretici ipsi, siue caussæ victi æquitate, siue sensim ipsorum potentia labante, quotidie minus feroces habent spiritus contra nos. Natalia certe Christi Domini nunquam neque tranquillius, neque frequentia maiore celebrauimus. ipsi etiam Lutherani, lætitiæ participes esse voluerunt.

Quin ex ijs, qui adhuc vetus sequuntur calendarium, multi per eos dies nobiscum diuina officia celebrarunt; patriaq. carmina, de more, cum Catholicis concinuerunt; & thus, & aquam consecratam (religiosus videtur esse gentis vsus) a collegio petierunt. Duo e primarijs ciuibus, liberos nobis instituendos tradiderunt. Sed quo facilioribus vtimur ciuibus, eo magis rabularum ac ministrorum, contra nos rabies exasperatur. Vnus ex ijs, cum e superiore loco in nostrum nomen baccharetur licentius, conuersa ad senatum oratione, ipsum in visceribus ciuitatis alere latrones, quos lege Mosi data supplicio afficere oporteret, furenti vomere loquacitate non erubuit. Despecta est ridicula abiectissimi concionatoris proclamatio. quin etiam hæreticorum, & aduersariorum nostrorum irritauit animos, ad nostram innocentiam tuendam, laudes asserendas. Consul primarius dicere non dubitauit; tantas ineptias, se in vlla concione audisse nunquã. Dicebant alij, Iesuitas homines esse quietis amato-

res : neque vlli negotium facessere : ita viuere in ciuitate, ac si nulli essent. Sed nõ plus profecit acerbus ille proclamator, quam crabrones irritauit contra se; repressaq. est audacia garriendi. Vocatis enim in prætorium ministris, compulsis etiam qui recusarẽt, castigata seuere viuendi, dicendiq licentia, certa concionandi forma præscribitur; a qua qui recedat, pernicioſum ipsi futurum. Ita inter se varia altercantes, ignominiæ pleni dimittuntur. Nec leuem plagam in eo acceperunt, cum ædiculam B. Virginis, quam in profanos vsus feda monstra verterant, ex eorum manibus recepimus. ea cessit in vsus Catholicorum Lotauorum : in eaq. Christianæ legis præcepta festis diebus, per nostros edocentur. Sunt Lotaui antiqui Liuones, genus hominum in seruitutem redactum; proprio vtuntur idiomate: etiam inde a primis Liuonæ motibus, Lutheri impietate deprauati. Hi siue triũphi, siue induciæ cũ hæreticis.

Ceterum Episcopo sane vtimur beneuolo. Paschales festos dies nobiscum egit, rituq. solenni e Pontificali libro in nostro templo rem diuinam fecit; sacrisq. operatus, concionem habuit ad populum. Idem, coacta suæ Diœcesis Synodo, non eo solum P. Rectorem Rigensem, ac Derpatensem euocauit; sed nihil non de ipsorum sententia constituit. Et cum, peracta Synodo iterum Rigam redijsset, octo diebus in nostris ædibus secretis se commentationibus exercuit. Quo tempore cum multi nobiles eum adire vellent, neque admitterentur, consuetudinis ignari, mirabantur, idq. etiam vario sermone iactabant : Tantam esse Iesuitis potestatem, vt viros principes Regni Senatores, clausos domi contineant; neque exire, neque ab alijs adiri patiantur. Excursiones ad vicinos populos,

solito

solito cum fructu obitæ, rudesq. homines Christianæ fidei edocti rudimenta. Fuitq. alicubi rerum diuinarum insciti a tanta, vt arboribus aliqui diuinum cultum tribuerent; alij tonitrua inuocarent. & hi quoque ad Dei cognitionem traducti sunt. Aliæ insuper vtilitates, tum ad pietatis cultum, tum ad commoda cetera, præstitæ permultæ.

NIESVISIENSE Collegium.

NIesuisienſium ſociorum opera, hoc biennio ab hæresi ad Ecclesiam viginti, è schismate ſeptuaginta ſeptem rediere. Suſceptæ ſubinde ſunt peregrinationes, ad inuiſendos nobiles, qui in ſuis prædijs viuunt, & eorum confeſſiones exceptæ, tum ipſorum dominorum, tum familiarium magno numero. Excurſum etiam in Ruſſiam, & Catholici Eccleſiæ ſacramentis recreati. rudes elementa fidei, quacunque itum eſt, edocti, obſtrepentibus alibi Popis, & fruſtra rem impedire adnitentibus; alibi probantibus, plaudentibuſq. & noſtris gratias agentibus. rei enim vtilitatem agnoſcebant, neceſſitatẽ fatebantur. nam præter crucis ſignum, & frontis ad terram, Græcorum ritu, acclinationem, nulla in rudi plebe, Chriſtiani hominis ſigna cernebantur.

Exſcripta, & ipſorum characteribus excuſa, Chriſtianæ fideì capita, in templis propoſita ſunt: mirum viguit ſtudium ſimplicium, in illis exſcribendis, ediſcendiſq. ſublatæ prẽterea ſuperſtitiones multæ ſunt & conſuetudines Chriſtiano nomine indignæ. Vir nobilis cum videret noſtros ad ſe adire, multis audientibus, cum riſu dixit. Hi ad me veniunt, vt me in ſua trahant dogmata; ſed facilius diabolo, quã

mihi persuadeant. Magna vis est veritatis; præsertim cum spiritus, vbi vult, spirat. Nullæ homini præcipue admotæ machinæ: tantum illa attente audiuit, quæ concioni dicebantur. ita permotus est, vt damnata prioris vitæ licentia, & Sacerdoti nostro culpas confessione explicarit; & Deo gratias egerit, quod sibi talem obiecisset hominem, a quo & sua pericula, & remedia malorum didicisset. Primarius in ea regione Dux, etsi schismati addictus, nostrorum tamen adire concionem, ac Missæ sacro interesse voluit. quin ipso die Paschæ, cum primum Ecclesia illa, siue ex inscitia, siue quauis alia causa cineralia inirent, festum diem nobiscum celebrauit. nostram in hominum salute procuranda diligentiam, amplissimis verbis collaudauit: contraq. Poporum inertem negligentiam notauit; qui nihil tale aut scirent, aut vnquam cogitarent. Denique ea fuit operis vtilitas, vt magnum vbique sui desiderium reliquerint.

CRACOVIENSIS VTRAQVE domus, & professorum, & probationis.

CRacouiæ decessit P. Nicolaus Sedhoroschius. triginta egerat annos in Societate, vota quatuor professus, spectata virtute vir, & multis in hac Prouincia laboribus toleratis. Reducti ad Ecclesiã Catholicam triginta septem: ad honestam viuendi rationem feminæ sex: aliæ a pellicatu, vel abductæ, vel coniunctæ matrimonio. Sed nos rebus vulgatis volutamur: nec mirum in vrbe Regni Principe, & fide Catholica maxime florente, eas in horreum

Domi-

Domini messes comportari, quæ in alijs tranquillis Regionibus, Italia, & Hispania, magno vtique prouentu, sed vsitato, & quotidiano colliguntur. Labor operarum, & assiduus, & ingens fuit. est enim domus hæc non vrbis modo, sed omnium circa populorum, ad sacram pœnitentiam euntium, commune perfugium. Increbuit enim longe, lateq. illa de nostris hominibus opinio, non vsquam felicius, quã apud Societatis Sacerdotes, conscientiæ onera deponi. Ita factum est, vt etiam alias Religiosas familias totas, hoc beneficij genere affecerimus. Egregie ipsa quoque ciuitas viciſſim, nostrorum labores sua compensat liberalitate: neque patitur aliquid eorum, quæ ad quotidianum spectant vsum, nos desiderare. Quod in tanto nosocomiorum, religiosorum mendicantium numero magni certe æstimãdum est. Sacra supellex præterea, argento facto non modico, sacerq. reliquus apparatus multa, & magni pretij veste auctus est. Sed omnium beneficentiam, siue rem ipsam, siue dantis animum perpendas, Sereniſſimi Regis superauit liberalitas. Qui ædium nostrarum anguſtijs permotus, amplioris ædificij a fundamentis extruendi Regium cepit consilium. Is in cuius manu Regum sunt consilia, tum hoc, tum alia maiora Regis optimi cepta promoueat. Excursum est etiam, Lublinensis Palatini rogatu, in Podoliam, & solitum doctrinæ lumen populis illatum; & animorum morbis remedia adhibita.

Nouicij, qui in Cracouiensi Probationis domo versati sunt, & ipsi suis armis cum antea semper, tum Vngaricis maxime periculis, pro communi salute pugnarunt, precationibus, & corporis vsitatis afflictationibus. Sed veteranorum opera schisma

quin-

quinque, hæresim duo, & viginti abiecerunt. Reuocati item aliqui ad vitam in clauſtro agẽdam. Curatum eſt, vt Parecia, cuius iam cenſus interierant, à claro, & præpotenti viro duplo, quam antea maioribus prouentis conſtitueretur. Cum Scythicis, Turciciſq. motibus, multæ ad multa templa ſupplicationes, agmine procederent: indicta eſt ad noſtrum quoque templum, certo die, ſupplicatio. Sodales, quibus a miſericordia eſt nomen, e prima nobilitate collecti, & multi ex primarijs ordinibus, Eccleſiaſticis, agmen ſuum digno apparatu adornabant. Traducenda erat ſupplicatio ſub noctem. id vbi reſciſſet Rex, cum paucis conſcijs, ex ordine Senatorio, ad Sodalicium ſe contulit. ignotuſq. ſacco & ipſe Sodalitij indutus, vna cum alijs proceſſit. Incedebat agmen, multa face collucens, & ſymphoniacorum choro perſonans. Vbi ad templum ventum eſt, ingreſſi, eo quo venerunt ordine, in genua cuncti procumbunt. breuis ab vno e noſtris concio habetur, qua abſoluta, qui nixi genibus adhuc ſteterant: proni ad terram procumbunt, interim, vt conſtitutum erat, aliqui (& hi ferme Eccleſiaſtici ordinis, & magna dignitate præditi) conſcenſa ſuperiori parte templi, ceteris interim prono pectore orantibus, ſeſe per horæ quadrantem flagellis ceciderunt.

Afficit intimo ſenſu pietatis, tantæ ſpectaculum religionis: multoq magis rumore vulgato, Regem in ſupplicationem prodijſſe, vt multi Senatores indoluerint, non ſe ei comites addidiſſe: atque in parte tam piæ non veniſſe actionis. Excurſum hinc quoque ad vicinos, compoſita permulta; multorumq. tum tranquillitati, tum ſaluti animi proſpectum. Quæ cum & magna, & magni fuerint momenti, vſque

que ad admirationem: tamen ne sæpius similia narrentur, omittuntur.

SEDES LEOPOLITANA.

LEopoli, cum Armenis, qui ibi negotiantur, Rutenis, & ipsis adhuc schismaticis, & varia hæresum colluuione, assiduum negotium. & quidem Armeni, quanuis tenaces suæ sectæ, non tamen se præbent ab Ecclesia Romana alienos: sed illud exspectant, vt ipsorum Patriarcha Pontifici Romano se subijciat, & iam ex ijs vnus, magno natu, in nostro domestico sacello, sacra mysteria salutis, Catholico ritu nobiscum clam communicauit. Ruteni vero valde sunt ancipites; cum præsertim cognouerint Chiouiæ Metropolitam, cum Vladicis aliquibus, suæ Ecclesiæ nomine legationem ad Rom. Pontificem de reconciliatione suscepisse. Ita per eam occasionem hic viginti, & eo amplius ad latinos accesserunt. Ex hæreticis quatuor supra viginti transierunt ad Catholicos. Arriani duo, adolescens & femina iam marito tradita, baptismo expiati. Labores solito cum fructu, eo plures hic fuere, quo plus operis suppeditauit; & operarum paucitate laboratum est. Inter hæc Scythici tumultus, repentinæq. excursiones Sacerdotem nostrum, hinc profectum, loca circuniecta obeuntem, huc illuc mutatione sedis agitarunt: vt modo Episcopis comitaretur, modo militum copias sequeretur, modo in ipsis castris versaretur. Sæpe etiam, oblata itinerum occasione, ad remotiores populos, opida, vrbesq. penetraret. Constitit siue peregrinationis, siue nouæ

uæ ſubinde initæ fugæ vtilitas. Nam per eam occaſionem, cum præcipuis egit Vladicis Rutenorum de ſchiſmate tandem abrumpendo; & reſarcienda, cum Romana Eccleſia coniunctione, & obedientia proteſtanda. ex tenui, ac prope fortuito initio, magna creuit rei maximæ occaſio. Acceſſit ad cauſſam Antiſtes Luceorienſis, tum etiam Regia auctoritas, ita re diu, multumq deliberata, ea ad ſummum omnium in terris Antiſtitem miſſa legatio, quam paullo ante memorani. Sed dum huc illuc peregrinatur, multa geſſit, quanuis vſitata, non tamen indigna, quæ his litteris commemorentur. Confeſſiones vitæ totius excepit octingentas quinquaginta quatuor. hæreticos, quorum numerum iniuit, ſexaginta ad lumen veritatis reuocauit. In his Dux quidam primarius Rutenus. Agnouerat hic ſuperiore anno malum, ſed ſalutare conſilium non expediebat. tandem noſtro ſuperueniente Sacerdote, occaſionem complexus, lacrymans ipſe cum coniuge, duobus filijs, totidemq. filiabus, & familia vniuerſa, Eccleſiæ reſtitutus eſt; factaq. confeſſione peccatorum iterum, & ſæpius, magno cum fructu diuino Chriſti corpore ſe pauit. Et vt perpetuum ſit bonum, neue vllus in poſterum nouitati detur locus, templum extruxit, eiq. Sacerdotes duos, alioſq. diuinarum rerum adminiſtros addixit, qui ſacra ibi latino ritu obeant. Filios autem adhuc pueros Iaroslauiam, in noſtram miſit diſciplinam; vt Romanæ innutriti fidei, eiuſdem in poſterum ſint retinentiſſimi. Eius exemplum imitata ſoror, quæ Duci alteri, ſed ſchiſmate, & hæreſi infecto nupta, aliquandiu obduruerat, abiecto errore, cum Eccleſia Catholica, & ipſa ſe coniunxit. Veniunt in hunc numerum Duces alij, Duciſſæq. ſed cum perſonæ tantum indicentur, no-

men

men interim nullum prodatur, omittuntur. Non tamen ex hoc numero excipietur alius, minore quidem tituli specie, sed pietatis candore non despiciendus. Eiecerat hic quidem hæresis venenum, animum peccatorum confessione expiarat; a cæleſti tamen mensa, cum sæpius a nostro Sacerdote vrgeretur, importuna tamen dubitatione abstinebat. ita quo tempore per horam sacrificij mystica hostia, manu sublata sacerdotis adoranda populo ostéditur, hæc reputare secum, & tacitus apud se orare cœpit. Meam simplicitatem vides, Deus optime: si ista in hostia abditus es, fac te nuhi palam; sin minus, ab hoc me discriminoso idolatriæ vindica errore. Periculosa alea nec cuilibet facile tentanda, respexit tamen diuina bonitas sincerum animi candorem; mentiq. imbecillæ, & alta caligine olim occupatæ, in tempore subuenit. trino radio cælitus demisso, diuinam suam in sacra hostia præsentiam declarauit. Tum ille multo cum fletu, suam incusans incredulitatem, iureiurando se obstringens, quod viderat, narrauit; factusq. testis oculatus, non dubitauit sacrosanctæ Eucharistiæ fidem, apud impios ac perfidos asserere. Et vt intelligatur quanta sit vanæ persuasionis vis, quamq. indigna fuerint ijs, quas impostores fallacias obtrudunt, proba alioqui incolarum ingenia, Chelmensis Antistes, dum suam obiret Diœcesim, eundem peregrinantem Sacerdotem secum duxit. In opidis iampridem ab hæresi occupatis, tanta gratulatione, ac triumpho excipiebantur, vt si nunquam ne vmbra quidem hæresis illuc peruenisset. hærebat vtique infixa animo antiquæ religionis reuerentia. Facile fuit homines suopte ingenio ad pietatem propensos, ad rectum salu-

tis

tis tramitem reducere. Multi ad sacras epulas admissi: multi ab ipso Antistite confirmationis sacramento communiti: restitutæ Ecclesiæ; ijsq. ministri idonei præfecti. Res in eo genere contigit, narratu non indigna. Inchoatum templum, homo locuples nuper ad fastigium adducere, & prouentibus augere constituerat. sed dum importuna dilatione, moras nectit, incidit in morbum, ex quo ita cœpit grauiter habere, vt breui interitus expectaretur. Is sensit per quietem ab infernis ministris, ad tribunal se duci venerandi senis, qui ius ingenti multitudini dicebat. ab hoc in fetidissimum carcerem duci iussum esse: sed alterius senis interuentu, ad idem tribunal iterum retractum; atque a iudice, quid crederet, interrogatum. tum se ea, & credere, & seruare respondisse, quæ a Sacerdote nostro, quem iudici astantem indicabat, doctus esset. atqui iudicem dixisse, Vota non reddere, & in diuina causa esse negligentem, vtique hic nunquam docuit. Tum se illa reprehensione conuictum, cum lacrymis inducias petijsse; quibus impetratis ille ad se redijt, cœpitq. melius habere. & ecce tibi postero die, noster superuenit Sacerdos, cui hæc omnia narrauit, ac tandem ex morbo recreatus, votum soluere primo quoque tempore approperauit.

Præclare igitur hoc toto tempore, tum domi, tum peregre est opera posita. Interrupit tamen aliquantum rei Christianæ cursum posterioris anni pestilentia; immo vero auxit labores, & laborum fructus: modisq. omnibus morbidis subuentum est; & magistratuum industria ad laboranti multitudini subueniendum excitata; vt curatio ægrotis, honesta

nesta defunctis sepultura, non deesset. neque tamen in tot difficultatibus, reliquorum ministeriorum opera cessauit.

Ad Ecclesiam, partim a schismate, partim ab hæresi sex, & quadraginta rediere. In his minister vnus, qui plus viginti annis imperitis imposuerat, hæresim multis cum lacrymis, principe in templo, eiurauit. Armeni, quibus hæc ciuitas abundat, frequentes nostris interfuere concionibus, cupiuntq. sublato pestis metu, nobiscum de religione agere. Interim liberales erga nos esse non desinunt. Idem facit, & femina primaria, e Græco schismate. significatq. se nostrorum concione, colloquioq. multum delectari; serioq. de sua iam salute cogitare. Virgines duæ nobili loco natæ, ex impuro Anabaptistarum grege, sacro baptismati admotæ.

E simili item incendio educta nobilis alia matrona, quæ tricesimo ætatis anno, impuro Ebionitarum fonte tincta erat. Aliæ virgines religionem Catholicam complexæ, a parentibus male acceptæ, virgis etiam concisæ, auelli se a fide non sunt passæ. Lectissima femina, Valachiæ Principis soror, fratrem perpulit, quanuis schismaticum, vt hæreticum blateronem, qui ministrum ageret, e sua pelleret ditione. Eadem Leopolim cum venisset, multa de rebus ad conscientiam pertinentibus, cum Sacerdote nostro contulit. Varijs excursionibus Ruteni quinque, hæretici quatuor, & quadraginta Catholicis se adiunxere. Templum vnum, ædiculæ duæ, ad restituenda deleta antiquæ vestigia religionis, vbi nulla erant, exstructa. Actum multis cum Principibus viris de religione; & partim

tim ad veri cognitionem traductis, partim inclinantibus, spes est, breui magni futuri ad Ecclesiam accessus.

PRO-

PROVINCIA AVSTRIA.

SI vllæ huius biennij litteræ, cum in Prouincijs recitabuntur, Austriacæ maxime ferè visuræ sunt, ipsis præsertim Austriacis, atque eorum finitimis Italis, Germanis, & Polonis; & sæpe risum, mærorem sæpe cõmouebunt, nuncios enim perferunt de rebus maximis: sed quæ, non modo vetustate iam exoleuerunt; sed eam postea sortitæ sunt mutationem; vt multæ spes prolapsæ in deterius, sine tristi recordatione repeti non possint. Sed quid faciendum? sero susceptas, serius mitti necesse fuit: neque omnino omitti debuerũt. Remotis certe Indis, Peruuianis, ac Mexicanis, tam erunt recentes, quam nobis nostrorum accessus ad Philippinas, penetratio ad Maranonem, Cicimecæ ad mansuetudinem, & amicitiam adducti, & alia multa, quæ illorum litteris ipsis erunt obsoleta, nobis recentia. Neque sane fuit, ob interruptum scribendi opus, annorum octo rerum memoria dignarum series intercidenda. Sed liberum erit cuique, quæ molestam habent commemorationem, ea præterire. Numerus igitur eorum, qui hoc biennio in Austria Prouincia versati sunt, ad rationem prioris anni perscribetur, quoniam posterioris, ex litteris Prouinciæ, iniri nullo modo potuit. Fuere igitur Prouincia tota Socij trecenti viginti duo, Collegijs septem, vna probationis domo, & residentijs aliquibus distributi. in Colleggio Viennensi quadraginta septem, in Pragensi quadraginta vnus, in

Olomucienſi octo & triginta; in Græcienſi ſexaginta; tres & viginti in Crunlouienſi, viginti octo in Thurocienſi, ſexdecim in Commotonienſi, in domo probationis Brunenſi quinquaginta octo, veterani ſexdecim, tirones duo ſupra quadraginta. Tribus in Reſidentijs Nouodomenſi, Sileſienſi, & Tranſiluana omnino vndecim. acceſſit poſteriore anno Collegium Claudiopolitanum, in Tranſiluania reſtitutum. Exceſſere è viuis poſteriore anno ſeptem, adiuncti ad noſtrum ordinem triginta. Horum priore anno numerus proditus nullus eſt.

COLLEGIVM VIENNENSE.

VIennæ diem ſuum obijt priore anno P. Ioannes Nicolaus Domnius, magno apud omnes ſui relicto deſiderio. Vixit in Societate annis octo & triginta; multiſq. ac magnis muneribus perfunctus, inſigne ſemper dedit patientiæ, candoris animi, ac religioſæ ſimplicitatis documentum. quibus virtutibus, non domeſticis ſolum gratus fuit, ſed alienis etiam, qui hominem norant, longe cariſſimus. Quod ad ſtudia pietatis attinet, longe plus ſolito, ad auertenda belli mala, publicis precationibus data eſt opera. nam præter quadragenariam ſupplicationem, quæ a noſtro templo inſtituta, & anno toto per omnia Viennenſia templa, continenti opera, in orbem, circumactam, ac quartum in noſtro templo vſurpatam, tota etiam continenti hebdomada, ſemel eodem in templo ſupplicatum eſt. Ob eadem pericula, Sacerdotis, qui in noſtro templo eſt a concionibus ſuaſu, Parochi omnes, prædicatoreſq. alij per autumnum, conſpiratione facta, eodem die ciuitatem ad pœnitentiæ ſtudium excitarunt. Tantus factus eſt ad templum noſtrum concurſus pœnitentium, vt ſacer agi Paſchæ dies

videre.

videretur. Ceterarum ſpiritalium rerum curſus, anno toto eo maiore contentione proceſſit, quo propiora pericula, homines ſui officij admonebant. Duo in graui inundantium aquarum periculo conſtituti, voto nuncupato, confeſſionis apud noſtros obeundæ, ſeruati ſunt. Miles hæreticus, matura iam ætate, in graui periculoſoq. morbo conſilium cepit peccata Catholico Sacerdoti confitendi. ergo eius rei negotium dat familiaribus: illi noſtrum ſacerdotem adhibent; quamuis non obſcure intelligerent, id illi minus gratum futurum. egit cum ægroto noſter, tanta cum dexteritate; vt, abiurata hæreſi, & confeſſione expiatus, ſingulari Dei beneficio, vna cum animi, corporis quoque recepta valetudine, ſurgeret ſtatim e cubili. Mulier hæretica, non morbo ſolum, ſed magnis etiam, & horrendis agitationibus concitabatur, maligno ſpiritu obſeſſam diceres; vt catenis conſtringenda fuerit, ne ſe præcipitaret. Maritus quamuis hæreticus, aduocat tamen e noſtris vnum. is per quieta interualla, quæ dabantur ſubinde, hactenus libenter auditus eſt, quoad palam in ſermonem de religione ingreſſus eſt. tum vero mulier ad ſuam conuerſa pervicaciam, ita ſermonem reiecit, vt, re deſperata, noſter ſe receperit. Sed ecce tibi, non poſt multos dies, diuina bonitas, ita ægrotæ immutauit animum, vt eidem Sacerdoti ad ſe rurſus accerſito, reiecta hæreſi, confiteretur, & cum Eccleſia reconciliaretur. ex eoq. tempore, Dei beneficio, melius habere cæpit; & cum hæc in Prouincia ſcriberentur, propemodum iam conualuerat. Hæretici alij, in Petri nauim recepere ſeſe multi, tum indigenæ, tum aduenæ Angli, Scotiq. qui venere militatum. idq. maxime, cum vel morbi grauitate, vel hoſte premente, mortis

metus immineret. Nonnulli etiam, per occasionem iungendi matrimonij, ad Catholicos se adiunxere. Catholicus adolescens grauiter in domo Lutherani hominis ægrotabat; vt inunctus oleo, propè iam esset depositus. Noster Sacerdos, qui erat illi a cõfessionibus, extremi officij caussa aduocatur. rogatus ab honestis viris, vt moribundum hominem, de matrimonio iungendo cum sui hospitis filia interpellaret; negat Catholico homini, cum Lutherana muliere contrahere licere: si Catholica puella esse velit, se iuuenis animum exploraturum. Annuit vterque, & parocho adhibito, sacro Catholici matrimonij federe iunguntur. Factum pro sua bonitate Deus probare visus est, qui in singula momenta, animam exhalaturus videbatur, cœpit melius habere; breuiq. & recepta valetudine, & coniuge Catholica lætatus est. In carcere quoque multi ad Catholicam fidem reuocati, præsertim extremo supplicio adiudicati. Sed admirationi fuit mulier, tanto atrociore supplicio punienda, quanto crudelius facinus commiserat. hæc nostro Sacerdoti, qui statis temporibus carcerem inuisit, ita confessa est; vt abiecta hæresi, & magno concepto spiritus feruore, tam ardenter ad extremum vsque supplicium, de Deo, & loqueretur, & cogitaret, vt omnibus esset admirationi. Perspecta est in puerperis duabus consecrati agni efficacia. altera toto biduo dirissimis cruciatibus conficiebatur; vt spe vitæ plane iam exciderit. adhibetur sacra cera, & Missæ sacrificium offertur. sub ipsum tempus sacrificij, ægra & dolore omni, & partu leuata est.

Altera periculosius adhuc laborabat. transuersus fetus, & extinctus, summo cum cruciatu matris visceribus hærebat, altero tantum bracchio emisso.

dedit

dedit e nostris vnus cereum agnum, collo laborantis applicandum. quo admoto, paullo post afflicta mulier fetum emisit.

Ne studia quidem litterarum tãto bellorum metu remiserunt. frequentia, pro temporum natura, qua maiorem non desideres. octingenti fere auditores toto anno numerati. Verum exeunte anno, Iaurino in Vngaria à Turcis occupato, ducenti circiter subtracti sunt. Eorum aliqui in ea, qua imbuti sunt a nobis fide retinenda, egregie constantes sese præbuere. Adolescentẽ nobilem mater hæretica domũ reuocatum verbis, minisq. cum a fide non posset remouere, diu compedibus constrictum tenuit. victa tandem pueri constantia, missum fecit. Alter item nobilis, virilem præuertit animum ætati. Negauit mater vidua, eum se filium agnoscere, qui non in eadem, qua ipsa permaneret fide. Negauit & ille se matrem agnoscere, quæ a vera fide aberraret. sumptaq. sua secum hæreditate, matrem suas sibi res habere iussit: factoq. diuortio, ad cognatum Catholicum concessit. Alij pane potius & aqua vitam sustentarunt, quam vt diebus religiosis, cibis vetitis vescerentur. Et vt aliquid de Sodalitatibus dicatur, est in collegio conuictorum sodalitas Sanctæ Barbaræ dicata. diem suum obijt ex eo cetu adolescens, insigne in diuturno morbo patientiæ exemplum: sex ipsos menses lectulo affixus decubuit, tanta macie confectus: vt consumptis visceribus, sola cutis ossibus hæreret. & cum longa corporis cubatione, exesis lateribus, dorso attrito, ipso ossium pressu, & vi morbi grauissimos sentiret cruciatus; mirum est, quam suam cum diuina semper voluntatem coniunctam habuerit: ab vno Deo assidue

sidue petens vnicum patientiæ clypeum. Is nocte D. Catherinæ festo præeunte, inter preces, cum subito vehementius se affici sentiret, feminas duas, humana specie augustiores, ad se videt accedere. coniectura est S. Barbaram, & S. Catherinam, quas ille pio studio prosequebatur, fuisse, & ex codicibus, quos manu tenebant, eas orantes iudicauit. Harum aspectu valde cum recrearetur, videt pone illas horribili aspectu dæmoné, varijs gestibus, terroribusq. se ab orandi studio auertere conantem: sed exclamante eo: *Abrenuncio tibi Sathana*: confestim feda species euanuit, manentibus illis aliquá diu, quarum aspectu magnam animo cœpit voluptatem, donec sensim lenis afflictum corpus somnus obrepsit. Paucis post diebus, sacramentis omnibus munitus, eadem, qua in morbo versatus erat, pietate consumptus est. Ex sodalitate item B. Virginis, alter insigne dedit in morte documẽtum pietatis. Ad eum confirmandum extremo tempore nostri cum venissent, cœpit cum adstantium voluptate incredibili, B. Virginem præsentem compellare: illius sibi aduentum gratulari; oculisq. in sublime defixis, magna voce, ac maiore quàm pro viribus, in diuinæ Matris laudem se effundere. & cum magnam partem carminis, *Salue Regina*, percurrisset, subiunxit illa S. Elisabetis: Vnde sibi tantum bonum, vt ad se veniret mater Domini: multaq. in eam sententiam continuauit, vt emotæ mentis esse videretur. Sed interpellatus a nostris, tam apposite respondit, & tam integris sensibus; vt appareret, illud non fuisse aut vaticinium, aut delirium; sed verum Matris sanctissimæ aspectum. & hæc quo maxime tempore mors immineret, euenerunt. Porro sodalitas ex nonnulla infrequentia magnum

hoc

hoc anno accepit incrementum, nouo hominum ordine adiuncto. nam cum antea nostri gymnasij adolescentibus tantum constaret; hoc anno viri primarij aliquot, & ex vniuersitate Doctores, & Magistri, ad eorum numerum adlecti, ita languentium teporem excitarunt; vt renasci quodam modo visa sit. Quare duobus iam constat ordinibus, studiosis litterarum, & alijs extra gymnasij disciplinam, quos propterea externos vocant. Habent hi quoque suũ proprium Rectorem, graduſq. alios honorum, qui consiliorum sint, & rerum exsequendarum administri. Rector ipso Visitationis Virginis festo die, ducentis circiter pauperibus prandium dedit, illisq. ad mensam administrauit; & pecunia donatos singulos dimisit. Aegrotos, ex suo corpore vterque ordo, non modo inuisunt, & si qua re indigent, adiuuant humaniter; sed etiam si quando morbi grauitas id postulat, distributis inter se temporibus, noctes totas ijs vigilando assistunt: defunctos quoque honesto prosequuntur funere. Et iam vrbe tota bonum sodalitas diffundit odorem pietatis. Præter vrbanos, & sodalitatũ alumnos, est etiam egregia opera præstita militibus, qui e diuersis regionibus, ad bellum contra Turcas confluxerunt, præsertim Tirolensibus, & Italis. Hi frequentes ad nostrũ templum confluebant, vt se sacramentis communirent: illudq. frequenti sermone vsurpabant: Si vnquam alias, nunc maxime ex animo, & integre animum culpis esse perpurgandum.

Itaque diu multumq. Sacerdotes nostros habuere occupatos, multiq. nostrorum vsi consilio, decimo quinto, alij etiam octauo quoque die communicandi consuetudinem etiam in castris retinuerũt. vt mirum nõ fuerit, eos his munitos præsidijs, egre-

giæ in prælio virtutis facinora edidisse. Iuit præter ceteros ad castra, ex hoc Collegio Sacerdos, qui Sereniſſimo Matthiæ Austriaco esset a concione. Exceptus a Sereniſſimo Principe est humaniſſime, auditus in tentorio eiusdem a Principibus viris, etiã hæreticis perlibenter; qui se dicentis humanitate, & doctrina mire teneri fatebantur. Eiusdem Sacerdotis caritas, & indefessus animus, audiendis militum confessionibus, eorum commodis procurandis, ægrotantium præsertim, & inopum eluxit. Magnũ quotidie numerum tum pecuniæ, tum carnium distribuendum curauit; quæ omnia, e multorum pia liberalitate corrogauerat. saucios e prælio in castra reportabat: vita functos sepulturæ dabat; milites cateruatim obibat; eosq. ad fortiter pro fide dimicandum hortabatur: hæreticos, vt veræ fidei lumen agnoscerent, monebat: infantes, ne ab hæreticis baptizarentur, ipse sacro lauacro abluebat: omnia denique Societatis munia impigre obibat: vt ad intempestam noctem interdũ strenuus Christi minister operam perduceret. Continentium laborum contentionem, infractus animus facile superabat, corpus tandem non lapideum succubuit. Grauis morbus laborum magnitudine contractus, multarum rerum, atque optimorum studiorum cursum interrupit. Hæc a nostris profecta, in externos: rebus illis aucti sumus ipsi ab externis: auleis ad ornatum templi, tum alijs, tum octo præcipuis egregia textura, ab Illustrissima matrona Manriquesia dono datis, totam D. Paulli ex actis Apostolicis historiam explicantibus: munus esse dices Rege dignum. Accessit bibliothecæ nostræ, alterius testamento numerus non modicus librorum: templo præterea talerorum centum eleemosina. Femina

alia

alia rerum omnium suarum hæredes, nos ex asse testamento reliquit. Hæc his belli motibus huius sæculi quartus & nonagesimus suppeditauit annus.

Insequentem annum, maior excepit, vt bellorum, ita etiam laborum moles. Ea nobis Sacerdotes duos in ipso sustulit ætatis flore, qui cum ad varia Societatis munera idonei, dum ægrotis (quorum magnam copiam vicina castra subinde submittebant) subleuandis, eorum confessionibus excipiendis, in vrbe operam impendunt, morbo ipsi correpti, vix dum inito laborum cursu, extinguuntur. Non defuit propterea reliquorum opera diuersarũ gentium ægrotis, e castris item huc se recipientium, & cum in priuatis alijs, tum maxime in hospitali domo decumbentibus, humano plerisq. solatio destitutis. Ita nostris a rebus alijs ad horum miserorum leuamen fuit cura omnis, cogitatioq. traducẽda. Neque frustra laboratum. Multi siquidem magna data significatione pietatis, diem suum obiere: multi ab hæresi traducti ad lumen veritatis intuendum. Anglus nobilis, totum se tradere religioni constituerat: sed ingraueſcente morbo, cum, quod conceperat, parere non posset, felicem tamẽ, Dei beneficio, vitæ finem est adeptus. Huius, & duorum aliorum funera, nostrorum opera honorifice curata, magnam Anglorum nobis benenolentiam conciliarunt. Nobilem alterum ex eadẽ gente graui morbo decumbentem, nostri hortationibus, disputationibusq. ita affecerunt, vt a veritate amplectenda non longe abesse videretur. cum ecce tibi homo Caluiniana peste imbutus, a salutis itinere ita transuersum egit, vt miser in illa perfidia moreretur. Quo hic supplicio non dignus iudicetur, qui animum salutis viam ineuntem, repente ad

inte-

interitum retraxit sempiternum ? quis non illum maioribus mactandum cruciatibus censebit ? Sed agnosce Dei miserationem, & quantum ab humanis diuina distent iudicia animaduerte. Qui monita salutis audiebat, male perijt; qui ei perniciem parauit sempiternam, seruatus est. Extincto illo, hic pessimi consilij suasor, graui & ipse corripitur morbo, qui non minus corpus affligebat, quam animum varijs curis cruciabat. Ergo mutatis curis, Sacerdotem nostrum, quem ab altero abegerat, per litteras ad se accersit: docet periculum: orat errantem ouem ne contemnat: se ad satisfactionem esse paratissimum. Docetur fidei sinceræ capita; peccata homo ad illam diem Caluinista expiat; sacrum Christi corpus percipit; totum alterum, nempe ex lupo agnum factum esse diceres. Alte igitur Catholica fide concepta, conualuit; &, vt sunt Diuinæ Bonitatis opera non inchoata, tam admirabilis facta mutatio est, vt spes sit, illi ad impium in amicum facinus digne deplorandum datam esse diem. Neque vero ægroti tantum, sed & validi etiam, ad sexaginta quatuor, ab hæresi reuocati. In ijsq. Angli multi, & pleriq. nobiles, qui ad bellum venerant. Eorum vnus, ita præfracto erat ingenio, ita a Catholicorum, maxime Iesuitarum nomine abhorrens, vt etiam quacumque obuios conuicijs lacesseret. Hic tridui disputatione conuictus, magna cum Catholicæ Ecclesiæ gloria, veram amplexus est religionem. alius septem ab hinc annis, sanctorum exemplis, ac virtutibus in Anglia legendis, voto castitatis se obtrinxit. hic nostrorũ opera in religione instructus, abiectis belli consilijs, Romam nostri instituti amplectendi causſa discessit. Ex ipso etiam prope mortis turbine, hæreticos

ticos quatuor supplicio addictos, nostrorum suasiones, ad Ecclesiam reductos, ab æterno supplicio vindicarunt. Erant ob proditum Turcis Iaurinum, extremo supplicio afficiendi, Comes ab Hardeche, & Perlinus (ita hic nominatur, omni alia nota nudatus) hæreticus vterque. neque enim potuit, nisi ab hæretico tanta perfidia proficisci. Sed duorum molentium eadem mola vnus est absumptus, altero relicto. Comes in sua perfidia, reliqui sibi nihil fecit ad omnem animi interitum: qua fama stetit illius fides apud homines, eadem apud Deum suam esse voluit salutem. Perlinus insigne documentum fuit, & quam pernicioſa sibi sint consilia parentum, filios a religione abducentia; & quam non sit inutile caste aliquando studia coluisse pietatis. Habuit hic Perlinus adolescens in votis nostram nobiscum inire Societatem. mater, vt puerum ab eo consilio auerteret, ipsa suis manibus armis instruxit, ense accinxit, atque ad eam militiam armauit, quæ illi tanto cum Christianæ rei malo, infame attulit exitium. Hic igitur morti addictus, facta rerum omnium iactura, statuit, quod omnium maximum fuit, animi vitam sempiternam incolumem seruare. Nostrum accersit Sacerdotem; sæpiusque peccata confessus, atque Eucharistica sacramento confirmatus, summa pietate, fortiq. animo supplicium subiuit. Amisso tam indigne Iaurino, vna supererat sollicitudo, eaque maxima Comarrhæ defensio. quod vnum præsidium, tanquam vnicum repagulum hostibus obiectum, supereſſet. quo si Turca potiretur, liberum in totam Morauiam, Austriamq. excursum esset habiturus. Sed eam rem multi detrectabant. Aegre tandem vir nobilis inuentus; qui diuina fretus ope, peractaq.

apud

apud nos confessione, propugnaculum susceperit tuendum. assumptisq. secum Tirolensium fortissimis, Turcarum impetus non repressit modo, sed ipsos etiam magnis cladibus affectos, pedem referre coegit. Testabatur idem postea, se non tam viribus & armis, quam piorum precibus, a Christianis tantam belli molem auertisse: atque in gratiarum actionem nostrum templum repetijt, iterumq. sacrosancta mysteria obiuit, & nostrarum precum suffragia expetijt. sed quod ad reliquum bellum pertinet, quando huc deuenimus, qui Pontificias copias sequuti sunt Socij quatuordecim, Capuccini vndecim, huius Collegij hebdomadis aliquot usi hospitio, magna suæ modestiæ, grauitatis, sanctitatis dedere documenta. Ijdem quas in militia vtilitates præbuerint, ne eadem iterentur, omittenda sunt in præsens. Sed dum in castris versantur, omnes duobus exceptis, partim cæli grauitate, partim alijs incommodis morbo correpti, Viennam concesserunt, omnes ea, qua par est, humanitate habiti. Ex ijs fratres duo vita functi sunt, totidemq. Sacerdotes. quorum alter ita afflictus, & exanimis huc venit; vt vita illi tandiu superesse visa sit, quoad intra Collegij septa, sacramentis omnibus munitus, inter suorum manus expiraret. Nam Collegio illatus, statim loquendi facultate destituitur. extremo igitur sacramento perunctus (nam biduo ante se sacro viatico munierat) e corporis custodia breui educitur. Reliqui item Sacris Ecclesiæ mysterijs perceptis, pleno pietatis obitu, se religioso viro dignam vitam duxisse declararunt. Sub idem tempus Sacerdos alius e Collegio Thurocienſi, negotiorum causſa, cum hac Pragam iter faceret, eodem & morbi, & pio mortis genere vitam finiuit. Eadé

carita-

caritatis officia, & duobus Capuccinis præstita, graui morbo implicitis, donec diuina ope, pristinam recepere valetudinem.

Sed præter bellum, aliaq. quæ cum bello sunt coniuncta, sunt alia non indigna, quæ narrentur. Euentum rei hinc funestæ, hinc lætæ declarauit quanti interfit Ecclesiæ præcepta non contemnere. Conficiebantur sulphurea artificialium ignium fomenta, sub quodam vrbis propugnaculo. Versabantur in eo opere Itali septem, cum totidem Germanis. Venerat dicta dies ignibus periclitandis, ea festa dies erat. Itali, priusquam operi manus admouerent, recta se ad nostrum templum conferunt, rei diuinæ de more vt interfint. mittitur, qui Missæ sacrificio intentos, reuocet confestim. persistunt illi nihilominus ad finem sacrificij. Germani interim hæretici, impatientes moræ, rem ipsi sine Italis exequi constituunt. ac, dum illa, quæ opus sunt, expediunt, flamma, qua ad lumen vtebantur, custodita parum caute, in præparatam decidens materiam, momento cuncta corripit, inflammatisq. sulphurei pulueris, quæ ibi erant, vasibus, tanta repente strages, cum horribili fragore consequuta est, vt non modo miseros illos, cunctaq. opera exusta obtriuerit: sed ipsum etiam propugnaculum euertendum fuerit, ni per amplum spiramentum, in sublime apertum, illa se vis ignea in aerem effudisset. Ita Catholicos studium diuinæ rei a certo, præsentiq. interitu vindicauit. Habuit quoque quod contigit adolescenti, non leue ad pietatem incitamentum. versatus hic aliquandiu in nostro gymnasio, cum per vindemiæ tempus, se ad villam recepisset, semiebrius die quodam sub vesperam rustici domum intrare contendit. neque illo magis sobrius

brius rusticus erat. ita dum ei obluctaretur asperius, venitur ad gladios: in ea contentione vulneratur rusticus, qui cum se ferro imparem esse intellexit, ad arma alia sibi promptiora, refugit. Ingentem concitat in iuuenem malorum dæmonum cateruam, aspectu tam horribili; vt, nisi confestim a rustico reuocarentur, terrore ille exanimaretur. non tamē illorum omnino in præsens infestatione liberatus est. horrenda spectra, & obscenæ laruæ subinde hominem terrebant, ita vt duorum mensium spatio, nullam pæne sensserit quietem. Sed nocte quadam ingens in eius cubiculum fedarum multitudo vmbrarum irrupit, ignes ex oculis, naribus, auribusq. exhalantium, atque vna cum formosis mulieribus, comptis ad lasciuiam, choros ducentium, diffusa lux diei lumini æquabat: neque vlla vi precum, aut signo crucis infestas potuit species ab se abigere, quo ille maiore terrore complebatur. putauit se omnino moriturum, si tetra sibi spectra iterum obijcerentur. Ita postridie nostrum acciri iubet Sacerdotem; aberat enim ille non ita longe ab vrbe. facta igitur totius vitæ confessione, omni prorsus infestatione liberatus est.

Scholæ ob bellicos tumultus minorem, quam vnquam antea discipulorum numerum habuerunt. pauciores fuere septingentis, cum nongentorum superioribus annis numerum excederent. non tamen idcirco remissa est discendi cura. Specimen ingenij, atque ad litteras processuum præbuere, aduentu multorum Principum virorum, qui & nostrum gymnasium viserunt, & nostram docendi rationem spectarunt, probaruntq. Exceptus est magno procerum consessu oratione, & dialogo Transluaniæ Principis legatus, sponsaliorum caussa huc missus.

missus. Placuit actio, & actionis argumentum. id fuit Dauidis cum Philistæo pugna. quæ suo euentu felices Sereniſſimi Principis, non minus virtute, quam ætate florentis ex vetere hoste Synamæ Turcarum Baxaa adumbrauit. omen se accipere vniuersa Transiluaniæ nobilitas, magna lætitia significauit. Sed ingraueſcente bello, & rebus Vngaricis iam pæne deploratis, accersitus e Belgio fama ille insignis & bellica laude clariſſimus Carolus Masfeldius, cum primum Viennam appulit, nihil prius habuit, quam vt cõscientiæ maculas apud nos eluеret; & se sacrosancto Euchariſtiæ, alijsq. pietatis præsidijs muniret. Et cum maioris suæ quietis causſa, ad sacrosanctum Christi corpus capiendum, in domeſticum Sacellum seorsim a vulgi strepitu inuitaretur, respondit teſtatum velle se, & cuius sit fidei, & quam religionem propugnandam sumpſerit. Ita ipso die Pentecoſtes in templo palam, sacram Euchariſtiam communicauit. Ingreſſus Collegium appoſito & actionis, & orationis genere salutatus eſt. Gratam sibi oſtendit accidiſſe eam honoris significationem: egregiumq. se noſtræ Societatis Patronum fore profeſſus eſt. Et cum per octauas Corporis Christi solemnis sacrosanctæ Euchariſtiæ supplicatio, e noſtro templo duceretur, vna cum Archiduce Matthia, alijsq. Dynaſtis, & primæ nobilitatis viris magna significatione pietatis proceſſit. Exhibitus eſt Isaacis pueri ad sacrificium oblatio; qua ad lacrymas vsque delectatus eſt. Profectus ad caſtra ipso Viſitationis Virginis die, quo Strigonium cœpit obsidere, P. Prouinciali iterum confeſſus eſt, & diuino cibo recreatus. Ita B. Virginis Vngariæ patronæ auspicijs, hoſtes adhortus, insigni clade affectos prid. non. Auguſt. profligauit.

Sed

Sed quam non firmo præsidio stant humana? Cum iam omnium animi ad spem rerum meliorum, tanto Duce erecti essent, repente in medio victoriæ cursu, morbo correptus extinguitur. Ac cum sibi mortem iam imminere intelligeret, rursus sacramentis omnibus muniri voluit XIX. Cal. Sept. ipso Assumptionis peruigilio, sub vesperam vitæ finem fecit Cadauer Viennam deportatum, nostro templo illatum, quam honorificentissimo funere tumulatum est. Interfuere, præter vniuersum vrbis clerum, magna Procerum, ac Magnatum frequentia: in ijs præcipue Serenissimus Dux Mantuæ, qui etiam funus honorificentissimo comitatu prosequutus est. Exsequiæ multo carminum genere conestatæ. habita de clarissimi herois laudibus concio funebris. quæ ita affecit auditorem; vt explendis clarorum virorum votis iterum, & sæpius fuerit excudenda. Præfectus porro aulæ ipsius, vt suâ, suiq. Principis voluntatem erga nos testatam relinqueret, calicem, & insignem argenteam crucem, aliaq. altaris ornamenta, nostro templo attribuit, perpetuum monumentum pietatis, & excellentis tanti Principis virtutis. Potuisset tam longo præsertim tempore, totum hoc quasi episodium præteriri: sed ad tantæ pietatis memoriam, & Societatis, apud Principes gratiam illustrandam, non visum est inutile hæc commemorasse.

COLLEGIVM PRAGENSE.

E Pragensi Collegio priore anno decessit P. Paulus Vincentius, cuius mors eo fuit acerbior, quod cursu iam peracto studiorũ, & Philosophicæ doctrinæ triennali schola explicata, spem vtilitatum

tum faciebat maximarum. Est ille, si non cruci suffixus, ad similitudinem tamen Christi Domini, quinque vulneribus diu cruciatus. cum ad auertendas sanguinis vomitiones, medicus ei manibus, pedibusq. anastomastica e cãtharidibus emplastra adhibuisset. Ita magno ille pietatis sensu lætabatur, eo se leti genere cõsumi, quo nostræ salutis auctor vitã fudit, cũ pectore intus exulcerato latus Christi vulneratum; manuum, pedumq. venis perforatis, clauorum sacra foramina referret. Et cum desperatis rebus omnibus, Pisnam patrij cæli experiundi caussa missus esset, tabe consumptus IV. Non. Nouemb. sub vesperam migrauit. Elatus est funere honorifico, vrbanis templis omnibus aera pulsantibus; totaq. effusa ciuitate ad exsequias cohonestandas. Conuenit ad sacra non vrbanus modo clerus omnis, sed e propinquis etiam vicis, opidisq. Sacerdotes euocati, quorum humeris de more cõportatus, in templum illatum est: & funebri etiam concione, lacrymante populo, laudatus. Locus sepulchro datus ante aram Principem, vbi non nisi Antistites condi solent. Dedit hoc ciuitas Catholica & suo ciui, & nostro inprimis ordini, cuius est amantissima. Sed Pragæ, præter vsitata, priore anno a varijs hæresibus ad Catholicæ gremium Ecclesiæ reuocati sunt octoginta tres: centum posteriore. Ac præter nonnullos, e prima nobilitate magnæ spei adolescentes, est operæ pretium nonnullorum sigillatim meminisse. Iureconsultus, nobili genere natus, cognita veritate, incredibili studio flagrat, populares suos ad eandem lucem intuendam reuocare: vt ea de re librum etiam conscripserit. Duo præterea concionatores, sexagenario vterque maior, qui promissa canicie, & maie-

ſtate corporis verenda, eo fuere ad virus peſtilentiæ ſpargendum inſtrumenta aptiora. & hæ duæ columnæ e ſynagoga ſathanæ detractæ. Anus nonagenaria, in hunc numerum referenda necne ſit, ambiguum eſt. Sed ſiue Catholica, ſiue hæretica, tot annorum peccata vna confeſſione expiauit. Femina olim hæretica, cum ex Catholico coniuge multa noſtrorum concionibus audita quotidie cognoſceret, ipſum rogauit, vt, quoquo modo poſſet (ægrotabat enim) ſe ad noſtram concionem curaret deportandam. Imponitur currui, audita concione ſanatur: ac non ita multo poſt, facta cõfeſſione peccatorum, Catholicorum cetui adiungitur. Senex octogenario maior, non expers litterarum, toto vitæ tempore in Huſſitarum hæreſi permanſerat, quæ ſcilicet eſt ad curandum difficillima. & hic totius vitæ confeſſione explicata, atque vna ſpecie ſacra hoſtia percepta, ad Eccleſiam eſt aggregatus. Alij morbo caſtigati, conſilium Catholicæ religionis amplectendæ, quod in dies differebant, repræſentare ſunt coacti. Magici libri, & hæreſi infecti nobis comburendi traditi. Eſt præterea in energumeno factum periculum exorciſmorum: ſed irritata, initio præſertim, non fracta dæmonis peruicacia eſt. intellectum tamen, & quanto in humanum genus odio ſit cruenta illa fera, & quanta vis ſacrorum ſit aduerſus tartareas phalanges. proinde non ſit alienũ ad aliorum vſum totius rei ſeriem exponere. Hunc miris modis malus diuexabat, linguam homini interdum ad pectus exerebat, in globum ſæpe totum corpus obuoluebat. Vocati cum ſanctis reliquijs e noſtris duo, hominem offendunt capite manibus inſerto, & menſæ acclinato dormienti ſimilem; vt nullis neque

clamo-

clamoribus, neque vellicationibus excitaretur. Admouentur capiti S. Agnetis, ac sanctorum aliorum reliquiæ, eas confestim manu reijcit; neque patitur sibi admoueri, numquam tamen, vt vel caput tolleret, vel Sacerdotes adspiceret, adduci potuit. Legi cœptum est Euangelium S. Ioannis, tum obliqua facie sensim caput tollit; eoq. vsque se erexit; vt mirabiliter sublimis, a terra ad altitudinem palmi vnius in aere suspenderetur. quo viso territi multi diffugere. os illi interim oculi, totaq. facies horrendum in modum distorquebatur & cum desidens iterum tolleretur, duo eum validi homines, ad terrã deprimere non poterant. Res admirabilis, & raram, ad insolentes harum rerum, fidem habitura: & tamen cum hæc scribenda mihi data sunt, forte Venetus adolescens, nostris curandus Sacerdotibus traditus, similibus omnino, ac magis horrendis agitabatur intẽperijs. atq. hæc quotidie ipsi spectabamus. Reuocati eodem die nostri exorcismis, sacrisq. reliquijs admotis, ita ille quietus, immotusq. mansit, vt spem faceret esse iam incolumem. Quærunt ex eo nostri, Catholicus ne sit, an hæreticus; respondet, fuisse se Catholicum: verum cum ægrotaret in Silesia, coactum nefandas cum Lutheranis execrationes communicare. Nostri igitur ad obeundam in crastinum confessionem adhortantur. Redeunt postridie, hominem offendunt a sensibus alienatum; somnoq ita oppressum, vt nulla ratione posset excitari. Consecratum agnum, & lustralem aquam domesticis relinquunt; earumq. rerum vsum docent, nam erant hæretici. Tertio die reuocantur, paratum inueniunt ad confessionem faciendam. qua peracta, hortantur, vt ad sacram accedat Eucharistiam; facturum pollicetur. Paucis

diebus nocte intempesta, diabolum videt cultro armatum, cædem minitantem, ni sacram agni ceram ab se abijciat. Accurrunt ad clamores domestici: vident hominem brachia iactantem, dimicantium in morem, antagonistam nullum vident. se ille cum diabolo pugnare querebatur. aquam aspergunt benedictã, vt a nostris erant moniti, quiescit infesta dimicatio. Mane vero, clausis foribus, nusquam tota domo reperitur, etsi creditus est a dæmone ablatus, potuit tamen vel præsens familiarium aspectui subduci. quod non semel domi nostræ, Veneto adolescenti contigit. paucis post diebus in eundem locum restituitur. Inde, prauo vtique consilio, in Xenodochium hæreticorũ translatus a domesticis. Ibi cum ageret, a dæmone, qui modo equi, modo hirci specie vtique illi vsitata, appareret, per aerem longe asportatus est, ac sæpius eundem in locum restitutus. alias intra tartara demissus, speciem infernarum pœnarum, nonnulloq. ibi, quos diuersis in regionibus nouisset, spectasse se narrauit. In tanta tandem calamitate constitutum Virgo Catholica, quæ eodem in Xenodochio degebat, aqua Ecclesiastica, pijsq. alijs subsidijs adiuuit. Hæc ille inde emissus nostris postea narrauit; seq. Catholicæ virgini acceptum referre testabatur, quod e vinculis dæmonis, eiusq. cruciatibus euaserit.

Excursiones fuere nonnullæ, P. Paullus, quem extremo hoc anno diem suum obijsse scripsimus, in Baronis cuiusdam ditione, præter confessiones auditas, aliquot a Lutheri impietate reuocauit, alium ibidem graui morbo laborantem (& fuisse creditur apoplexia) benedictione ex forma Ecclesiastica impertiuit, confessione purgauit, cælesti

pane

pane recreauit. Is post duas non amplius horas, eo se morbo leuatum sensit.

Scholæ quo primum die Reuerendissimus Archiepiscopus a consecratione sua collegium inuisit, generosum Antistitem vario scriptionis genere exceperunt soluto, numeris astricto, Græco, Latino. Partheniæ sodalitatis nomen cum in dies antea, tum hoc maxime biennio auctum est. cuius priore anno, in eam se adscribi voluerunt Reuerendissimus Archiepiscopus cum germano fratre, Burgrauius Regni seu Prorex cum coniuge, ac liberis; supremus Regni Prætor item cum coniuge, pluresq. alij proceres ac Barones. Pauperum Collegium octoginta aluit alumnos. Dederunt & ipsi vtroque anno dramata elegantius, quam splendidius, & laudem tulerunt etiam ab ijs, qui in aula versantur, Italis. Nostrum Collegium inuisere viri Principes, Archiepiscopus sæpius, Marchio de Burgan, & Comes Mansfeldius, cum in Vngariam proficisceretur. Is postremis Quadragesimæ diebus, sacris officijs in nostro templo interfuit. ijsdemq. diebus vni e nostris Sacerdotibus confessus, nostro in templo inter confertam multitudinem sacrum Christi corpus communicauit. Et vt euidentiore argumento suam erga nostrum ordinem testaretur voluntatem; Praga discedens, cum ante nostras ædes præteueheretur, iussit agmen subsistere. Patreq. Rectore euocato, se, totamq. belli molem nostrorum precibus accurate commendauit. Moschi item oratores ad Cæsarem venere, eorum Popus (sunt enim & ipsi, vt Ruteni cum Græca Ecclesia coniuncti) sponte ad nos venit; Romanos ritus spectauit, probauitq. Lutheranos vero, Hussitas, hæreticosq. reliquos vehementer exsecratus est. aiebat se optare, atque

etiam sperare, Principem suum, suamq. Ecclesiam opera Cæsareæ maiestatis cum Romana coniunctũ iri. Neque vero Principes viri, ac Dynastæ, quam priuati, ceteraq. nobilitas nostri amantiores sese præbuere: quod illi cum omni officiorum genere declararunt, tum, vt alia multa omittam, Patres Romam ad generalem conuentum proficiscentes, & viatico iuuerunt, & faustis comprecationibus, atque omnibus iucundissimæ familiaritatis officijs ita sunt prosequuti, vt pæne ex illorum amplexibus in Italiam mitti viderentur. Nec leue fuit argumentum bonorum in nos beneuolentiæ, in insigni nobis illata contumelia vindicanda. Petulans quidam Lutheranus, quo œstro percitus incertum, venit ad collegium. Quærit de ianitore, ecquid illic Iesuitæ habeant, & an ipse quoque Iesuita sit? Id cum cognosset, violenter inuolat in hominem, & miserum, imbecillumq. senem a ianua facile deturbat; conuicijs pugnisq. male accipit; ac denique totum laceraſſet, nisi qui tum forte ad collegium venerant, non sine magna contentione prohibuissent. Nostri rem patientia, & silentio texere: viri nobiles ad Archiepiscopum, Archiepiscopus ad summum Cameræ præsidem detulit. Præses iniurioſum illum in carcerem compingit, graui illi irrogata multa, cuius parte, cum deprecatores illenos adhibuisset, paullo post leuatus est. Sed quantum in ea causſa tum Præsidis, tum ciuitatis in nos beneuolentiã eluxerit; ne longior sim, referre supersedeo. Nec minora hominum studia in nos eleemosinæ quoque declararunt; quibus & rei nostræ familiaris angustiæ subleuatæ sunt, & templorum factus auctior ornatus Et quidem Italico Sacello cui necdum suprema manus est imposita, peripetas-

ripetaſmata aris, parietibusq. ornandis, & pecuniam illuſtrium matronarum liberalitas ſuppeditauit. Nec cetera duo templa S. Saluatoris Boemorum, & S. Clementis Germanorum ſua donaria deſiderarunt.

COLLEGIVM Olomucienſe.

OLomucienſe Collegium ſocios duos cælo conciliauit, P. Hurtadum exacta ætate ſenem, afflictaq. valetudine, & ad vſque extremum tempus, etiam morbo impeditum, inſtituti ſeruantiſſimum. longa fecit ætas, & rerum vſus, vt multos, diuq. in Societate exhauſerit labores. & Ioannem Rullum, operis externi adiutorem. Hic illa ipſa hora, qua ſocij ſua vota, ſuiq. ipſorum obligationem iterabant, Deo ipſe ſuum reddidit ſpiritum. Fuit vterq. obedientiæ cultor, & in proximos inſigni caritate. E concionibus, præter quotidiana, illi præcipue collecti fructus. Cum praua blaſphemandi conſuetudo in vulgus paſſim irrepſiſſet, admoniti pro concione, magiſtratus duorum pœna reliquos fecere cautiores. Hæreticus iam grandi natu, cum de imagine Chriſti crucì ſuffixi, eiuſq. perpetua memoria noſtrum ad concionem multa diſputantem audiſſet, ita probauit, quæ dicebantur, ita ad verum, interioremq. animi ſenſum tranſmiſit; vt, qui ante omnem ſacrarum vſum imaginum damnaſſet, artificem confeſtim adierit; & Chriſti e cruce pendentis effigiem ſibi compararuerit. Alius, cum vitia nonnulla noſter in concione damnaret vehementius, ita permotus eſt, vt a

concione, ad eum, tanquam graui vulnere saucius ad medicum, accurreret, animi malo medicinam quærens. factaq. ex eo tempore vitæ mutatione, eam sibi legitimo matrimonio copulauit, cum qua longo tempore illegitimo toro consueuerat. Ab vsurpatione calicis, ad vnius tantum speciei vsum biennio toto reuocati quatuor & viginti supra centum: a varijs hæresibus, ad recte sentiendum, septuaginta quatuor. Et vt intelligatur, quantam omnia corrumpentium nequitia mentibus hominum caliginem offuderit; & obtrusis illorum mendacio falsis opinionibus, stare adhuc hæresim. Saxo Lutheri erroribus imbutus, nostrum de Christo serio & ex intimo sensu concionantem vehementer admiratus est. & eam rem sibi nouam, contraq. opinionem accidisse familiaribus narrauit. quippe sibi ante persuasum fuisse, Papistas Christo relicto, tantum de sanctis, eorumq. meritis disputare. Væ aliti valle natæ infelici: tantum valet infusa mendacio opinio, vt nationes totas sæpe occupet, ac ne vni quidem veniat in mentem, oculos aduertere ad veritatis lucem intuendam. Hic veritate indagata, paucis post diebus ad nos venit; dedoctusq. quas falso præceperat opiniones, vna cum illis, etiam hæreses abiecit; rituq. Catholico confessus, Catholicam fidem est professus. Hussita multis annis praui dogmatis concionator, defecerat ad Lutheranos: apud quos aliquandiu non obscuri fuit nominis. Sed ministris (vt hinc appareat inconstantia, quasi liceat in rebus fidei idem quod in Ludo) ad Caluinum sensim inclinantibus, non facile assentiebatur. Ergo illi hominem a suo consortio excludunt. ea excommunicatio illi saluti fuit. Dum soli vertendi caussa iter faceret (vide

vagos

vagos euangeliſtas & venales) in hominem incidit Catholicum ; qui quod auditor fuerat in ſcholis noſtris, ab eo, poſt habitum de fidei capitibus ſermonem, in eam ſententiam adducitur, vt noſtros adeat. a quibus edoctus tandem veritatem, Catholicam fidem, quam antea tandiu impugnarat, eſt amplexus. Multi præterea ex remotis hæreticorum regionibus, cognoſcendæ ſtudio veritatis, huc venerunt; edoctiq. a noſtris, prauas opiniones abiecerunt. Multi præterea, qui antea fluctuabant, in fide confirmati ; nunc certi in ſententia malunt patrijs bonis, quam à ſemel ſuſcepto fidei propoſito decedere.

Scholæ quoque ſuos fructus dederunt. Vtriuſque ſodalicij B. Virginis alumni egregium pietatis ſtudium, tum alias, tum maxime præ ſe tulerunt, cum ter vtroque anno quadragenis horis ſupplicatum eſt. Pueri tenera ætate, a grandibus aſſiduitate orandi, & contentione ſuperari ſe paſſi non ſunt. Fuereq. qui totas prope noctes, ne tempus orandi eos præteriret, inſomnes duxerint. Fuit, qui dum viueret peculiari ſtudio, cultuq. Diuinam matrem proſequutus, eius aſpectu ſub mortis horam recrearetur. Alij duo, hæreticis nati parentibus, & opulentis, ab ipſis in patriam reuocabantur, vt Caluiniano magiſtro corrumpendi traderentur. hi in exſilio, ſummaq. rerum omnium indigentia, vitam trahere, quam in patria abundare, cum diſpendio, aut periculo religionis maluerunt. Domi parentum alij, diebus ieiunio ſacris, ſolo pane vitam ſuſtentarunt, ne vetitis cibis Eccleſiæ leges violarent. Eſt præterea tertia Sodalitas S. Annæ dedicata, ea conſtat ex eo genere ciuium, qui ſcholas non frequentant. Hi præter cetera, maximo apparatu,

pretio-

pretiosa supellectili, & concentu musico, diem Patronæ suæ festum celebrant, confluente ad sacra tota pæne ciuitate.

Est in hac ora celebris peregrinatio ad templum S. Annæ, vetusta religione venerandum. Huc per id tempus, quo anniuersario cursu, eius redit festus dies, magna vndiq. confluit hominum multitudo. Missi eo Sacerdotes tres, magnum rei Christianæ promouendæ momentum attulerunt, concionibus, monitionibus, catechesibus, & audiendis pœnitentibus. Et, quoniam ex ijs multi, in dynastijs hæreticorum versabantur, pia illi quamuis mente prædi-ti, summa tamen rerum ignoratione tenebantur. vnus e nostris eos per horas aliquot ita erudijt, salutaribusq. præceptis, ad confessionem rite obeundam instruxit; vt insitam genti a natura probitatem, facile perspiceres. multi enim cum docerentur, tenere lachrymas non poterant: certatim vero ad confessionem magno numero accurrebant.

Collegij pars superioribus annis ædificari cœpta, priore horum duorum anno, ad culmen perducta, oportunum iam cubiculis locum, & amenum longe prospectum incolentibus præbebit. Tum domus coempta conuictorum habitationi: ruinæq. alterius cum illa continentis, de quibus biennio ante scriptum est, ita eodem anno resartæ, & accomodatæ, vt breui speremus, commodam habituras mansionem.

SEDES

SEDES VRATISLAVIENSIS.

PErgunt in Vratislauiensi Sede, nostri nutantes in fide confirmare; errantes ad viam reuocare; &, vt in sterili solo pro paucitate operarum, non maligne respondet labori fructus. Quatuor & viginti ab erroribus retulere sese ad Ecclesiam; aliquot etiam ad vnius speciei vsurpationem. Insignis fuit, & ad hominum sermonem in primis celebris, Ciuis Vratislauiensis eruditione, & doctrina clarissimi, & in scholis etiam remotioribus magni nominis, ad Ecclesiam Catholicam reconciliatio; magnosq. fecit vrbe tota motus animorum: vt per id tempus, nihil aliud per hominum ora versaretur. Is porro ardore tanto veram amplexus est religionem; vt duos germanos fratres ad eandem magna contentione cohortetur: cogitetq. in posterũ etiam scriptis libris ciues suos ad eandem amplectendam veritatem cohortari. Nec desunt alij clari viri, doctrina, & litteris conspicui, qui tanti viri exemplo, bene iam de Catholica religione cogitent; nostrorum familiaritate delectentur. ita spes est, breui hos quoque ad Catholicorum castra transituros. Eorum porro, qui resipuerunt, tentata varie constantia est. Vratislauiensi adolescenti amici, & familiares, honestum matrimonium cum hæretica coniuge, & honorem in ciuitate magni faciendum deferebant, vt illum a susceptâ fide reuocarent. sed maluit horum omnium commodorum iacturam facere, quam fidei periculum adire. Paribus pollicitationibus adolescens alter item Vratislauiensis appetitus, pari constantia, & fide suorum ciuium elusit artem. hunc Senatus ampli sti-

pendij

pendij emolumento, & magnorum spe ornamentorum ad se alliciebat; sed maluit patriæ beneficio, quam veræ fidei lumine priuari. Alij duo tenera adhuc ætate, e nostris scholis huc aliunde ab hæreticis parentibus missi, vt magistrorum, ac condiscipulorum consuetudine corrupti, ab optima fidei doctrina, qua a nostris erant imbuti, deficerent, tam se præbent in sana doctrina constantes, vt non vereantur de religione id ætatis pueri, cum præcipuis scholiarchis decertare, ita, vt, Iesuitarum arte infatuatam teneram ætatem, cum dedecore dicere non dubitent. Inuisunt de more nostri etiam ægrotos. Infantem comitiali morbo periculose laborantem inuenerunt, matri suadent, peregrinationé voueat ad B. Eduigis sepulchrum. voto concepto infans conualescit, ita vt nunquam deinde eo morbo laborarit. Euocatus e nostris vnus a nobili Dynasta, eius confessionem excepit, hominemq. perpulit, vt collapsam pæne in sua ditione Catholicam religionem, restituendam susciperet. estq. spes, magnum in eo Silesiæ tractu, Catholicam fidem incrementum habituram.

DOMVS PROBATIONIS Brunensis.

MAgnum argumentum Brunenses suppeditarunt, magna siquidem ipsis multarum exercendarum virtutum materia suppeditauit. Ingens militum colluuies, ex hæreticorum finibus, Saxoniæ maxime, ad bellum confluentium, campum sane latum licentiæ aperuit. Sed Diuinæ Prouidentiæ argumenta non obscura perspeximus. nam & socijs humi-

humiliandi sui occasio non defuit; &, diuina eos protegente cura, in Dei Patrocinio sperare didicerunt. duplex familia veteranorum, & tironum, & copiosa vtraque, duorum annorum spatio, magnam laborum & ærumnarum segetem messuerunt. Sed e magno rerum aceruo ea, quæ interim vtroque anno contigerunt, seligemus acuratius. Anno priore e tironibus vixit vnus; ceteris omnibus superstitibus. De veteranis igitur prius. Hi priore anno sedecim fuere; tirones duo supra quadraginta. Illorum opera rediere ad Ecclesiam triginta septem: & erit operæ pretium nonnullorum causssam agnoscere. Anabaptista multos annos in Laruata illa vixerat hypocrisi. is contra fucatam illam sanctimoniam piaculum commiserat. Ergo illi dicta dies, damnatoq. inobedientiæ; aliorum cetu interdicitur, atque purgandæ contumaciæ, ad agendam pœnitentiam (vt ipsi loquuntur) in hoc mundo peruerso, exsilium indicitur. Diceres, ab impuris nebulonibus restitutam Paradisum: tanto supercilio quasi Adamum inde eiecerint, mundi castigant prauitatem. Vide deformes simios: romphea ignea ad complendam fabulam desiderabatur. Seuerum anathema misero saluti fuit. Nam, vt cæcus ille euangelicus a Iudæis extra synagogam eiectus, a Christo exceptus est: sic, re cognita, exsilio hic multatus, ad pœnitentiam in Ecclesia meliore agẽdam, nostrorum opera traductus est. Alius cuius sectæ fuerit, nihil ad rem, Catholicus certe fuisse non videtur. Hic anabaptistarum simulata sanctimonia, & mellito orationis veneno illectus, statuit patria, domo, rebusq. omnibus relictis, vna cum coniuge & liberis, clam ad ridiculam stulte beatorum Paradisum se transferre; & simplicem illam

falla-

fallaciæ plenam ſimulationem conſectari. Non æquo id ferebat animo coniunx Lutherana: ſed cõiugalis non inſcia neceſſitatis, & amore tracta filiorum (quatuor enim erant) maritum ſequuta, obtemperauit ſubinuita. Ei tamen perſuaſit, ne ſe iterum baptizari pateretur. Sed breui cognita ſanctorum Paradiſi incolarum vanitate, quippe qui pia multa ſancteq. profiterentur, præſtarent nihil, niſi nugas, miſerum cœpit conſilij pœnitere. Sed homo aduena, in ignota regione, & inter ignotos, cũ imbecilla familiola, quo ſe verteret, non habebat. Coniux virago ei conſilium expediuit. Audierat colonos, qui in ditione Ieſuitarum eſſent, benigne, beneuoleq. tractari, noctu ad propinquum vicum noſtræ ditionis venit, ibi facile & domum, & condicionem ſibi, & marito impetrat: edoctaq. fidei noſtræ myſteria, facta confeſſione peccatorum, vna cum marito, & filijs, Eccleſiæ Catholicæ adiuncta eſt. Ab vſurpando ſub vtraque ſpecie ſacramento, ſexaginta ſeptem reuocati; multi a diaboli vexatione liberati. Furtum commiſerat, qui dæmonem horribili ſpecie ſæpe obuium habebat, ſe vt vel laqueo ſtrangularet, vel in puteum deijceret inſtigantem. is confeſſione peccatorum omni prorſus moleſtia liberatus eſt. Alij adhibita agni conſecrati cera multis infeſtationibus, illuſionibusq. erepti. quo factum eſt, vt melioris vitæ conſilium ſuſceperint.

E ſcholis præter vſitata, ille præcipuus exſtitit fructus, ex ijs, qui eas frequentant, matronam vnus non modo ad Catholicam fidem, & noſtrorum concionem; ſed ad ſacramentorum quoque vſum, & tam ardens pietatis ſtudium ſuſcipiendum adduxit; vt nihil tanti ſit, quod ipſam ab eo retardare,

& nostri templi consuetudine possit abducere. cuius rei caussa mariti etiam hæretici, iniurias, verbera ad sanguinis effusionem, & domicilij seiunctionem inuicto perfert animo. Adolescens hæretica in gente natus, & in hæresi educatus, Brunam studiorum caussa concessit: assiduaq ei sollicitudo imminebat, ne nostrorum consuetudine delenitus, sensim a concepta, quam ipse veram putabat, religione, ad nostram, quam horrebat, inclinaret. Ergo, vt aduersus tam salutare periculum se muniret, triennio toto nouas semper difficultates, aduersus fidei fundamenta proponendo, nostros fatigabat. Quod falso tuendo dogmati putauit esse propugnaculum, ea machina fuit validissima ad euertendum. nam cum omnibus eius quæstionibus, dubitationibusq. abunde satisfieret, non potuit perspectæ veritati refragari, ita non ille tantum ad Catholicos traductus, sed illius opera pater quoque familias, apud quem puerorum agebat institutorem, vna cum cõiuge, cum Ecclesia reconciliati. Parthenia Sodalitas non ita multo ante ex Italis, Germanis, & Morauis instituta, hoc anno procella aliqua, sed non magna, est aliquantum agitata. Solent vrbis huius opifices certo anni tempore coire, & suas querelas Senatui proponere. conspirauere ex eo genere aduersus eam hæretici, maleuoliq. vt eam pet Senatum varijs criminationibus pessundarent. nouam, eamq. perniciosam esse in ciuitate, excitatam Sodalitatem B. Virginis fraterculorum (sic enim per ludibrium nominabant) paci publicæ aduersariam: tranquillo ciuitatis statui inimicam; communi iuri, ac libertati, atque adeo ipsi Cæsareæ Maiestati insidiosam. In hæc verba imperiti conceperant criminationem; rati ea in iudicio, apud peritos tam

facile

facile admissam iri, quam ipsi stulte ea excogitarant. Cum ad rei disceptationem ventum est, qui omnia in verborum vento collocarant, non tam fortiter ea viris sapientibus probarunt, quam audacter in conuicio iactauerant. Erant in Senatu Illustrissimus & Reuerendissimus Olomucensis Episcopus, Magnificus D. Subcamerarius, & ipsius Cæsareæ Maiestatis, per totam Morauiam Vicarius, multiq. generosissimi Barones. Decreuit igitur Senatus: Non videri tanti sceleris esse posse suspicionem. Hoc sapienti responso, molestæ repressa plebeculæ audacia, & latrantium obstructa canum ora. Tantumq. abfuit, vt illo motu quateretur sodalitas, vt maiore firmitate eius fixa sit auctoritas, & splendore maiore nomen illustratum. Multi enim hoc anno, & pleriq. aliarum familiarum Religiosi viri, ei nomen dederunt. Ipse Reuerendus P. Prior Ordinis Prædicatorum, cum suæ familiæ fratribus omnibus, in eam adscribi voluerunt. Tres præterea magnæ auctoritatis Senatores cooptati: vt multos interim præteream, qui horum exemplo permoti idem fecerunt. octo alii præterea, vt & ipsi adlegerentur, partim sub vtraque specie cómunionem, partim etiam hæresim deseruerunt. Ex ipso Sodalicio vir primarius, anniuersariæ expiationi animarum die sacra, quinquaginta pauperibus Catholicis conuiuium dedit, rem antea in hac vrbe inauditam, ipse cum coniuge, & aliquot e familiaribus, & e Societate Sacerdotibus duobus, nouum spectaculum admirante, & probante ciuitate, mensæ ministrarunt. epulatos singulos pecunia donatos dimisit. Magna præterea tum his, tum aliis rebus est de nostrorum probitate, & doctrina inter Catholicos opinio; vt multi, ac non infimæ condi-

cionis

cionis viri, e remotis locis, tum confessionis, tum consilij causſa nos adeant. Neque apud Catholicos modo, sed etiam apud hæreticos, primæ præsertim nobilitatis viros, magno in honore est Societatis nomen. Vir illustri loco natus Fridericus a Zerotyn, toti huic Prouinciæ a Cæsarea Maiestate Capitaneus datus, quamuis a catholica religione alienus, postridie tamen, quam ei delatus est honos, P. Rectorem accersit; eiq. aperte testatus est, se antea priuatum fuisse; nec potuisse pro voto suam erga Societatem beneuolentiam declarare: nunc publica sibi imposita persona, maiorem eius rei sibi facultatem fore: seq. ad nos omnem operam, studium, beneuolentiam, officiaq. omnia deferre. Is, præter singularem humanitatem, qua vir generosus præditus est, in publico etiam Baronum, ac nobilium conuiuio, ample Societatem collaudauit: nobis enim religiosæ disciplinæ. simplicis modestiq. cultus, victusq. & in populis iuuentuteq. docenda industriæ singularis, clarum testimonium dedit. Sed vt propicios nobiles habuimus; ita deprauatam plebem sæpe infestam experti sumus, occasione præsertim militum, qui e Saxonia venerunt. Hi furentes secum concionatores adduxerunt. quibus cum data esset concio ad deprauatam multitudinem, & vmbratilia etiam, sacrilegaq. quæ ipsi appellant sacramenta corruptæ plebi obtulissent, tantum populi furorem excitarunt, militibus audaciam facientibus; vt parocho, Iesuitis, Catholicis omnibus, templis domibusq. Catholicorum, excidium minarentur. Ita lætos Paschæ dies per summam trepidationem, occlusis foribus, ac bene munitis cum Christi discipulis Catholici peregere. Non tamen in tanta rerum perturbatio-

ne, tanta fuit circa templum noſtrum ſolitudo; vt non mille & trecentis ipſo Paſchæ die cæleſtis panis diſtribueretur. Sed etſi viderentur inſanire contra nos, nulli tamen adhuc, diuino nos protegente patrocinio, violenta manus illata. Sacerdotem noſtrum extra vrbem milites tres circumſteterunt, illum vt veſtibus, & pecunia leuarent; ſicas, pugioneſq. intentarunt; ſed perſpecta, vt veriſimile eſt, inanitate prædæ, non vltra minas ſæuierunt. Miles alius vltra modum conuicijs, maledictis, & confictis etiam mendacijs, probiſq. Eccleſiaſtici, ac religioſi, noſtri maxime ordinis, viros impetebat. is monitus a commilitone, vt tam execrandis parceret vocibus, in homines præſertim innocentes, alioqui non longe abfuturam iram vindicem, eo incitatior, furioſiorq. exarſit; eoſq. maxime petulantia linguæ laceſſiuit, quos noſtros colonos, noſtræq. ſciret eſſe ditionis. Paruiſſet ille monenti ſapienter: non vtiq. in ſuam perniciem verum feciſſet contubernalis vaticinium. paucis enim diebus, inter comedendum, gutture, vnde tot impia probra profudiſſet, obſtructo, ſuffocatus eſt. longum eſſet quoties licentiæ, ac maledicentiæ ludibrio fuimus, referre: quoties nobis, ædibuſq. noſtris arma, vis, iniuriæ intentatæ. Coniurauerant è fece ciuitatis, aſſumpto militum ornatu, viliſſima capita circiter trecenta, vt militum ſpecie domum noſtram diriperent: & iam intra primam ianuam irruperant, areãq. priorem occupauerant; foreſq interioris ianuæ moliri cogitabant. Sed, vt erat temere collecta multitudo, nullo duce, communi conſilio nullo, pleriq. antequam certum cõſilium firmarent, dilapſi ſunt. eoſq. qui reliqui fuere, vnus e Parthenijs adoleſcentulis, Deo illi mentem

tem ſuggerente, ita arte ſuadendi, & blandiloqua oratione illorum animos demulſit, vt cunctis diſceſſum perſuaſerit. Alio tempore, eodem perciti furore, ex hæreticis multi armati templum noſtrum intrarunt. Id cum Parthenij reſciſſent, veriti, ne quam illi iniuriam adorirentur, & ipſi ſumptis armis, ad propulſandam accurrerunt magno numero. &, vt eſt ira præceps, in iniuria præſertim, & furore, periculum fuit, ne cruenta aliqua rixa oriretur. Sed, re cognita, Senatus mature edixit, vtrique arma ponerent: quoſdam etiam vetuerunt domeſticis liminibus excedere. Sed in hoc genere nouicij, vt eſt materia id genus iniurijs opportunior, omnium maxime exagitati. Primum enim ab indigenis hæreticis vexati, probris, conuicijs, contumelijs affecti; lapidibus etiam, non ſemel appetiti; latrunculi, nebulonum ſceleſtiſſimi nonnumquam appellati: minæ etiam detrahendi ſpolia intentatæ: & ſpoliati fortaſſe fuiſſent, niſi publicus locus ijs fuiſſet adiumento. Ad diuinam implorandam opem contra Turcas, inſtitutũ erat, vt certo diei tempore ſignum, è ſacra turri, æris ſono publice daretur; indictumq. vt eo audito, omnes ſe, quocunque quiſque loco eſſet, ad precandum in genua deijcerent. Noſtri dum religioſe, quod iubentur faciunt, Catholicos quidem ad imitationem permouerunt: hæreticos vero ita irritarunt, vt alios ad terram protruderent; in luto alios proluerent, pedibus conterere, ferro violare conarentur. vt minimum probra, conuiciaq. mitiſſimi veræ virtutis cultores pertulerunt: nebulones, hypocritæ, phariſæi, Iebuſæi ſæpe audierunt, aliaq. turpia, vt ſi nominentur, honos ſit auribus præfandus. In itinere, dum in vicos exeunt, ad rudes

pietate informandos, hæc maxime perpetiebantur. vsque eo, vt etiam impudicarum mulierculaarum, quas vel hæretici immitterent: vel ipsæ sua procacitate itinera ijs interciperent, petulantiam, atque adeo effrontem audaciam inuicta modestia pertulerint. Maiora adhuc a militibus, periculosioraq. ludibria tulerunt. Sclopi ad latera ijs applíciti, igneſq. fomiti admoti; ſtricti gladij, ictus intentati. Tres aliquando temulenti eos a catechiſmo redeuntes circunſtetere; tot tantiſq. ludibrijs diuexarunt; vt multi, partim vicem miſerati, partim per laſciuiam riſum captantes, ad ſpectaculum accurrerint. Tirones Vulcanijs tecti armis, nulla re alia, ſe, niſi forti patientia, & immota manſuetudine vindicare. Tandem diu, multumq. deluſi, ſuperuentu militis honeſtioris dimittuntur. Hæc omnia, pro ſua pietate, pijs precibus, ac votis compenſare nouicij nituntur. Sed, vt aliquid de ijs ordine dicamus, quod Chriſto Deo grates agantur: videtur hæc probationis domus, cum Romana poſſe comparari; tot in ea diuerſarum nationum alumni inſtituuntur, Itali, Galli, Germani, Bauari, Auſtriaci, Saxones, Boemi, Hungari, Moraui, Croati, Poloni. Quocirca illud eſt hoc anno inſtitutum, vt omnes linguam Boemicam condiſcant. quo in ſtudio ita profectum eſt, vt omnes commode iam cum Boemis & Morauis agere poſſint. Fuere quoque vocationes aliquorum non vulgares. Quidam concepto Societatis voto intepuerat; iamq. omnino inde animum abduxerat. hunc tandem Diuina clementia reſpexit, flagelliſq. ſemel & iterum caſtigatus, ad ſe reduxit. ex alto enim admodum tecto præceps lapſus, venit ad extrema; vt a medicis deſtituto ſpes ſalutis nulla ſupereſſet. tunc voto re-

ligionis

ligionis repetito, pristinam recepit valetudinem. Sed periculo perfunctus, oblitus voti, iterum ex alta arbore, tam graui casu decidit; vt omni sensu, membrorumq. vsu destitutus, mensem totum iacuerit: sorbitiunculisq. tantũ tenuissimis ægre animam tenuerit. Cum primum melius habere cœpit, diuina monita intelligens, non vltra differendum ratus, nouo se voti vinculo adstrinxit, receptaq. valetudine fidem Deo datam liberauit. Certus alter animi, nobili se alicui religioni addicere, Parochum consuluit, cuinam potissimum se applicaret. prætulit ille omnibus Societatem; adiecitq. sperare se, si animarum cura liberetur, se quoque eiusdem consilij socium futurum. Hoc consilio, & sacra obita synaxi, tantum eius rei se ardorem concepisse animo persensit; vt non nisi factus voti compos, conquieuerit. Alius parentibus natus Lutheranis, nostrorum opera, ad fidei lumen, & sacramentorum vsum adductus, parentum sæuitiam in se eo vsque irritauit, vt ipsum aliquandiu domi custodierint. Inde suscepto Societatis consilio, non ante admittendus visus est, quam venia a parentibus extorta. Arduum omnino negotium, & inexplicabile adolescenti videbatur: nihil tamen omisit, quo parentes in suam traheret sententiam. Contra pater eo furore exarsit; vt conuicijs, verberibusq. male multatum adolescentem, negarit inposterum se filij loco habiturum. Sed vbi sensit sæuitiam nihil prodesse, leniora remedia respiciens, blanda oratione filium instituit hortari, ne se patre relicto, cum pestilentissimis hominibus (sic enim nos appellabat) se perditum iret, qui antequam pauci decurrant anni, instar nebulæ euanescent; vt ne vestigium quidem, aut vmbra superet.

Cedendum in præsens existimauit adolescens patris asperitati: ita dilatis votis, studio retento, Catholicorum consuetudine anno toto prohibetur. cum interim subinde, clam parentibus, ad nos, atque ad sacrosanctam synaxim, tanquam ad firmã suæ vocationis ancoram rediret. sed crescente in dies studio, vt longioris moræ tolleret pericula, statuit clam domo paterna aufugere. non tamen tam caute sua consilia administrauit, vt patris falleret sagacitatem. Quare acerbior, quam ante in iuuenem coortus, pugnis colaphisq. ita ei faciem fedauit, vt sanguis efflueret; ac per schalas raptatum, afflictumq. humo, pedibus immaniter calcarit, post in tetrum locũ intrusum, asperiora iussit exspectare. At iuuenis inde euadens, saltuq. ex edito loco se demittens, cruenta adhuc facie, sine capitis tegmento, sine amiculo, discincta veste, qualem furor patris dimiserat, per mediam vrbem, ad domum nostram accurrit. exceptus a nostris, placatis per P. Rectorem parentibus redditur. clementer habitus, congressu tamen nostrorum arcetur. Mittitur haud ita multo post ad mercatorem Hussitam, in ciuitatem eadem labe infectam, vt in tanta sentina impietatis, religionis studium tabesceret. Inde tandem Pragam profugit; superatisq. multis parentum contentionibus, Praga huc tandum ad tirocinium transmittitur. In patriam alius ad res suas componendas, antequam admitteretur, profectus, ab insidioso itineris duce, in collem densis obsitum arboribus deducitur. ibi perfidus comes, miserum adoritur ligone, caputq. illi diffidisset, nisi ille ictũ prouidens, celeritate, nequissimi latronis scelus anteuertisset. inde per deuia syluarũ, cursu se præcipitans,

cipitans, post longam fugam, eo euasit, vnde a rusticis in viam reuocatus est.

Hactenus prioris anni res. posteriore tres e viuis excessere: veterani omnes: ex ijs duo magno incitamento reliquis fuere ad perseuerandum: tanto vterque pietatis sensu perfundebatur, tanto studio diuinæ bonitati gratias agebant, quod in Societate morerentur. Eorum alter Sacerdos tertium probationis annum peragebat. Tertius item Sacerdos Olomucienſi conuictorum Collegio præfuerat. Hic molesta, difficiliq. manuum pedumq. contractione conflictatus, cum opem nullam medicorum ars afferret; Brunam, si forte cæli mutatio prodesset, missus est; sed nec plus opis in aere, quam in medicina fuit. quin etiam in dies ingraueſcens; lapsus in hydropem, III. Idus Decembr. consumptus, admirabile in tanta cruciatuum acerbitate reliquit exéplum patientiæ. Ad Orthodoxam rediere fidem octo supra quadraginta. Et quamquam hæreticorum animi a Catholicorum ritibus abhorrent: in suis tamen difficultatibus, cum frustra suorum piaculis tentatis, suis opibus diffidunt, ad nos adeunt, nostra remedia exquirunt. Mulier ob superstitionem in puerperio commissam a dæmone torquebatur; nostrorum opem per virum pium expetijt. hæc primo quidem nostrorum pietatem irridere; oblatas sanctorum reliquias prope ioculariter oscylari, siue dæmone illam, tamquam energumenam agitante, siue hæresum vitio Catholica piacula ipsa contemneret: deinde cum saniorem mentem induisset, ad se redijt; confessioneq. peccatorum, omni prorsus molestia liberata est. Eius rei fama diuulgata, e multis Morauiæ partibus id genus ægro-

ti, ad nos tamquam ad certos mali depulsores, adducebantur.

Scholæ hoc anno petentibus Reuerendissimo Episcopo, Subcamerario Cæsareo Moraviæ, ac Senatu vniuerso, auctæ sunt Humanitatis schola; cum ante grammaticæ fines non excederent. Ex ijs, qui scholas frequentant, Sodalitas B. Virginis hoc anno cum Romana Sodalitate est coniuncta. Sodalitatem alteram ciuium cum Sodalium numerus auctior, & studium maius pietatis auxit; tum magnopere sua promouit auctoritate Illustrissimus Præfectus Sigismundus à Dietrichstain. is, præter cetera, calicem cum patena Sodalitati donauit. Illustrissimus vero eius frater, qui biennio antequam hæc Romæ scriberentur Cardinalis, ac non multo post Olomuciensis Episcopus factus erat, numerum auxit sodalium; eiusq. sumptibus in aula scholarum prælta circum sedilia parietibus applicita exstructa sunt. Porro ex pecunia à reliquis sodalibus collecta, empta peristromata, & nostri templi, & sodalitatis vsui.

Nunc veniamus ad nouicios. Eorum nonnulli morbo admoniti, vocationis consilium, quod procrastinabant, repræsentarunt. Quidam centum amplius leucas longe à patria studiorũ caussa missus, consilio nostræ Societatis susceptο, ea de re parentes fecit per litteras certiores. mater primum dolore victa incidit in apoplexiam. Iratus pater adolescentem domum reuocat, & simul matris casum per litteras exponit. Est ille quidem matris commiseratione nonnihil emollitus, cunctatur tamen, & in sententia persistit. Pater moræ impatiens, & filij desiderio commotus, homo grandi

ætate,

ætate, tantum iter suscipere non dubitat, filium vt domum reducat vna secum. sed Deo meliorē caussam iuuante, felicior in ea disceptatione filius patrem in suam sententiam pertraxit; vt non modo manus dederit, sed filium etiam ad tirocinium deduxerit. Alius miserando luctu suorum factus est voti compos. alebatur hic item in studijs extra patriam; certioresq. sui consilij parentes fecerat. Pater non ipse solum graui iracundia in filium excanduit, sed duas etiam eius sorores, & fratrem; cuius impendijs adolescens alebatur, in eum incitauit: vt negaret ille, adolescenti in posterum ne teruncium quidem se missurum. Itaque in angustum redigebantur consilia adolescentis. Et vero optandum fuit, vt non tanta mercede ea difficultate solueretur. malum aliud & repentinum, & dolendum ei malo subuenit. Parens, sorores, & frater adolescentis, qui eius consilijs aduersabantur, eodem pæne tempore morbo extinguuntur. Adolescens & si luctu suorum præpeditus, impedimentis tamen, quibus tenebatur, liberatus, ad sua capessenda vota euolauit. Diu Societatis vocationem animo versarat alius: post cœpit ad religionem aliam inclinare animus. in ea cogitatione grauem incidit in morbum. quo liberatus ambigebat adhuc, vtro se verteret. Sed omnem ambiguitatem spiritales commentationes sustulere, animūq. certa in sententia firmarūt. itaque eam, quam primo cogitauit Societatem, est amplexus. Sigismundum Poloniæ Regem sequebatur alius nauigantem in Sueciam, relicto litterarum studio, cum subita coorta tempestate, aulæ fallacias deserere, & vitam corrigere, si eo periculo liberetur, constituit. factus voti compos, sese ad Societatem adiunxit. Neque vero fortes in capessendo,

do, segnes autem, aut oscitantes in gerendo negotio se præbuerunt. Quendam mater, centum leucarum itinere, misso certo homine cum litteris & pecunia domum inuitabat: se dolore, & graui morbo implicitam veniſſe ad extrema: proinde antequam plane obiret, venire maturaret. addidit ad fidem faciendam, aureum anulum, quo soleret ipsa obsignare litteras, epistola inclusum. Ad hæc respondit cordatus adolescens. Matrem, si eo morbi grauitate redacta esset, quo tempore nuncij mitterentur; cum illuc ipse veniſſet, aut morbi periculum iam euasisse; aut morbi grauitate iampridem exstinctam se reperturum fuisse. exstinctæ nullo futurum leuamento; superstiti plus hic in cetu tot religiosorum, quam præsentem præcibus ad Deum profuturum. Ita artem prudentia elusit. anulum pecuniamq. ne vno quidem teruncio adempto, domum remisit. Ad catechismum explicandum cum exeunt in pagos, etsi tempora sunt valde perturbata, tamen opinione maior numerus concurrit. sexcenti, ac septingenti fere numerati sunt. Fauent operi viri primarij; etsi hæretici nonnumquam per lasciuiam ludentes, sunt molesti. sed aut nostrorum lenitate, & patientia vincuntur, aut magistratuum interdum minis, magnorumq. virorum auctoritate. cohibentur. Signum crucis edocti rustici quam vim habeat, in postibus domorũ insculpere, & ad omnes vsus adhibere instituerunt. Deuotionem in B. Virginem illorum animis accurati catechistæ impressere; vsum aquæ lustralis in domos induxere: sacrarum imaginum cultum, venerationemq. docuere. ita in suis domibus pagani, nostrorum hortatu, ante eas quotidie statas preces persoluunt. Iam quibus probris, contumelijsq. a militi-

militibus, dum eunt, redeuntq boni tirones afficiantur, res superioris anni satis superq. declararunt. hoc posteriore anno nihilo meliores factæ sunt. Sed & his, & alijs asperitatibus tantum abest, vt concepta animo virtus cedat, vt aduersus iniurias fortiores, hanc sui ipsorum victoriæ occasionem egregij Christi tirones libentibus animis excipiant.

COLLEGIVM Græcense.

QVatuor Græcij humanæ debitum naturæ persoluerunt: priore anno duo; Theologiæ studiosus alter, alter domesticorum muniorum administer: totidem posteriore, adiutor alter, & P. Emericus Forslerus, qui multis annis huic, & Viennensi præfuit Collegio: deuexa iam ætate senex, & membrorum vsu destitutus iam triennio diutius. Serenissimæ Principi Mariæ multis annis fuerat a confessionibus, quam operam ipsa sollicitudine, & omni beneuolentiæ significatione, in patris ægritudine mirifice compensauit. nam & sæpe inuisit ægrotantem, & suis ipsa manibus esculenta apparauit.

E scholis alumni Pontificij aliquot Philosophia, ac Theologia instructi in messem dominicam missi sunt. duo sacerdotes ex eo numero Theologiæ Baccalaurei creati. Ex alijs egregij iuuenes non pauci in Philosophia Magisterij, & Baccalaureatus honore decorati. Ex omni iuuentute, decem priore anno lecti ad societatem: sed ob temporum difficultatem, tres interim ad tirocinium admissi. Habitæ de more publicæ disputationes, aliæq. actiones litterariæ. Ad eas hæreticorum doctores aliquando

quando inuitauimus: sed suæ caussæ diffisi, neque ipsi venire ad nos, neque nostris auditoribus ad se euntibus, disputandi locum esse voluerunt; imperitiæ notam ipsi sibi impingentes. Quo fit, vt ex eorum schola non pauci egregij, & nobiles adolescentes, nostros reuereantur, & suspiciant; subindeq. aliqui, eorum relicto grege, ad nostrum gymnasium se referant; multiq. id se facturos dictitent, nisi eorum, a quibus reguntur, imperio prohiberentur.

Hæresim ad octoginta reliquerunt: ex ijs homo sexagenarius, perspecta veritate, factaq. confessione peccatorum, cum lacrymis testatus est, nunquam se toto tam longæ vitæ tempore, tantam animo iucunditatem percepisse. Alius permultis annis sæpe sollicitatus, nunquam tamen ab obstinata mente deduci potuit. Is nunc aberrantes alios ad ea pascua, ad nos adducit, quæ sibi senfit esse salutaria. Triginta natus annos altus, nullam neque sectam, neque religionem sequutus, omnino sine Deo vixerat, is nunc non modo Christiano homine dignam, sed magna etiam cura, studioq. pietatis vitam agit. Hæretici concionatores videntur aliquid de sua iam acerbitate in dicendo remisisse. Vnus enim præter cæteros perfrictæ frontis, & veneno linguæ magis sæuus, vir omnino subdolus, & pestilens, & ad imperitam plebem obducendam valde promptus, sæpius e superiore loco, a nostris confutatus, non obstinatus modo in sua hebetudine, sed, quasi œstro percitus, contra veritatem coortus, semper furiosior, venalem continere linguam iussus est, & palam verba facere prohibitus.

De Sereniſſimorum Principum benignitate erga nos, de Sereniſſimæ Principis Mariæ pietate, ac liberali-

beralitate, tum in decumbentes in nosochomiis, tum in egenos mendicato victitantes, eadem dici possunt, quæ quadriennij superioris annalibus ad verbum continentur. His litteris illa etiam addi possunt, ad ipsorum testandam pietatem. Cum ad auertendam iram numinis in Turcam publice, & quadragenis horis in templis, & agmine ad diuersas Ecclesias traducto sæpius supplicaretur, ipsi tanta pietate ac modestia interfuerunt, vt si nulla eminentia a ceteris distarent. quæ res incredibile dictu est, quanto intus dolore hæreticos exurat. Ijdem cum peregrinationem ad B. Virginis in Cellis (templum præcipuæ religionis est) suscepissent, de nostris aliquos vna secum proficisci voluerunt. Eadem Sereniſſima mater, cum graui morbo decumberet, duos e nostris ad eandem B. Virginis ædem destinauit; qui votiuum, ac tanta Principe dignum munus offerrent, & ex itinere magnam egentibus pecuniam distribuerent. Sereniſſimi filij commodam domum nostris ædibus continentem, in quam bona scholarum transferatur pars, nobis attribuerunt. Eorumdemq. liberalitate, peramplæ ædes Collegio propinquæ, in quas conuictores e nostro Collegio transferantur; magno nostrorum commodo, sex florenorum millibus coemptæ.

In iuuentute illa quæ extra domesticam nostram disciplinam litteris à nobis instituitur, quos ad domesticorum & conuictorum differentiam, externòs nominamus, instituta posteriore anno Sodalitas est, B. Virgini dicata. In eam Sereniſſimus Archidux Ferdinandus adscribi voluit. Ex ea, reliquaq. iuuentute, decem in Societatem cooptati, & nouiciorum numero adscripti. Itaque abunde videtur iis satisfactum, quorum vota superiore anno dilata

esse

esse scriptum est. Sacerdos Archiducem Ferdinandum sequutus in castra, aliquos ad fidem Catholicam traduxit: spesq. erat, alios & eos e procerum numero, bene erga Romanam Ecclesiam affectos, certis amotis impedimentis, breui Catholicos futuros. nobilis in ijsdem castris adolescens, sacerdotis nostri consuetudine, & colloquijs fidem Catholicam iam animo conceperat: differebat reditum tamen ad Ecclesiam, quasi ea res parum, aut nihil ad salutem pertineret. ita perspectam probabat veritatem, vt illam amplecti cunctaretur. incidit in grauem morbum, vehementiq. æstu febrium afflictabatur: ne hoc quidem verbere sit incitatior. Sed vt sæpe ijs accidit, quos dæmon suo versat arbitratu, quem perspecta, & probata veritas non mouit; spectra horrifica exterruerunt. Atro colore hominem, cornuta fronte præsentibus amicis videt vigilans, cum homine alio, prolixa barba, quales incedere solent in his locis prædicantes, sermonem habere: territus horribili specie confestim IESVM MARIAM inclamat. Sane vt Iudæus ille apud S. Gregorium audiuit: Vas vacuum, sed signatum: ita aduersus hunc responderi potuisset: Ignotus miles, sed nota tessera. Ad eam vocem tetra imagine soluta, speciem videre sibi visus est Angelorum assistentium; quorum aspectu recreatus, accersito Patre, vitæ totius instituit confessionem, sacramentaq. percepit.

Excursiones multæ susceptæ, solito cum fructu, & quorumdam hæreticorum ad Ecclesiam reuocatione. A sacri calicis vsu, varijs in locis plus mille reuocati. Sed noua quodam modo fuit in Vngariam superiorem, cum Serenissimo Archiduce Maximiliano. Cashoujæ, quæ prouinciæ metropolis est,

est, viginti ipsis annis nulla Catholica concio audita, nullæ Catholicæ cerimoniæ conspectæ. Ad aduentum Sereniſſimi Maximiliani ſacra ædes a fundamentis excitata, plus mille hominum capax. In ea ſacra ritu Catholico, & concio celebrata. Curatum est etiam, vt ſacrum ægrotis viaticum, publica reuerentia, per vias deferatur, res multis iam annis in ea ciuitate obſoleta. Excitati vbique videntur hominum animi, vt aliquod Societatis expetant Collegium. Alia præterea miſſio, ſi minus ad euertendam hæreſim, at certe ad caritatis fructum, & egentium vtilitatem fuit inſignis. Reuertebantur ab Vngarico bello Italicæ copiæ Pontificiæ. ad eas per ſuos fines honorifice deducendas, Ferdinandus Archidux viros nobiles miſit. qui etiã darent operam, vt vili pretio large commeatus copia ſuppeteret. Et quoniam magnum morbidorum numerum in exercitu eſſe cognouerat, magnum carrorum numerum (quadringentrij fuerunt) deportandis ægrotis militibus obuiam miſit. res Catholico, & generoſo Principe, & Auſtriaco genere digniſſima. Et, vt tota res Chriſtiana caritate, & ægrotantium commodo adminiſtraretur, duos e Societate ei negotio præfecit. Adiecit etiã magnam pecuniæ ſummam, qua leuaretur egentium inopia. Noſtri, corporum valetudinem ita tuendam ſuſceperunt, vt non minore diligentia animos curarent. Sed miſeranda erat rerum facies, ægrotantium ingens numerus, non minus fame, quam morbo pereuntium: pleriq. ſeminudi. ita opportuna fuit pecunia ab Auſtriaco ſuppeditata. cibo, eſurie conſumpti, recreati: indumenta nudis tegendis comparata: ad agmen ſequendum languidi curribus impoſiti: &, quoniam morbi grauitate

tate aliqui, currumq. quaſſatione deficiebant, imbecilliores tantiſper ſubſiſtere iuſſi, donec curatione, & die vi morbi lenita, itineri committere ſe tuto poſſent. Nobiles aliquot morbo iuxta, & egeſtate conflictatos, cuidam Epiſcopo commendarunt. a quo benigne habiti, humaniterq. tractati, recepta valetudine, pecunia etiam inſtructi in Italiam remiſſi ſunt. His laboribus acceſſit & illa difficultas. nam licet itinera magna cibariorum copia abundarent: in hoſpitijs tamen eſculenta ægrotantibus opportuna, illa præſertim quibus Itali ſunt aſſueti, deſiderabantur. huic quoque incommodo noſtri, Italicæ conſuetudinis non ignari, ſubuenere. valetudinarijsq. præſcripſerunt, quemadmodum cibaria ægrotis ad Italiæ conſuetudinem parare opus eſſet. Quæ res tanta beneuolentia noſtris militum animos deuinxere; vt quaſcumque inter eos obortas controuerſias, vel vnico verbo ipſi ſedarent; quocumque venirent, ſumma reuerentia, & gratia ab omnibus exciperentur. Gratiæ noſtris coram vniuerſo exercitu à Præfectis actæ: in primis vero Sereniſſimo Archiduci, datis litteris ad Summum Præfectum Aldobrandinum, & Apoſtolicum Nuncium Græcij adhuc agentes, tanta liberalitate dignæ.

CRVNLOVIENSE Collegium.

CRunlouiæ, nonnulla licet ſecunda afflet aura, aduerſo tamen flumine nauigatur: vt non niſi contenta ſtrenuorum nautarum remigatione, Catholicæ religionis curſus prouehatur. Mirum quæ machi-

machinæ ad conatus impediendos ab hæreticis, quorum robustior est factio, adhibeantur, Catholicos modis omnibus diuexant; eorum coniuges hæreticas, vt viros apud magistratum hæreticum falsis criminibus accusent, sollicitant. Vicissim hæretici Catholicas vexant vxores, vsque eo, vt aliquæ thori maluerint, quam fidei facere diuortium. aliæ durissima fortitudine, quotidianis colaphis callum obduxerunt. alijs occasio oblata declarandi sibi certius esse vitæ, quam fidei facere iacturam. Earum vnam Lutheranus coniux precibus primum, ac blandicijs; tum iurgijs, ac terroribus, ad hæresim perducere conatus; ad extremum pugnis in eam, ac verberibus desæuijt: vt vibicibus fedata facies, seu potius ornatior, quam gemmis, inuiolatam fidem testaretur. ferrum tandem furens in eam strinxit, admouitq. pectori: sed intellexit vitam se illi prius, quam fidem erepturum. re igitur desperata, veniam ei dedit, quamcunque vellet, fidem coleret. Nec minus si possint, crudeliter sæuiant in nos. Duo e nostris discipulis, quod hæretico ministro prætereunti honorem minime habuissent, tanquam rei maiestatis ab astantibus tracti ad tribunal, eorum alter Catholico patre natus, adesse ad spectaculum parente iusso, palam virgis cæsus est: alter in octauum diem in tenebricosum carcerem compactus. Hi nempe cum apostolis in sua triumpharunt ignominia. Sed quo maiores in veræ fidei alumnos tẽpestates excitantur; eo altiores eorum mentibus constantia radices agit. Senator de nobis, ac de ciuitate vniuersa benemeritus, sententiam rogatus in Senatu, cum homini hæretico nescio quid negandum esse censuisset, ita aduersæ factionis animos incitauit contra se, vt, quo nomine ignoro, pe-

riculum ei capitis crearent ; ac nisi suam viri graues auctoritatem interposuissent, innocentem hominem facili negotio oppressissent. Nulli sumptui parcunt, vt nostra consilia, nostri conatus omnes infringantur : Templum à fundamentis exstruere cœperunt; vt sit quasi altare contra altare. Aperto ludo magistros conduxerunt : inanes spargunt rumores, libros etiam criminationum plenos edunt contra nos. gymnasij nostri discipulos à nostra consuetudine auertere, & ad se transferre omni ope conantur. & vero nonnullos abduxerunt. Sed Diuina Prouidentia eorum numerum expleuit abundantius. nam aliunde nobis, & plures, & nobiles superuenerunt : tum ij, qui dilapsi erant, paullatim ad nos se retulere. Ex eorum numero, septennis puer, tanta constantia fuit, vt ad nos reuersus, ne virgis quidem auocari iterum potuerit. Quare non mirum, non eam esse, quæ deberet circa nos frequentiam. Sed tamen e pusillo grege, multi fetus, & e maligna segete boni fructus colliguntur. Scholæ quidem posteriore anno duos egregie indolis, priore quinque nobis dederunt adolescentes.

Summus omnium ardor ad litteras ; &, vt cetera taceam, ita cum Græcis Latina coniungunt; vt non facile iudices, vtrum promptius, ac melius Latine, an Græce loquantur, & scribant. statas habent vtriusque exercitationis vicissitudines; mensibusq. singulis Rhetores ac poetæ vtriusque scriptionis præscripta pensa persoluunt. Neque magis litterarum, quam pudoris, ac pietatis feruent studio. Videre est quod doleas, pueros nobiles, qui à nobis instituuntur, cum circa Paschæ ferias à parentibus hæreticis domum reuocantur, angi animo miserios, ac lacrymabundos à nobis auelli ; quod sciant se ad

execran-

execranda eorum dierum mysteria adactum iri. Sed quanto vniuersa hæc iuuentus ceteris pietate anteit; tanto his etiam præstant, qui B. Virginis sodalitati sunt adscripti; vt non iam Parthenij Sodales, sed flos ex alijs sodalitatibus delibatus, aut etiam Religiosorum cetus, à vulgi consortio seiunctorum videatur. ieiuniorum, ciliciorum, flagellationum, chaumaniarum vsus familiaris: mitto quæ cum ceteris sunt communia. illud sibi præcipuum studium sumpserunt: alios vt à vitijs ad studia traducant pietatis: ad festorum dierum seruandam sanctitatem adhortentur; rudes instruant; precandi studium, commissaq. recognoscendi rationem doceant; sacramentorum vsum suadeant; blasphemos castigent; concilient diffidentes; solentur mæstos: eleemosina denique egentes subleuent. Neque harum rerum studio tenentur tantum, quæ honestam habent speciem pietatis; sed earum quoque, quæ auersam & ingratam. res aduersas, & odiosas æquo ferunt animo. conuicia, contumelias, vexationes, etiam verbera, pietatis tuendæ caussa, contemnunt. Atque hi scholarum fructus,

Quid ministeria cetera proficiunt? ægre nauem contento remigio subeuntem promouent; vt quæ ceteris in locis tanquam communia omittuntur, hic tanquam singularia non commemoranda, sed enumeranda sint. A varijs hæresibus abstracti aliqui, etsi non ita multi. Concubinæ septem priore anno legitimo matrimonio coniunctæ: posteriore octo contracto matrimonio ex alto ceno scelerum extractæ. Et, vt veluti pauperes, pecus numeremus, qui confessionem rite obierunt, priore anno ter mille trecenti sexaginta: posteriore quadringenti sexaginta nouem, supra tria millia numerati sunt.

ita sensim propellitur nauis, etsi vndis in aduersum repropellentibus. Reuerendissimus Archiepiscopus, cum confirmationis sacramentum nostro in templo contulisset, septingentos omnino eo sacro caractere signauit: fuereq. in ijs, qui quinquaginta, sexaginta, & septuaginta annos nati essent. quæ res, etsi difficilem, ac lentum, progressum tamen aliquem testatur. Traducta quoque est per vrbem, magno apparatu, die Christi corpori dicato, sacra pompa, magna securitate, nullo perturbationũ motu. Vnus tamen petulantior occepit instrepere; sed præsto fuit Senatorij ordinis, qui sua auctoritate, hominem compressit; impactoq. colapho linguæ retudit procaciam. exhibitus dialogus religioni diei accomodatus. ingens numerus variorum carminum, ænigmatum, emblematum, aliorumq. argumentorum explicatus: noua res in vrbe hac, & admiranda rerum varietate, & picturæ amenitate, & delectationem attulit, & laudem retulit. ita inter secunda & aduersa contrarijs vsque fluctibus agitamur. Si viueret Illustrissimus Fundator noster, meliorem cursum res tenerent. Nam etsi frater Illustrissimus opum omnium hæres, omnibus nos humanitatis officijs complectitur: negotium tamen religionis, ne sibi aduersari videatur, non est, quod speremus, nisi Deus ei meliorem mentem dederit, ab ipso promoueri. Adiere tamen aliquando hominem, salutandi caussa nostri discipuli; magnam ex ea re percepit voluptatem, admiratus adolescentium loquendi alacritatem; nostramq. instituendæ iuuentutis rationem, industriamq. laudauit. Nec tamen quicquid adhuc in religione promouenda ponitur operæ, pænitendum est. Si quidem milites Bœmi ad bellum contra Turcas profecturi, si minus om-

nes,

nes, bona certe pars, facta confessione peccatorum, expiarunt animum: gratisq. animis acceperunt, donari se agni consecrati imaginibus: Fuere & excursionum non contemnendi fructus. E multis agrorum parecijs, sublatus abusus intolerandus. Consueuerant rustici Catholici (tanta est inscitia) non alia vti confessione, quam turmatim multi, cõcepta verba coram Sacerdote palam pronunciare; quibus se generatim accusarent, nullo certi criminis nomine prolato; & vna absolutionis forma semel pronunciata, simul omnes dimittebantur. Dedocti errorem, doctiq. tam ipsi quam parochi veram confessionis rationem: & illi se ad sacramentum rite obeundum compararunt: & hi se posthac maiore cura suo munere functuros promiserunt.

COLLEGIVM Thurocienſe.

THurocienſi Collegio peropportunus accidit P. Laurentij Madij Visitatoris aduentus. qui, cum iucunda superiorum temporum, quibus huic Prouinciæ præfuit, memoria, incredibili voluptate omnes affecit; tum maxime singulari humanitate, ac morum suauitate iratum nobis animum Comitis Reuai mitigauit. Is enim admiratione tantæ virtutis, mira suauitate, ac modestia temperatæ, cœpit hominem suspicere; atque illius amore contumacem in Societatem animum sensim deponere. Sed & antea sæpius, & initio maxime huius biennij, nostro nomini fuit admodum infensus. Nam vt omittatur superioris anni, de Thurocienſi Præpositura controuersia, de qua litteris proximis scri-

ptum est; nunquam destitit comitijs nobis negotium facessere. nam octo comitatus in suam sententiam pertraxit, vt Regno pelleremur. Sua præterea perfecit auctoritate, ne nobilium vicinorum liberi scholas nostras frequentarent. Ad hæc incommoda etiam illud accessit, quod siue ab illo, siue ab alijs nobis infestis, incertum (artificium certe olet eandem officinam) eorum animi, qui nostræ ditionis sunt, ad defectionem sollicitati sunt; ne annuum, quod debent, vectigal nobis pensitarent. eoq. perpulsi, vt nos in comitijs Regni generalibus, tyrannidis, & iniustæ exactionis accusarent. caussa apud iudices nobis parum opportunos in discrimé adducebatur. sed fauit nostro iuri Diuina prouidentia, tum Imperatoria Maiestas nos molestia liberauit. Edixit enim, vt quicquid antea per auream Belæ Regis bullam vassalli, tributi nomine, quotannis Præposituræ soluere iuberentur, nobis eo nomine soluerent. alioqui grauiora eos incommoda adituros. Sed hæc quodam modo ferri potuerunt. illud vero cum extrema pernicie, & ignominia coniunctum; de quo etiam insequentis anni litteris scribendum fuit. Graue & infame iudicij periculum nobis intentauit. Nam cum superiore anno Lutheranus parochus domi suæ intempesta nocte a latronibus interfectus esset, eiusq. pecunia direpta; eius cædis homines Societatis IESV, in suspicionem vocauit; eiusq. rei nomine omnes de Societate, quorum potuit nomen expiscari, etiam R. P. N. Generalis. & eorum, quorum editis libris nomen est illustre, Roberti Bellarminij, & aliorum quantumuis absentium, quasi Syllanæ proscriptionis tabula proposita, ad caussam dicendam vocauit. Videatur hæc ridenda comminatio Vngaricaru m

rum rerum imperitis. Regni enim lege cædis rei citati ad iudicium, proscriptionis pœna proposita, sistere se coram ad iudicium præsentes debent, non vadem, aut procuratorẽ alium submittere. Id quod etiam in causis Maiestatis seruatur. Venere ad iudicium, qui præsentes fuerunt; suntq. omni periculo liberati: in absentes lata sententia, vt proscriberentur: proscripti fuissent proximo iudicio, nisi Diuina Prouidentia, amicorum fauor, & nostrorum hominum mansuetudo, nobis adiuméto fuisset. Detulit enim Comes condicionem, sibi non iniquam, vt si de telonij iure, in vno e nostris opidis constituti, sibi cederemus, se actionem illam non persequuturum. Et vero id telonium ad arcem Blatnizam, cuius Rauaiana familia nunc est hæres, olim pertinuit: sed Præposito Thurocienſi hypothecæ nomine addictum fuisse, antiqua Comitis priuilegia testantur. Fuit Rauaianis, & cum Rege olim, & proxime cum Collegio controuersia constituta. Nos in tali articulo oppressi, ac ne litigiosorum nomen subiremus, quod impensa pecunia e nobis redimendum fuit, illo ipso nos infamis iudicij periculum redimere coacti sumus. Ille hac præda contentus, proscriptionis remisit actioni. nota tamen inusta nostro nomini, penitus deleta non dum erat; & compositione potius & mercede, quam aut caussa, aut innocentia, iudicio liberati videri poteramus. Sed huic quoque malo subuenit Diuina Prouidentia. Et quoniam hæc quinquennio serius, quam debuerunt Romæ præpostere scribebantur; quemadmodum omni criminis suspicione liberati sumus, insequentis anni litteræ continent. Ex eo tempore Comes, quasi satiata iam ira, accedente præsertim P. Visitatoris comitate, factus nobis placatior,

exceptus est in Collegio dialogo, tum ipsi, tum ceteris spectatoribus viris nobilibus non iniucundo, & Græca, & Latina oratione. Mirifice nobis ea res vicinorum animos conciliauit; vt qui antea se opponerent, ne liberi in disciplinam nobis traderentur, nunc vltro suos offerant. Comes certe in dies placatior, magna cum omnium admiratione nos, nostraq. tuetur: & nobis iam amicus, & dici, & haberi vult. Affirmant illius domestici, nunquam eum esse tranquillo animo, aut lætitiam vultu præ se ferre, nisi cum egit aliquid nobiscum. Hanc illi perpetuam a Deo dari mentem est optandum. At si amisso telonio Collegij prouentus imminuti sunt; aliunde tamen damnum ex parte compensatum, nouo prædio, atque ædificij parte nostris vsibus accomodata accedentibus.

Scholæ priore anno secundo maxime cursu, ad vtrunque studium, & pietatis, & doctrinæ proue-hebantur: cum capto Iaurino, quasi subito fulmine percussi, discipuli omnes disiecti, dissipatiq. sunt. Conuictores, alumniq. cum lacrymis a nobis digressi, in suas quique sedes rediere. nonnulli tamen precibus extorserunt, sibi vt liceret eandem nobiscum aleam subire. Ex quo quanta fuerit illius iuuentutis probitas, quam modesta & non grauis disciplina, aperte intelligitur. Neque erit alienum, in hanc sententiam illud referre. Vir primarius ad bellum proficiscens, huc ex itinere diuertit, Collegij inspiciundi caussa. Quæsiuit ex vno e conuictoribus, fortasse sibi noto, ecquid ipsi placeret ea disciplina? Ingenue respondit: partim sibi placere, partim displicere. Placere quidem, quod optime doctrina, & moribus adolescentes instituantur, displicere vero, quod nunquam a contubernio, nunquam

quam a Præfecti latere discedere; nihil denique vnquam, ad libitum, facere libertas sit. Atqui hoc ipsum est, respondit ille, quod ego filio meo quæro. statuitq. cum primum a bello redijsset, eum in eam tradere disciplinam. Sed hæc priore anno.

Posteriore, quamuis periculo nondum depulso, maiore tamen frequentia discipuli rediere. Quantopere vero in tanto tumultu, in studia incumbant; cum quotidianis exercitationibus, tum maxime illo tempore declararunt, cum Sereniſſimi Transiluani sponsa, vna cum matre hac iter faceret. vtranque enim vario carmine ornarunt.

De Vassallorum pietate, litteris alijs est scriptum. Illud huius temporis proprium. Qui ad bellum profecti sunt, ij sacramentorum præsidio se muniuerunt. in castris conceptam domi pietatem retinuerunt; vt nunquam, cum potestas esset, Missæ sacrificium ommitterent. & constat Diuinam Prouidétiam illorum aspexisse pietatem. Siquidem ex alijs, multis interfectis, e nostris tantum quatuor desiderati sunt: exiguus numerus, si cum ceteris conferatur: ceteri incolumes domum rediere, cum tamen hosti sæpius obijcerentur. Cozacij tuendis Polonicis finibus, ab incursione Tartarorum præpositi, militum genus rapinis, & excursionibus, quam bellicis factionibus illustrius, cum hac iter facerent ad bellum Turcicum, Deo gratias agebant, quod magnam Vngariæ partem emensis, templa tandem Catholica intrandi, & Catholicos spectandi ritus potestas esset. Eorum multi ad confessionem, & sacram mensam accessere; minusq. damni nostris prædijs intulere, quam feciſſent, quod ea esse scirent in Catholicorum potestate: a nostrisq. colonis hoc nomine iniuria abstinuerunt, quod & Catholici

tholici, & noſtræ eſſent ditionis. ita vnde minime rebamur, armatorum in nos humanitatem experti ſumus.

Inter haſce varias rerum viciſſitudines nos, noſtraq. omnia hoc biennio verſati ſumus. Sed incredibile eſt in nos hæreticorum odium: vt illis etiam, qui noſtra opera ad fidem veniunt, infeſti ſint. Virum nobilem hoc nomine in concionibus, in circulis, in conuiuijs multis maledictis proſciderunt, pecora illi furto abegerunt: neque abeſt ſuſpicio, vita functum, illorum inſidijs veneno extinctum eſſe. Noſtrorum tamen infractus labor, & ſtudium nunquam deſiſtit, & fallacias confeſſionis Auguſtanæ confutare, & veritatem Catholicam aſſerere. Excurritur ad diuerſa loca, ad nobiles, qui nos ſubinde euocant, & depellendis inſcitiæ tenebris, confutandis hæreſibus, emendandis, tollendiſq. vitijs, dæmonum infeſtationibus ſedandis, ſacramentorum, ſacrarum reliquiarum, conſecrati agni, atque aquæ luſtralis remedio, magnæ ſæpe meſſes in horreum Domini coguntur. Deo Laus.

MISSIONES COLLEGII Thurocienſis.

SElliæ, & alijs circa locis, duo verſati Sacerdotes, aliquot ab hæreſi abduxerunt: hæreticorum libros combuſſerunt: adoleſcentem aquæ benedictæ vſu, a dæmonum terroribus liberarunt.

In caſtra ad Strigonium miſſus Sacerdos multum Societatis nomen illuſtrauit. verſabatur cum ciſdanubianæ Vngariæ Prorege Nicolao Palfio. Et cum abſente eo, quo Prorex vtebatur ad concionem,

nem, hic eius loco productus esset, vt orationem aggressus est, omnium in se animos summa admiratione conuertit. Erant summi viri permagno numero, tum Ecclesiastici, tum sæculares. quorum eo maior fuit admiratio, quod ea Sacerdos esset, & ætate, & oris, totiusq. corporis habitudine, vt non longe à pueritiæ annis abesse videretur. quo magis verebantur viri Principes, qui externam speciem intuebantur, intus animum non videbant; ne cum aliquo rei catholicæ pudore, non satis digne rei magnitudini responderet. sed metum omnem soluit prima dicentis oratio. tantam enim grauitatem, sapientiamq. ad extremam vsque concionem præ se tulit; vt per Vngariam omnem, eius, & adolescentiæ, & virtutis fama funderetur. Viri Principes non modo eum libenter audiebant, sed etiam de rebus serijs, & ad conscientiam pertinentibus cum eo communicabant. Vir primarius egregie catholicus, & miles generosus, Valentinus Balassius, cum ei in oppugnatione Strigonij ænea pila vtrumque pedem traiecisset; ex eoq. vulnere sibi moriendum esse intelligeret, eum sibi adhibuit Sacerdotem; illiusq. prudentiæ, ac fidei, ad extremũ vsque spiritum, se totum regendum permisit. Filium octennem, quem vnicum habuit, scriptis litteris, Sereniſſimo Principi Mathiæ commendauit: petijtq. daret operam, vt octennium totum Societatis disciplina instituetur. has litteras Principi reddendas non alij, quam huic Sacerdoti dare voluit, adiecto etiam elogio honoris; quod ipsum, & natura, & vitæ instituto veracem esse sciret.

Slechensis Missio, ob Catholicorum Sacerdotum paucitatem continuata est. nouella enim arua nostro satu catholica segete concepta, cultura, desti-

tuenda

tuenda non fuerunt. Et sunt, pro captu gentis, in religione constantes; quantumuis assiduis hæreticorum vexationibus lacessantur. Auditis in Ecclesia rationibus, egregie os obstruunt aduersarijs, sed obruuntur multitudine, si quando ad pagos alios se conferunt: nec tamen indefensam caussam relinquunt. neque verentur, si quando res ferat, etiam verbera defendendæ veritatis caussa subire. Aliqui suarum rerum caussa, longe commigrarunt; hos sacramentorum caussa non piget longo itinere subinde patriam repetere.

Silniza vicus septem milliarijs distat a Collegio. Huc recepto ex Turcis Philecho præsidio vicino,& mortuo parocho, missus Sacerdos populum ad Ecclesiam Catholicã, atque ad sacramenta sub vnius tantum panis specie vsurpanda reuocauit. His accessere Poloni quinque: quorum vnus summo loco natus, Silnizam ea tantum de caussa concessit, vt esset potestas sacramenta, ritu catholico, communicandi. Delata est in proximum Castellum Eucharistia ad nobilem Polonum, & extrema illi vnctio administrata. Vsus benedicendi satis, aquæ, herbis, & cibarijs, iam ab annis viginti quinque magna seniorum voluptate reuocatus: restituta Ecclesiæ ieiunia: esus escæ prohibitæ sublatus. Traducta per vias corporis Christi sacra supplicatio, maioresq. per agros Litaniæ die festo S. Marci tanto interuallo repetitæ, frementibus e cathedris ministris. In magna agrorum siccitate, producta cum inuocatione cælestium supplicatione, subito largus imber impetratus. Demum Selliæ, ac Silnizæ parochis catholicis datis, ad collegium se nostri receperunt.

Stropchouiæ opido Vngariæ, in confinijs Russiæ, ac Poloniæ, & tribus alijs in vicis adiacentibus, per

nostrum

noſtrum Sacerdotem, & Catholica fides, & ritus catholici ijdem, qui Silnizæ reſtituti ſunt. in id maxime incumbente viro primario Stephano Petheo. Hic antea cum fratribus Viennæ à noſtris inſtitutus erat; vehementerq. & cum lacrymis huic noſtro Sacerdoti à parente recens ad Fidem traducto commendatus. Eiectus eſt Parochus Lutheranus: ludi magiſter obſtinatior hæſit aliquandiu: poſtmodum Catholicæ Eccleſiæ ritibus offenſus, ſponte ſolum vertit: cui Catholicus adoleſcens, in Rethoricis à noſtris inſtitutus, e Lublinenſi Collegio accitus, ſuffectus eſt. Hunc longæui ſenes memores adhuc antiquorum rituum, qui nunc longo interuallo repetuntur, magna perfunduntur voluptate. prodeſtq. illorum teſtimonium, cum præſertim meliora tum fuiſſe tempora teſtantur, ad alios ad Catholicum gregem reuocandos. Et quanquam magno ſtudio ritus catholici excepti celebrentur: fieri tamen non potuit, quin aliquæ fermenti veteris reliquiæ, roborata tot annorum negligentia, fraudi fuerint aliquibus. Deceſſerat nullo adhibito ſacramento mater familias quædam. hæc Eccleſiaſtica ſepultura eſt prohibita. mirum, quantum torporis hæc animaduerſio reliquis excuſſerit. Itaque certatim diebus feſtis ad Eccleſiam conueniunt, ne ſacrarum rerum contemptores habeantur; ac poſt mortem ſimili ignominia afficiantur. Videre erat ſenes, debilitatos, cæcos, claudos, mutuo ſeſe inuicem adiuuantes, ad templum properare, ne Eccleſiaſticis conuentibus deeſſent. Ipſe Præfectus arcis grauiter ægrotans, cum ad ſermones de confeſſione facienda aures obſtrueret, cognito ſe Eccleſiaſticæ ſepulturæ exſortem fore, totius vitæ inſtituit confeſſionem; ſacroq. viatico refectus, priſtinam recepit

pit valetudinem. Alij multi e desperatis morbis, hoc sacramentorum remedio conualuere. Multis alijs documentis Diuina bonitas declarat, placere sibi sacri cultus reuerentiam. Cum enim graues tempestates ventorum, turbines,& horrendæ grandines ita sæuissent,vt tecta ipsa male tuta fuerint;& vicinorum fata graue damnum fecerint, Stropchouiensia arua, quod Ecclesiæ lustrationibus, litanijs, alijsq. piaculis munita essent; & frequenter, pieq. admodum, ab ipsis incolis lustrali asperfione perfusa, illæsa prorsus permansere. Thuranium vicum Vngarico milliario Stropchouia dissitum, Sacerdos cum Petheo venerat, rei Catholicæ procurandæ caussa. operã danti confessionibus audiendis, anus duæ superueniunt, rogant vti sacerdotalis stolæ mulieri partus difficultate laboranti, collo applicãdæ, fieret potestas: cum in præsens nulla eius rei esset copia, hora elapsa, rediere contendentes,vt aliquid opis afferretur: iam iam enim puerperam cum fetu morituram. Cum aliud non suppeteret, promit ex Breuiario Sacerdos indusij particulam B. P. N. Ignatij. monet, vt in nomine Patris, & Filij,& Spiritus sancti, pectori laborantis admoueant. Admouetur. dicto citius mulier incolumis incolumem edit puerum; eiq. in baptismo Georgij Ignatij nomen imponitur. Excursionibus aliquibus Rutheni finitimi, Christianæ disciplinæ rudimentis, & salutari doctrina, magna cum ipsorum voluptate, sunt imbuti. Thrax quidam, qui hic vocantur Rasciani non ita longe dissiti; ritu religioneq. primum Græcus, postea Mahometanus, iterum Christianus Lutheranus, concionibus, priuatisq. colloquutionibus nostri sacerdotis, Catholica religione imbutus raræ nunc pietatis exemplo alijs prælucet; vt mori

se

se malle præoptet, quam semel agnitæ fidei facere iacturam. Fuere & finitimis Polonis vtiles excursiones, quorum aliqui, qui Lutheranis se coniunxerant, reuocati: alij languentes excitati. Mitto alios, qui catholici inter Lutheranos, & Caluinistas degentes, cognito nostri sacerdotis in suos fines aduentu, ad sacramenta aduolarunt. sed laudanda,& Deo multis precibus commendanda Magnifici D. Pethei pietas; qui nihil reliqui fecit, ad Catholicam fidem, piumq. diuinorum cultum in illa ora propagandum: summaq. contentione tum à P. Prouinciali, tum à R. admodum P. N. Generali flagitabat, vt aliquæ fiant Missiones ad populos tam multos, qui spiritali sunt pastore destituti.

COMMOTOVIENSE Collegium.

DEcessit priore anno Commotouiæ P. Bernardus Cochius; vir magnæ erga captiuos, pauperes,ac rudes homines caritatis. Diem suum obijt maioris hebdomadæ sexta feria. Fructus, quos biennij superioris calamitatem parituram sperare debuimus, etsi tarde adolescunt, erumpere tamen iam incipiunt. Quadraginta priore horum duorum annorum, triginta posteriore ad Romanam Ecclesiam contulere sese. Gymnasium Rhetoricæ schola auctum est. Pauperum domus alumnorum auxit numerum. alit nunc septuaginta, bonæ indolis adolescentes. ex eorum numero, aliquot variis dedimus religionibus: nonnulli Societatis nobiscum ineundæ consilia maturant. Viget in omnibus idem pietatis, & doctrinæ studium. Duo

ex il-

ex illis in patriam, ad cernendam hæreditatem reuocati : propoſita optione, aut hæreditatis iure cedendi, aut religionis mutandæ, ſinceri in fide,& hæreditate vacui redire maluerunt . Senatus & Præfecti ciuitatis, vt etiam in ipſa populi concitatione contra nos factum eſt, propicia, & beneuola vtimur voluntate. Eorum munificentia præmia de more ſtudioſis data. Quod biennio ante inſtitutum eſt, vt ter in anno ad B. Virginis ædem Crupnam noſtri proficiſcerentur, adhuc, magna confluentis multitudinis vtilitate . Emporium enim videtur eſſe animarum . tanta pietate homines ad confeſſionis ancoram, & vitæ reformationem confugiunt . Actum per eam occaſionem cum grauibus, & doctis viris de religione, magna ipſorum probatione : ſperamuſq. iacta eſſe ſemina,quæ aliquando fructum parient. Concioni in illa æde habitæ interfuere hæretici miniſtri qui, cum peroraſſet noſter, mæſti, ac gemebundi aſſedere ; incertum ne erepta ſibi præda, an ſuæ cognitione prauitatis . Remigratum eſt in noſtrum ædificium, iam magna ex parte poſt ſuperiorem cladem, de qua biennio ante ſcriptum eſt, reſtitutum .

NOVODOMENSE Collegium.

ILluſtriſſimus Adamus à Nouadomo, Regni Boemiæ Cancellarius primum, poſt etiam factus Prorex, cognita vtilitate, quæ à Societate proficiſcitur in alias Boemiæ ciuitates, Pragam, Crunlouiam, Commotouiam, & in Morauiam totam,adiecit animum in ſuam quoque ditionem accerſere Socie-

Societatem, impellente maxime in eam mentem Illustrissima Comite à Montfort eius coniuge, tamq. ardenti studio rem complexus est; vt difficillimo tempore, rebus maxime Turcico bello perturbatis, expedita pecunia, à Reuerendo admodum P. N. Praeposito Generali Collegium Societatis impetrarit: statimq. fundamenta insignis fabricae magnis expensis Nouae domi ciuitate sua iacienda curauit. Et quoniam propter Regni occupationes à consilio Imperatoris abesse ipse non potest, filium, quem tum vnicum habuit, misit qui solemni Ecclesiae ritu primum lapidem in fundamenta iaceret. Interim bibliothecas duas magni pretij, omni librorum genere refertas, futuro collegio coëmptas attribuit. earum altera, quae maior est, quatuor scutatorum millibus aestimatur. statimq. ac nostri eo profecti sunt, ad scholas non exiguum adolescentium numerum coegerunt. Est ipsa vrbs Nouadomus admodum celebris, in confinio Austriae, ac Boëmiae: loco & ameno, & salubri sita, ditio late patens, & in multos populos diffusa: sed multum haeresibus fedata: vt opportuna admodum haec noui Collegij fundatio existimetur.

TRANSYLVANIA.

VERSATI e Societate sunt in Transyluania anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Socij quatuor, omnes Sacerdotes, Albae Iuliae duo, Vduaraliae tertius, quartus Fenesini.

Sacerdos, quem superioris anni litteris scriptum est, missum esse à Serenissimo Principe Transylua-niae, ad summum Pontificem, & inde ad Caesarē,

redijt cum mandatis Apostolici Antistitis, Caesareaeq. Maiestatis. Placuit Sereniſſimo Principi, Regniq. proceribus, qui omnes fere aderant, ſummi Pontificis monitu, reſciſſo federe Turcarum, ad partes Chriſtianorum tranſire; & cum Caeſarea Maieſtate fedus inire. Igitur idem Sacerdos Pragam miſſus ad Imperatorem cum cõdicionibus federis. Probauit condiciones Caeſar: Decretumq. auctenticum ad Sereniſſimum Principem, Tranſyluaniaeq. proceres remiſit, cui ipſi aſſentirent. Et quamquam noſtro Sacerdoti poteſtas facta erat de totis condicionibus cum Caeſare tranſigendis; ob rei tamen magnitudinem, poteſtate vti noluit: totumq. negotium Principibus integrum remiſit. Tordae igitur Tranſyluaniae vrbe, menſe Maio comitia Regni habentur. Sed ſiue magnitudine periculi interim attentius conſiderata, ſiue aliquibus ad Turcam omnia trahentibus, ſiue quacumque alia de cauſſa, ita multorum procerum, ac praecipuorum animi immutati ſunt, vt neque his, neque duobus poſtea conuentibus Albae celebratis, quantumuis Sereniſſimus rem ſtrenue vrgeret, obtineri potuerit, vt federis delatae condiciones, & Caeſaris poſtulata rata eſſent. non tamen animum deſpondit Princeps: tertio conuentum cogit Albae: tantaq. contentione acta res eſt, vt circa vj. Id. Iul. communi omnium ſuffragio, probatis federis condicionibus, bellum aduerſus Turcam decerneretur. Princeps cum omni nobilitate ad noſtrum templum venit. Veſpertinae preces in gratiarum actionem decantantur: & Hymnus *Te Deum* adijcitur. Dimiſſi Proceres ſuam quiſque domum, vt ſe quam maxima ope compararent: iuſſiq. quincto decimo die redire. Interim per anguſtias Huthſtienſes Tartarorum

tarorum ad triginta millia in fines Transyluaniae, & Poloniae irrupisse nunciantur. Neque abest suspicio, dolo eorum, qui factioni Turcicae fauebant, & Christiano federi aduersabantur, inuitatos. Per eam occasionem seditiosi acta Albensia rescindere, aperte à fide deficere, cunctos ad defectionem sollicitare, coitiones in caput Principis agitare cœperunt. Sacerdotem nostrum, quem federis auctorem cum Christianis esse scirent, in cuius necem antea conspirauerant, ex itinere interceptum in arcem Bethleem custodiae recludunt. Claudiopolim conuentum aliorum procerum indicunt. Conueniunt primarij quique. Refertur ad consilium de summa rerum alteri Principi demandanda, illo submoto, qui Turcicae factioni aduersatur. Princeps tanto tumultu subito coorto, cedendum ratus, furori se subduxit. Inter fugam consilium illi inditur diuinitus. Substitit in imperij sui finibus: inde ad Proceres, & nobilissimos quosque ciuitatum litteras dedit, quibus consilij sui rationem reddidit. Se Christianum Principem Christianorum fines velle, & posse suorũ armis, & auxiliorum, si & viri esse, & in fide velint permanere, à durissima impiorum seruitute vindicare. Iniuste se suo imperio exturbari; qui nihil vnquam, nisi suorum Procerum, ac suae gentis commoda spectarit. Proinde etiam atque etiam videant, quo progrediantur. Si pellendis Principibus assuescant, nunquam defore materiam seditionum, nunquam caedium. ipsos prius, quam alienos, qui de imperio certabunt, consumptum iri. sibi quoque ad eos, quorum opibus ista moliuntur, receptum patere. neque sibi aliorũ arma defutura, à quibus ipsi quantumuis supplices, non recipientur. Ac, si imperium ferendum sit (non enim tot gentes superbiam,

& auaritiam seditiosorum patientur: quin antiquam reipub. formam, suaeq. ciuitatis Rectorem requirent) praestare suae gentis legitimo Principi, optimo iure, & omnium consensu, ac iureiurando constituto parere, quam cuilibet per factiones seditiosorum, aduersis plurimorum voluntatibus, repentina libidine, ac paucorum potentia, ambitioneq. ad summum imperium subito euecto. Qui si quando ijsdem, quorum est opibus imperium adeptus, displicere coeperit, ad alios, atque ad alios, nullo mutationum fine summa rerum deuoluenda sit: donec continentibus bellis exhausti, à graui aliqua potentia omnes eadem ruina opprimantur. His litteris in conuentu recitatis, animos boni sustulerunt. Tres omnino nationes Saxonica, Siculica, & Hungarica in fide steterunt. Cum his tota militia, & reliqua nobilitas consentiebat. Hi constanter nullum se alium Principatum gerere passuros esse protestati sunt, suo legitimo Principe Sigismundo Battoreo superstite. Ab his honorifica legatione, antequam conuentus mitteretur, Battoreus Claudiopolim reuocatur. Ijsdem comitijs, ipso auctore, bellum in Turcas iterum decernitur. Lecti Dynastae quinque fidelissimi; qui ad Imperatorem, ad fedus statuendum mitterentur. Hi se cum Sacerdote nostro, qui admirabili cõsilio e carcere Bethleemitico elapsus, Pragae cum Caesarea Maiestate de rebus ijsdem agebat, coniunxere sese; totum negotium feliciter, Diuina fauente Prouidentia, confecere. Non desistebant interim seditiosi clandestina cum Turcis cõsilia communicare: insidias in caput Principis moliri. Eos Princeps Claudiopoli comprehensos, conuictosq. supplicio affecit, eorum bonis publicatis. Eorum aliqui superioribus annis praecipui auctores

nostrae

noſtrae proſcriptionis fuere . Haec de ſumma rerũ anni nonageſimi quarti . Vduaraliae ab anno nonageſimo ſecundo ſacerdos ibi moratus ita rem Chriſtianam promouit, vt cum ante in arcis templo haberet concionem, deficientibus haereticis, parochiale opidi templum extra arcem occuparit; quod vno & triginta annis habuerant haeretici in ſua poteſtate; in eoq; miniſtri ſuum conſtituerant Archidiaconum . Sed is coactus eſt abſcedere, felicem rei Catholicae progreſſum non ferens . Duo millia ad Catholicam fidem acceſſere . ſex item miniſtri: & quidem aliqui non mediocris exiſtimationis; tum vxor Praefecti arcis cum matronis aliquot ciuitatis. Fuit illic noſter Sacerdos ad menſem Maium anni nonageſimi quincti . eo inde Claudiopolim reuocato, parocho Catholico parecia commiſſa eſt: & ſpes eſt, rem progreſſum felicem habituram .

In Feneſina Reſidentia magno ſui relicto deſiderio, grataq. memoria vtilium laborum, modeſtiae, ac virtutum ceterarum vixit P. Marcus Marderus, ſincerus obedientiae filius, & ſingularis pietatis vir . longo eſt morbo conſumptus . Et quoniam abſente P. Alfonſo Carrillio, agenteq. Pragae apud Caeſarem, deceſſit; non fuit qui tãtarum virtutum, totq. pro pietate exhauſtorum laborum memoriam colligeret . Sed apud Deum humanarum litterarum memoria nulla opus eſt . Fructum certe maximum ab ipſo profectum eſſe certum eſt, quoniam impiger vineae Domini cultor ſemper fuit .

Anno nonageſimo quincto, extincto Sacerdote, qui Feneſini reſidebat, tres è noſtris in Tranſyluania reliqui fuerunt . Ad xvij. Cal. Iun. communi totius Regni decreto, ac Procerum omnium conſenſione, Comitijs generalibus in Tranſyluaniam Societas re-

uocata est: & generosissimi Principis mandato, per Senatores Claudiopolitanos ab ipso delegatos, solemni diplomate Collegium Claudiopolitanum, & possessio Monasterienſis Abbatiae nobis restituta. Conuocatis e diuersis locis socijs, conuenere Sacerdotes octo, magister vnus, & coadiutores duo. Hic adhuc omnium nostrorum numerus in Transyluania. Scholae confestim apertae: iuuentus quatuor in classes distributa, Grammaticae tres, Humanitatis vnam. sed propter nostrorum hominum paucitatem, necesse habuimus tantisper, dum plures e nostris conueniunt, duorum magistrorum externorum vti opera. Auditorum numerus crescit in dies; speramus futurum auctiorem, cum Collegium erit constitutum. Aluntur interim piorum eleemosina viginti pauperes in studijs; quos huic genti speramus breui magno futuros adiumento. Conciones haberi coeptae quaternae: binae in nostro templo, Vngarica, & Germanica: binae in templo Monasterij, vtraque Vngarica. Hae vt in solo iamdiu cultura destituto, & ad prosciſſionem duro, fructus parere coeperunt non maligne. aliqui ab haeresi absoluti: nutantes in fide confirmati: à superstitionibus abducti alij: alieni facta restitutio: ab indigno vitae genere abducti alij: generali confessione expiati multi: baptismo non pauci lustrati, & quidem iam adulti. Excursum est etiam in vicina loca: & eaedem ex nostris ministerijs vtilitates circumlatae. In populo quodam audita de vetere Romana Catholica Ecclesia concione, ita incolae permoti sunt vt, nisi haeretici Dynastae, cui parent timor obstitisset, cõtinuo rabulam haereticum eiecissent. sed nos enixe obsecrarunt, vt suam causſam susciperemus; seq. suis dominis comendaremus, vt

à lu-

à lupis illis animarum liberentur. In Residentia quoque Albae Iuliae vtiliter admodum est opera posita, fauore maxime Sereniſſimi Principis. Nam per Quadrageſimae dies Templum in vrbe celeberrimum, quod haeretici Arriani, & Caluiniſtae quadrageſimum iam annum poſſidebant, catholici receperunt. Ab haereſi valde multi reuocati. in ijs duo filij Dynaſtae nobilis, alijq. tres primariae nobilitatis aulici; & nõnulli Caluiniani Euangelij buccinatores. Ex ijs vnus humanitate, & doctrina reliquis facile anteibat, cuius praeter ceteros conuerſio haereticos magno dolore, vt viciſſim catholicos laetitia affecit. & nunc parecia opidi nõ ignobilis eſt ei demandata. quae, Caluiniſmo iam ante occupata, hominis nunc ab ea ſecta auerſiſſimi induſtria eſt ita repurgata; vt duobus exceptis, omnes iam ad Catholicam Eccleſiam redierint. Eiecti item ex alijs opidis, vicis, arcibus Caluiniſtici concionatores; & eorum loco catholici ſuffecti. quorum induſtria tantum iam ad catholicorum numerum acceſſit, vt ratio iniri non potuerit.

Sed tempus eſt, vt de Sereniſſimi Principis pietate aliquid dicamus. cuius ſe tam praebet ſtudioſum, vt & tanquam Princeps, &, vt Probus ille ſancto Ambroſio dixit, tanquam Antiſtes exemplo alijs anteeat. Primum quo die Albae catholicis templũ eſt redditum, ipſe Sacerdoti aedem à profanis ritibus Eccleſiaſticis piaculis expurganti ſacram aquã miniſtrauit, argenteam, qua continebatur, concham ſua manu gerens. peractaq. cerimonia, ad Miſſae ſacrum magna cum omnium admiratione, miniſtrantis operam praeſtitit. Et cum poſtea circa feſtum omnium Sanctorum Claudiopolim veniſſet, magna ſignificatione pietatis in templo noſtro cum

tota aula communicauit: multumq. per eos diés sacrorum frequentatione Catholicorum animos erexit. Et, vt aliquid de publicis dicamus, percusso federe cum Imperatore, susceptoq. bello contra Turcam, Diuina potentia non obscuris documentis illius consilia probauit. Nam cum Turcicus Sinama supremus belli ductor, Baxaem vocant, in Valachiam cum exercitu amplius ducentorum millium armatorum irrupisset, Princeps Battoreus, obuiam factus, eum ingenti clade affecit; impedimentisq. exutum in fugam vertit. tres praecipuas arces quas Turcae valido praesidio firmarant, in potestatem redegit: Beegos aliquot, qui Dynastae sunt inter eos, & Baxaem alterum, Synama elapso, captiuos fecit. Comitem sacrorum caussa secum duxit e nostris Sacerdotem vnum. qui praeter solatium, quod Principi tulit, magno item adiumento suis laboribus militi fuit. Per idem tempus Duces alij ipsius auspicijs Baxaae Temesuariēsis copias profligarunt, duobus alijs in pugna Beegis comprehensis. Lippa vrbs munitissima cum duodecim alijs arcibus expugnata. His potitus victorijs Claudiopolim venit: atque agendis caelitibus gratiis in nostrum templū primum diuertit. vbi ab vno e Sacerdotibus Latina Oratione tot praeliorum victori est facta gratulatio. Haec de primiciis nostri reditus in Transyluaniam.

***

PRO-

PROVINCIA GERMANIA SVPERIOR

INGOLSTADIENSE Collegium.

INGOLSTADII priore anno scholae, praeter felicem rerum cursum, de quo non illa iterantur, quae superioribus annis scripta sunt, hoc insigne ad memoriam habuerunt. In repetitione studiorum inter eos, qui diligentiae praemio in studiis minoribus cohonestati sunt, principem locum tenuit in suo ordine Serenissimus Albertus Bauarus, natu minimus e Serenissimi Ducis filijs. Alij vero Serenissimi eius fratres Philippus Ratisbonensis Episcopus, & Ferdinandus Colonienſis Electus doctore e nostro Ordine adhibito, biennio iam in stadio philosophiae vna decurrentes, quoties publice theses discutiendae propositae sunt, sua praesentia cetum decorarunt. libri praeterea editi nonnulli insignem hunc annum reddiderunt. Graeca Grethseri grammatica, de octo partibus orationis, syntaxi, ac prosodia multis locis auctior typis excusa. Ab eodem confutata mendacia, quae Heliae Hasenmilheri nomine, de quo superiore anno scriptum est, haereticorum culmina ediderant contra

Socie-

Societatem. Et vt inanis maledicorum conatus, vanaq. loquacitas, vel imperitis nota esset, prodijt in lucē Petri Steuartij apologia à Reuerendo Cleopha Ritelmario Sacerdote Augustano in vernaculam linguam conuersa: quam auctor superiore anno Latine scriptam infami libro opposuerat. Lucas praeterea Osiander iunior, inquieti homo ingenij, & inter haereticos concionatores non elinguis, illa defendere conatus erat, quae in P. Gregorij Valentij Analysim ab ipso scripta, nullo negotio eleuata erant. Sed quo contentius vires exeruit, eo magis imbecille robur apparuit. Vt leuis & indignus, qui in stadio compareat, suppresso nomine, iterum facili velitatione reprehensus est. Quae res mire hominem torsit; qui se Crotoniatae lacertis praeditum existimans; prostratum videt in arena, nondum adspectu dignatum ab aduersario; quasi larua non homo certauerit. Sereniſſimi Ducis Guilielm, mandato, & Episcopi permissu, ex templi cuiusdam censu floreni duceni studiosis pauperibus alendis sunt addicti. spes est magnae vtilitatis. Hi enim adparecias tenues, quas alij despiciunt, instituuntur. Cum scholis Parthenij sodales sunt coniuncti. de quibus illud hoc anno praecipuam habet laudem; quod solo ieiunij verni tempore, plus ducentae zonae cilicinae distributae sunt: nec tamen petentibus omnibus satisfactum. & fuit, qui vrticas, & rosarum spinas pro cilicio corpori applicuit. Porro in consuetudine, conuictuq. aliorum videntur nobiscum societatem alienae procurandae salutis iniuisse. ita haeresi infectos odorantur, in eorum se insinuant consuetudinem; vt vel opportune sana consilia instillent; vel si minus, saltē pericula amoueant afflandi alios. si quem in officio Christiani hominis

minis languentem viderint, ad sacramentorũ vsum adhortantur: impias reprimunt voces exsecrantiũ: maledicorum licentiam castigant: nec timent eius rei inuidiam, fermonesq. hominum subire. Nec defuere, qui egentes fidei rudimentis instructos, larga etiam eleemosina donarint. Fuit & qui in vico extra vrbem coactos pueros, puellasq. dominicam docuerit orationem; & praemiolis etiam suo aere coemptis exhilarauerit. Supplicatio, quae quotannis in Parasceue noctu traducitur, hoc anno solito fuit apparatior, procedentibus in eam, & crucis signum praeferentibus tribus Bauaris fratribus, & Sereniſſimo Archiduce Ferdinando Austriaco. agmen etiam fuit solito instructius, maiora pietatis argumenta, & maior etiam vtriusque sexus frequentia. Diuina bonitas non desinit his, alijsq. pietatis studijs bonorum alumnorum animos ad maiorem in dies virtutem inflamare, sicut & contumaciam poena subinde castigare. Excesserat e cetu caussa non iusta vnus: praesto diuina affuit animaduersio. Dum iter facit, equo excussus tam graui casu alliditur ad terram; vt medici non minus, quam triennij curatione luxati artus in suas sedes restitui posse affirmarent. Miser suo malo doctus, contumaciam suam reprehendit: spondetq. quamprimum sodalicio se redditurum. Voto concepto, dolor remittit, aeger breui coualescit.

E spiritali opera soliti fructus sunt percepti. Ad Ecclesiae gremium se recepere (etsi nulli palam hic haeretici) à Luthero, & Caluino ad viginti. Ad Societatem admissi studiosi quinque, ea indole, quae preponderet paucitati. Latum est ministerijs spiritualibus etiam corporibus auxilium. Aegrotus à medicis deploratus, peccata vni e nostris Sacerdo-

tibus

tibus confessus, votoq. ad certum templum nuncupato, postridie integram recepit valetudinem. Femina veneficijs pedum, manuumq. vsu impedita, sacri agni plagula ad collum alligata, terraq. e religioso loco petita, male affectis artubus perfrictis fascinum abegit. Alia diuturno capitis dolore, votiua susceptа ad D. Virginis aedem peregrinatione, liberata.

Sed iam ad nonagesimum quinctum annum trâseamus. Fuit adhuc illustrior superiore, non praesentia solum, & studio, sed nobili etiam actione litteraria, Sereniſſimorum Bauarorum Philippi & Ferdinandi. Theses enim ex vniuersa Philosophia tanta indole ingenij defenderunt; vt cum acriter à professoribus argumentorum subtilitate premerentur, tanta cum laude difficultates omnes expedirint, quanta priuatus quilibet, magno praeditus ingenio, qui ex humili fortuna ad ampliſſimos honores iter sibi aperiret. Et quia non minorẽ, quam sibi doctrina, Academiae sua maiestate gloriam afferebant, tam illustris beneficij gratiam agnoscentes, Academici omnes, tum doctores, tum auditores, eos frequentiſſimo agmine e regia in Academiam deduxerunt. Primo die Philippus, altero Ferdinandus in arenam descendit. dies integer vtrique disputationi datus. tertio die Illustris Comes de Porcia Theses e libris Aristotelis de anima propugnauit. Absoluta Principum disputatione, Praeses ipsorum nomine coronae vniuersae, nominatim vero ciuibus, Academicis, ac Patribus appositа oratione, & personae grauitate digna gratias egit. Consurrexit Academiae Rector, & graui pariter, & rei accomodata oratione declarauit, quantum Academiae, Principum humanitate, gloriae accesserit;

cesserit; quantamq. & in praesens apud omnes gentes, & ad posteros laudem simul, & admirationem res habitura sit, cum tanti Principes, posita maiestate, sua & humanitate, ad priuatorum se fortunam condicionemq. demiserint, & doctrinae laude sũmis viris aequauerint. Ex Academia rursus vespere vterque eadem frequentia, ijsdemq. honestae multitudinis studijs, in Regiam reducti sunt. His actis, quod definitum est temporis Ingolstadiensi commorationi, non in otio, aut cessatione strenui Musarum amatores posuerunt: sed continuato cursu studiorum, eodem duce, locos nonnullos, Principibus maxime accommodatos, in Theologia perlustrarunt. Inde aduenientе profectionis tempore, Philippus Ratisbonam ad suum Episcopatum: Ferdinandus Coloniam, ad partem Episcopalis muneris sustinendam, à patruo euocatus discessere. Albertus adhuc suo splendore nostrum gymnasium illustrabat. Parem quinquennio toto splendorem attulit Serenissimus Ferdinandus Austriacus e Caroli Archiducis filijs natu maximus. Hunc peracto quinquennio, cum Graecium reditum pararet, & scholae nostrae, & Academia vniuersa exornarunt multiplici emblemate, & vario carminum genere. quibus quinquennium, quod in hac vrbe posuit in studijs, collaudarunt. ea quinquennalia inscripsere. Eorum quae probatissima visa sunt, Principi oblata; quae secum abstulit, iucundam, vt ipse dicebat, Ingolstadiensium memoriam. Et vt multa; eaq. gratissima eiusdem Principis beneuolentiae signa erga nos, viciſſimq. grati animi significationes praetereantur; mille iam ante Vngaricos auro probatissimo collegio dederat: e quibus prope bis mille floreni redacti sunt, ad aram Principem nostri templi

absol

absoluendam. quam structura, & opere magnifico, noster sodalis sculptoriae artis peritus, quinquennij opera perfecit. Inde sub ipsum discessum, sexaginta dedit numos aureos, e quibus fructus annus percipiatur, quo fructu Xeniola quotannis comparentur ornandae puerorum diligentiae, qui praeter ceteros in catechismi studio excelluerint. Auctum gymnasij nomen hoc anno tertio P. Gregorij Valentii commentario in secundam secundae partis S. Thomae, confutata item tertio iam ab eodem mendacia praedicantis Vittembergici.

Sodales B. Virgini dicati, praeter supplicationes, ad diuinam opem aduersus belli pericula impetrandam, cum dicta die votiuum in honorem S. Spiritus sacrum, solemni cerimonia, & apparatu decantandum curassent, egentibus in singula capita (& confluxerant ad ducentos supra mille) singulos panes iusti ponderis distribuerunt. Et vt beneficentia ad consequens tempus manaret, collata pecunia censum constituerunt, quo singulis annis, sumptus idem sustineatur. Ex eorum numero sex rebus humanis nuncio remisso, partim se ad Societatem, partim ad instituta alia contulere. Vniuerse vero in Societatem nostram, hoc anno, octo praeclaris naturae dotibus instructi, cooptati sunt. Commentationibus porro spiritualibus se tam multi exercuerunt, vt ab Aduentu Domini ad Pentecosten, nulla fere hebdomada transierit ab iis vacua, qui in eum recessum confugerunt. quin etiam interdum terni, quaterniq. exercebantur. hiq. partim adolescentes liberi, nulliq certo vitae generi addicti, partim religiosis familijs adscripti. quorum magna pars, a Monasterij Praeposito, qui eam vtilitatem iam antea degustarat, huius rei caussa ad nos missi,

Et

Et sane constitit operae fructus. hi enim suis Monasteriis, parochi alii suis pareciis iuuandis, plurimum illi monasticam disciplinam, hi rem Catholicam promouerunt. Adiutum item, ac paene reformatum Monasterium alterum, ab vno e nostris illuc euocato. Auditae omnium confessiones, a primis annis pleraeq. institutae: tradita singulis propria praecepta; communiter etiam viam restituendae, ac retinendae disciplinae commostrata, & variis hortationibus omnium animi ad amorem suae religionis, & studium placendi Deo inflammati.

RESIDENTIA Biburgensis.

IN Biburgensi sede ad agrestis incolarum vitae rubiginem deterendam illud accessit. Traditum nobis Parochi consilio negotium, catechismo tenerae aetatis informandae; quod viderent aliis institutoribus parum feliciter procedere. non fuit inane iudicium. Nostri laeto animo rem suscepernnt. perfeceruntq. vt per Magistratus opidi, qua hora catechismus exercetur, pueri in templum ad discendum cogerentur. Neque pueri tantum, sed grandes etiam ad pietatem informantur, tum Biburgi, vbi nostra sedes est; tum Abenspergae, in quam ciuitatem nostri saepe commeant.

Duo sunt templa nostri iuris S. Leonardi alterum, B. Virginis alterum Alestorfianum. De S. Leonardi prius. Abest paucis passibus Biburgo. templum antiqua religione venerandum, & miraculorum multitudine antea celebre; modo recentium temporum iniuria neglectum, nunc in pristinum nitorem,

rem, cultumq. restitutum. religio quoque,& celebritas lõgo interuallo reuocata, miraculorum quoque splendorem renouauit. Virgo nobilis octo iam menses lecto affixa, pedum dolore laborabat, vt se nequaquam sustineret. Vouit cereos pedes ei templo offerendos, continuo leuata est: deportataq. in templum, factis precibus, ita se corroborari sensit, vt aerumnulis initio, postmodum plane libera suis pedibus domum rediret. Mulier alia, lingua morbi veneno adesa, loquendi vsu destituta, argentei munusculi promisso, facta est voti compos. Multo adhuc illustrius, & piorum frequentatione celebrius templum Alestorfianum B. Virgini dicatum, ab opido Alestorfio nominatum. Hinc multa a matre Virgine petuntur beneficia, nec votis frustrantur piae preces. Senex manuum frigore contractarum; puella nobilis dolore capitis; duo alii totius corporis cruciatibus sanati. sed non caruit admiratione rei humilis, ac tenuis euentum. Mulier parturiens, difficultate periculose premebatur: vouet pro sua tenui copiola, si incolumem edat fetum, ipsa incolumis, se huic templo gallinam oblaturam; &, quae ibi magna religio est & vsitata, altare nixam genibus raptantem obituram. Voti rea gallinam offert, altaris omissa circuitione. Distabat a templo eius domus semihorae itinere. Domum reuersa, gallinam oblatam reperit, cum grege aliarum. Mirata consulit vicinas, respondent: videat integre ne sit voto satisfactum. Tum illa fraude cognita, templum repetit; pie circumit flexo poplite altare, redditaq. gallina restitit in commodum aeditimi, patrii laris penitus oblita.

Fuere & excursionum iidem fructus, qui locis aliis: Decem duodecimue sunt circa opida, viciq.

quo

quo subinde nostri commeant, magno incolarum bono, exspiandis animis, pacificandisq. dissidentibus. Restituta est antiqua, sed multorum annorum negligentia abolita consuetudo, extremae vnctionis aegrotantibus ad mortem adhibendae. Praua enim inoleuerat opinio; eum cui sacra vnctio adhiberetur, quasi necessitate quadam moriturum. abolita est opinio perniciosa, aegroto vno iam omnium iudicio deposito, huius sacramenti beneficio pristinae sanitati restituto.

COLLEGIVM Dilinganum.

QVAE nonagesimo quarto anno litterae Dilingae datae inscribuntur, incrementum aliquod nobis commissae publicae Academiae continent. numerum enim auditorum, qui ex alijs circa ciuitatibus confluunt, auctum esse ipsorum indicat inita ratio: septuaginta supra quingentos censuerunt, bona indole pleroſq; vt ex multis Germaniae vrbibus lectissimi quique huc confluxisse videantur. In hijs ex duobus, & triginta Monasterijs, ad septuaginta cœnobitae numerantur, & progressione ad doctrinam, & modestia morum, pietateq. magna spes futurae olim in ipsorum sedibus reformationis. Parthenij semel, & iterum quadragenis horis Deo supplicarunt: & quo tempore comitia de Turcarum bello communibus viribus propulsando haberentur; & rursum per mensem Nouembrem, ad diram eiusdem belli pestem auertendam, magno exemplo ciuitatis. quippe non Parthenij modo, ceteriq. studiosi vniuersi: sed ciues etiam,

tanta permoti pietate seſe adiunxere; vt ad sanctimoniales quoque exemplum permanauerit. Nam & ipsae pia nostrorum studia imitatae, eandem religionem obiuere. Mendicis etiam panes magno numero distribuerunt. Duo ex ijs germani fratres, per aestiuas ferias, in patriam cum redijssent, magna cum ciuitatis vniuersae admiratione, susceptam octauo quoque die adeundae sacrae mensae consuetudinem continuarunt. Sed ex vtroque numero, tum Partheniorum, tum reliquorum auditorum, scholae nobis nouem hoc anno lectissimos adolescentes dedere: Sacerdotes duos, philosophiae magistros quatuor, logicae studiosos duos, vnum Rhetoricae. His duo additi domesticis operis addicti, vndenarium numerum expleuerunt. & erit operae pretium duorum, triumue constantiam agnoscere. Philosophici studij cursu peracto, primus antequam in patriam rediret, ad nostrum se gregem adiungere peroptabat. Iubetur consilium parenti aperire, ab eoq. commeatum impetrare. Venerat per eos dies Dilingam pater, filium domum secum reducturus. Timebat ille tamen patris violentiam, & praeferuidum ingenium, ac non modo illius horrebat conuicia, & plagas; sed etiam ne tam arcta custodia asseruaretur, vt inde expedire se non posset. Statuit igitur Patrem litteris suae voluntatis certiorem facere, & se periculo subducere. Scriptis igitur litteris, quae patri redderentur, ad nos profugit. Pater, qui iam ante eius rei in suspicionem venerat, omniq. diligentia filium obseruabat, lectis litteris, accurrit. violenter obnitentem filium e vicina domo, in quam se recepe-rat, extrahere conatur; sed nihil proficit. Reuocatur adolescens in Collegium, rursus irae plenus pa-

ter ve-

ter venit ad collegium; poscit sibi reddi filium: producitur adolescens: parens paterna iura commemorare: illorum merita exponere, quorum liberalitate in studijs se sustentauerat; matris dolorem indicare, quam vltimo illo discessu insalutatã praeteriret. Quibus omnibus communi huius generis velitatione adolescens egregie satisfecit; vt victus rationibus pater obmutuerit. Patrem tamen Rectorem (ea vis doloris fuit) obsecrauit, vt pro imperio filium e Collegio abire, & se sequi iuberet. Ridiculum. dolori tamen danda venia. Perhumaniter negat Rector, id se iure posse; non retenturum si velit abire: non tamen eiecturum, si manere. Victus hoc certamine adit Episcopum: atrocem iniuriam expostulat; opem flagitat. At prudentissimus Praesul, nostri ordinis, Religionisq. inprimis studiosus, re cognita hominem blande consolatus dimittit. Redit ille in patriam, dolore adhuc aestuante. impetrat a suae ciuitatis Senatu, ad Episcopum epistolam; qua grauiter accusamur; quod retinendis aliorum filijs, parentum, amicorumq. impensa educatis, non tam illorum spes omnes euertimus, quam in loculos, & crumenas (his enim verbis vtebantur) nullo iure, nulloq. pudore inuadimus. Has litteras Reuerendissimus Antistes ad Collegium misit, ad quas sic rescriptum est; vt, & ciuitati satisfieret; & paterna iracundia deferbuerit. Adolescens alius naturae pariter, ac fortunae muneribus instructus, erat à nostra consuetudine alienior. is P. Rectorem de consilijs Euangelicis differentem audiuit aliquando: & commodum locum illustrem ad eam rem ex sacris litteris explicabat. Admotus est cordis fomiti diuinus ignis, sensimq ita incaluit; vt illo ipso die Patrem adie-

rit; sibi esse in animo, Christi sequi consilia exposuerit. Verum recurrentibus postmodum priorum rerum cogitationibus, anceps animi pugnabat ipse secum. haerebant infixi animo aculei ex Patris disputatione; quam velut diuino sibi ore missam, audisse se existimabat. hi diu noctuq. animum exstimulabant, ad diuina confestim consilia capessenda. sed amor humanarum rerum aciem diuinorum iaculorum subinde hebetabat. quantoq. illi acrius ad arduum capessendum iter excitabant, tanto hic nube variarum cogitationum à cursu reuocabat. Itaque causas secum ipse quaerebat; versabatq. in omnes animum partes; dubitabat, scisitabatur, ambigebat, excusabat, moras nectebat, varias ipse sibi ludificationes faciebat; si qua posset ratione Deum ad se vocantem non audire; & conceptos diuini amoris igniculos a se excutere. sed quo magis aduersis ventis perflabantur; eo suscitabantur vehementius. sermo de diuinis consilijs nimis alte penetrarat, penitusq. eius animo insederat. Hic inter fluctuantes animi curas, succedentibus alijs, alijsq. cogitationibus, ijsdemq. euanescentibus, solus stetit; idemq. hominem tandem certa in sententia consistere coegit. Agit denuo serius, quam ante, nec ambigue, dubitanterq. sed certa, & constanti voluntate. Tota res in P. Prouincialis reijcitur aduentum. Qui cum venisset, ingenti alacritate ad ipsum se admitti postulat. differtur in alterum, tertiumue diem cõstantiae firmandae caussa. Nihil aliud interim diu, noctuq. nisi quos cum P. Prouinciali sermones haberet, cogitabat: quorum etiam magnam partem memoriae caussa litteris mandabat. Admissus tandem ad Prouincialem, & voti factus compos, festinat in patriam ad patrem:

trem: vt, quae inde impedimenta, perturbationesq. oriri possent aliquando, ipso statim initio expugnarentur. Iucundus, hilarisq. adolescentis aduentus patri fuit; qui mox in perturbationem, maeroremq. vertit. Versabantur Dilingae studiorum caussa cum hoc natu maximo duo alij minores fratres, & forte eorum alter, qui ipsum proxime aetate sequebatur, votum iamdiu aluerat Societatis: neque eius rei nescius erat pater. Rogat confestim senex: quid fratres alij? qui valent? an consilium adhuc abiecit ille amplectendi Iesuitarum institutum? Quin in sententia persistit, vt cum maxime, respondet adolescens. eiusq. rei gratia huc concessi, illius, vt apud te caussam agerem; teq. exorarem, hanc illi, vt veniam dares. nam quod speres eum mentem mutaturum, nihil est. Pater, qui duos sibi supereſſe filios sperabat, ne cum caelo pugnaret, dat veniam non inuitus. Tu vero, conuersus ad filium, ait, quid cogitas? Tum ille renidēs; hanc curam, inquit, mitte pater: de me Deus viderit. Non satis laetus hoc responso senex, pergit adolescentem rogare, instare, vrgere, donec post aliquam tergiuersationem certum tandem exprimit responsum. Tum subito exorta comploratio vniuersam familiam perturbat. pro se quisque ea, quae cuique tali tempore in promptu sunt proferre: miserari senis fortunam, tota sua paene prole vno tempore orbari: pater filijs ingratum animum, impietatem, crudelitatem obijcere: perfidos Iesuitas nominare; qui suis fallacijs incautos decipiant adolescentes. Sed nimirum facturum se, vt quando sibi filios eripiant, aes alienum in ijs in studijs alendis contractum, vt dissoluant ipsi, qui suae pecuniae fructū ad se traxerint. Totum illo die tem-

pus querimonijs, accusationibus, viciſſimq. purgationibus conſumptum. Poſtero die venitur ad aliud certamen. erat ſororis vir, homo feruidus, & calidiore ſangnine, quam ſenex. is iuuenem excipit inclementius; conuicijs, iurgijs, opprobrijs proſcindit. auget malum irata ſoror. Superuenit interim Pater: redintegratur praelium; multa de iure diſputantur (erat enim vterque & ſocer, & gener iureconſultus) proferuntur leges, interponuntur exhaeredationis minae, machinae omnes denique adhibentur, ad animum adoleſcentis percellendum. ſed pectus Euangelicis conſilijs firmatum nihil mouebant. Acceſſit poſtremo ad certamen grauis, & ad ſpeciem pia, prudenſq. Coenobiarchae venerandi dehortatio; pietatem in parentes, propoſita doctrinae praemia, ſperatos honores, ornamenta familiae, & commoda cetera proponentis. Quibus omnibus ita ſatisfecit adoleſcens, vt in cauſſa ſuperior euaderet. Apparebat patrem non tam pertinacia, quam dolore victum commoueri. ita quanuis maerens, perſuaſus tandem rationibus, manus dedit. Paucorum dierum tantum moram poſtulat, dum honeſtum ei comparat commeatū. Tum gener adhuc ira tumidus, cooritur. Quid tu ſumptus, inquit, paras in viliſſimum caput, mox inter viliſſimos homines futurum? quin more illorum, ad quos ſe confert, vili indutum lacerna cum baculo miſerum, inanemq. dimittis? diſcat mox illa ſubire, quae ipſi inter homines ſe dignos perferenda erunt. Et ad haec ille paratum ſe profeſſus monuit ipſorum magis, quam ſua intereſſe, videre, ne quid faciant contra familiae dignitatem. Sed clementior ſenex plus dedit pietati, & prudētiae, quam dolori. Facit vtrique poteſtatem ad

Chriſti

Christi se vexilla conferendi. Ita paucorum dierum molestia strenue a forti adolescente deuorata, magnis inde profecturis perturbationibus perfuncti sumus. Vnam tantum illam comminationem expressit à parente maeror; eamq. & perleuem,& excusatione dignam. Cauerent, ne tertium fratrē, natu minimum peruerterent; ni velint omnes exhaeredari pariter. Ita bona leniſſimi senis venia dimissus, decimo die redijt Dilingam: sodalibusq. Virginis salutatis, lectissimum par fratrum tertio eiusdem voti comitante Landspergam, multis prosequentibus, ad tirocinium discesserunt. Tertius tamen inde reuersus adhuc Dilingae scholas nostras frequentabat, itaque proficiebat in litteris, & pietate; vt, & multos relinqueret post se, & certaret cum primis. Minoris certaminis, laetitiae vero non minoris fuit tertij cuiusdam accessio. Erat hic in conuictorum contubernio, ea naturae felicitate, vt inter suos aequales in scholis omnibus semper primas ferret: ita vt non condiscipulus, sed antesignanus, & ductor videretur aliorum, & quod magis diuinam bonitatem declarauit, honestae, ac non tenuis fortunae viduae vnicus supererat. eum tamen pia parens modesto, tranquilloq. animo diuino famulatui concessit. & iam pridem alterum in Societate dedicauerat: ita instar Euangelicae viduae duas vteri sui scintillas, quibus familia sustentaretur, quasi duo minuta aeris misit in dona Dei. is mense Nouembri exeunte hinc ad tirocinium se contulit. Quo die discessit, orationem habuit ad contubernales de vitae breuitate, eo animi sensu, ardoreq; vt incensus ipse aliorum quoque animos inflammaret. Christo laus. Hi e iuuenum cultura praecipui fructus. Sed neque alterius culturae

opera fuit otiosa. Haeretici partim domi, partim peregre cum Ecclesia recõciliati quadraginta quatuor. Ex opido haeretico plus quadraginta ad nos confessionis caussa venerunt. Narrabant se idcirco Lutheranorum doctrinam exsecrari; quod nihil aliud scirent, nihil aliud eorum conciones, nisi maledicta in Iesuitas, in Papistas, atque in Rom. Pontificem concreparent. Et vt intelligatur quanti mendacia sua vendant; quam nulla doctrina, sola nugacitate miseros decipiant: dicebat pro suggesto rabula. Cum supremus ille, & decretorius dies aduenerit, Papistas hircos olidos ad laeuam: ad dexteram vero Lutheranos simplices ouiculas, doli nescios constitutum iri. macte esto virtute puer. Eodem in opido arcularius fuit, de quo proximis litteris est scriptum. is Catholicae fidei retinentissimus, octo annis, quibus ibi cum haeretica vixit vxore, solitus est ad nos Dilingam sacramentorum caussa ventitare, ob eamq. caussam à praedicantibus saepe agitatus, ad extremum hoc anno à magistratu iussus est, vel de caena, quam praedicantes apponerent, comedere, vel opido cedere. Maluit bonus à patria, quam ab Ecclesia exsulare. ita relicta vxore alio se transtulit ad Catholicos. Litteras interim vxor à Senatu impetrat, quibus ei fit potestas redeundi. Redit: diebus paucis quieta omnia. at non ita multo post Neoburgum ad conuentum eorum, qui Theologos se nominant, vocatur. Non recusat ille in bona caussa, vel iniquorũ iudicum arbitrium. crimini datur Catholica religio, & quod alios ad eundem secum pertrahat interitum. Quae cum ille ita diluisset crimina, vt quid reprehenderent, non haberent, hominem pijs tantum libellis, qui precationes, & fidei Catholicae

tholicae continebant instrumenta, multatum dimittunt. Sed iniquae coniugis proteruia, & praedicantium seueritate exulceratus, iterum solum vertere coactus est. Excursum est, vt superioribus annis, Eluangam magno cum fructu, & Reuerendissimi Antistitis laetitia. Adiuta Monasteria, Praesidesq. Monasteriorum. Concionator haereticus in opido eius dioeceseos palam in nostrum ordiné, nostrumq. sacerdotem, qui Eluangae versabatur, inuectus erat: (sed haec sunt illorum carmina, quae cum ad verbum edidicere, in promptu refingere non possunt: quae nisi vt in codice notarunt, proferantur, aberrent ab itinere) postulatus, periculo se subtraxit. Postmodum vero facti paenitens, à nostro quidem facile veniam impetrauit. Non aeque facilem habuit ciuitatem. quippe indignum iudicabant, in ciuitate Catholica, hospitem hominem à ciuitate expetitum, in caussa religionis strenue laborantem, contumelioſe tractari. Quare in magno cleri, & spectatissimorum virorum conuentu, quae temere effuderat, reuocare iussus est. Haec de anno nonagesimo quarto.

COLLEGIVM Monachiense.

MONACHII noua aedificatione auctis iam aedibus auctus est etiam priore anno hominum numerus. decem omnino capita ad numerum priorem accesserunt: Sacerdotes duo, quaestionum ad conscientiam pertinentium doctores, quorum alter publice in Gymnasio, alter intra domesticos parietes docet: fratres sex, qui ijsdem in studijs

ſtudijs verſantur, & domeſtici operis adiutores duo. poſteriore anno fuit numerus aliquanto minor. Deceſſere ex eo numero priore anno duo, Volfangus Vitmanus; qui viginti quatuor annis alacer in diuino obſequio domeſticis miniſterijs Societati inſeruiuerat: & P. Gaſpar Obergafferus Brixinenſis ſingulari vitae innocentia vir. quadraginta circiter annos in Societate vtiliter tranſegerat, ſui contemptor, & earum amator virtutum, quibus B. P. Ignatius nos inſignes eſſe peroptauit. ea maxime ſectabatur miniſteria, quae humilitatem praeſeferrent. rudiores Chriſtianae vitae praeceptis imbuendi ſtudioſus: aegrotis, egentibus, vinctis, calamitoſis iuuandis apprime deditus. ad eorum miſerias leuandas, qui egeſtate premebantur, eleemoſinas ipſe quaeritabat; quas poſtea ſtatis temporibus, pro cuiuſque indigentia, diligenti cura erogabat. Quo nomine tantam ſibi omnium beneuolentiam conciliauerat; vt extincti gratiſſima adhuc recordatione memoria ſeruetur. Quam vero ſummis, infimiſq. gratus fuerit, vel ex eo licet intelligere, quod & aegrotantem viri Principes ſaepe inuiſerunt, & vita functi frequentes maerore multo funus celebrarunt; tumulum etiam lacrymis cohoneſtarunt. Poſt eius obitum repertum eſt eius chirographum, quod ille, ſentiens, ſe moriturum ſcripſit in morbo. videtur illa patribus, fratribuſq. dicere, in animo habuiſſe. Et quia valde opportunum eſſe viſum eſt ad excutiendum veternum, & languorem noſtrum excitandum, memoriamq. vltimi temporis incutiendam, ſtatui ijſdem, quibus eſt ad nos tranſmiſſum verbis, his litteris inſerere.

ECCE

ECCE *Reuerendi Patres, fratresq. cariſſimi, ego, vt videtis, ingredior viam vniuerſae carnis. Ecce quem amatis, infirmatur; &, vt apparet, eſt infirmitas haec ad mortem. Tempus reſolutionis meae inſtat. Vtinam poſſem cum D. Paullo dicere: Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui. in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiae, quam reddet mihi iuſtus Iudex. ſcio cui credidi. Si in hac ſancta Societate IESV, vt bonus religioſus vixiſſem, Chriſtum dilexiſſem, prae oculis habuiſſem; mundo, & paſſionibus mortuus eſſem, libentius, & ſecurius iam morerer. Si Chriſto bene ſeruiuiſſem, paenitentiam egiſſem; nec mihi tam diuturnum Purgatorium congregaſſem, laetius ex hac vita migrarem. Peto igitur à veſtra caritate veniam propter Chriſtum, vt mihi ignoſcatis, & pro me oretis.* & paucis interiectis ſubiungit. *Sint vobis commendatae iſtae virtutes, obedientia, & oratio: dein pauperes, aegroti, & ſimplices. eos omnes ea humanitate proſequamini, & zelo pio, patientiaq. & virtutibus ijs, quibus noſtri primi patres praeluxerunt; & gaudebit cor veſtrũ in vltima hora.* & poſt pauca, quae compendij cauſſa omitto, concludit. *Ego tantum praeceda m: vos fratres cariſſimi breui ſequemini. orate pro me, vt minuatur mihi purgatorium diuturnum. Concedat mihi Capitaneus noſter IESVS CHRISTVS contritionem, perſeuerantiam, fidem firmam, & patientiam, felicemq. huius vitae conſumationem. Amen IESVS MARIA.*

Hos duos tres poſteriore anno inſequuti ſunt, P. Baptiſta Confluentinus; qui in aula erat à concionibus, & procurator domus, in qua ſtudioſi pauperes aluntur ad quadraginta. & ſane fuit iuuandorum

rum pauperum ſtudioſiſſimus, eorum praeſertim, qui ſtudijs ſunt dediti. quorum commodis ſtudio plane paterno proſpiciebat, vt ingenti maerore miſeri adoleſcentes illius funus proſequerentur. Vixit in Societate annis triginta tribus. Hunc ſequutus eſt aetate grauis, & longa meritorum ſerie ornatus P. Dominicus Menginus. quinque & quadraginta annos varijs muneribus perfunctus, multis exercitus difficultatibus egit in Societate. Vir ad agendum cum proximis felici praeditus ingenio. Fuerat hic Sereniſſimo Principi Guilielmo, & pientiſſimae coniugi multis annis à confeſſionibus; eo laboris fructu, quem & ipſi ſenſimus, & probauimus. His tertius acceſſit P. Bonauentura Paradinas Rector Landſpergenſis. qui reparandae valetudini Monachium miſſus, breuem, aerumnoſamq. cum felici, ac ſempiterna vita commutauit. De eo in domo probationis Landſpergenſi dicetur. Vnum illud hoc loco ſat erit: impreſſam ipſum omnium animis multarum virtutum, quae longo multorum annorum ſpatio in eo eluxerunt, effigiem reliquiſſe. Vtinam ſi minus numero, pondere ſaltem virtutũ, procedente tempore, damnum compenſent quatuor ad noſtrum gregem hoc biennio admiſſi: rhetoricae ſtudioſi tres, vnus coadiutor. Quadraginta tres ad fidem Catholicam traducti. Ad ternas ſuperiorum annorum adiecta eſt Gallica concio, gratia Sereniſſimae coniugis Maximiliani. Confeſſionum felicibus euentis illuſtrata eſt vtilitas. Vir ſummo loco natus, & claro praeditus honore Monachium leuandi morbi cauſſa conceſſerat. Sed, morbo quotidie ingraueſcente, Sacerdotem noſtrum ad animi ſalutem procurandam ad ſe accerſi iubet; cui explicata confeſſione peccatorum, quaſi

mor-

morbi venenum eieciſſet, ſtatim conualuit : noſtrumq. ad templum gratijs Deo agendis, ſeſe contulit. Alter pari dignitate, & honore praeditus, morbi grauitate iam prope venerat ad extrema, accerſitus vnus e noſtris hominem reperit mente deſtitutum, & animam agenti ſimilem. Agit cum ſolo, omnibus excluſis, redit ſenſim mens: confitetur, caeleſti viatico cibatur, extremo chriſmate inungitur. his ſacroſanctis myſterijs ita firmatur; vt animi valetudo in corpus redundarit. caput enim erigens palam, cunctis audientibus, ſe plane omni morbo liberatum affirmauit. Virgo nobilis graui preſſa morbo, eodem curationis genere ſanata. Statuerat quidam dulcedini libere viuendi aſſuetus, nunquam confiteri; in eoq. conſilio triennio perſtiterat. is in itinere vocem parentis poſt ſe clamantis audire viſus eſt. conuerſus ſpectris horrificis terretur; qui ipſum poenarum infernarum minis, & in praeſens exterrerent, & per noctẽ biduo, triduoue ab iacentis lecto non recederent. Pauore victus cum aliunde auxilium non pateret, ad diuinam opem tandem implorandam ſe conuertit. pollicetur vitam meliorem, confeſſionis ſuſcipit conſilium, confeſtim placidioris vmbrae ſuperuentu horrifica monſtra diſſoluuntur. peractoq. itinere, cum redijſſet, nihil habuit antiquius, quam vt ad templum noſtrum voti exequendi cauſſa ſe conferret.

* * *

COL-

COLLEGIVM Oenipontanum.

OENIPONTI ab haereſi aliqui abducti: in his duo germani fratres Norimbergenſes. Matrona item honeſta parentem quoque ad fidem Catholicam adduxit, idq. agit, vt familia vniuerſa perducatur. Numerus ad ſacra myſteria confluentium ſolito maior fuit. nec defuere, qui longo itinere Oenipontum eo tantum conſilio venerint, noſtris vt confiterentur. Multis in magnis animi perturbationibus, mali daemonis infeſtationibus agitati, confeſſione peccatorum, ſacris munuſculis, pijſq. precibus, mentis tranquillitatem inuenerunt. Multis perſuaſum, vt quotidie diurna facta recognoſcendi, coſcientiamq. excutiendi conſuetudinem ſuſciperent. Multi item ad officia Chriſtianae caritatis, & miſericordiae erga miſeros exercendae perducti. nam, praeter ciues primarios, multi etiã illuſtri loco nati pauperum caſas frequenter obiere; aegrotos vt verbis, & rebus ſubleuarent. Mulieri ad extremam inopiam redactae Matrona primaria moribundae adfuit; funus proſequuta curauit; filiolas duas ſuperſtites, quarum altera luminibus orbata eſt, ſuſcepit educandas. Trium annorum infantem aegrotum deſertum, e platea ſuſtulit altera, alendumq. domi ſuſcepit. Mitto cibos, veſteſq. aegrotis egentibus ab alijs ſubmiſſa.

De ſcholis, quia nota reliqua iam ſunt, illud vnũ non tacendum. Vmbratiles illos honores, & rerum pub. ſimulacra in ſchola quaque inducta, & acerrime puerorum ingenia, ad nomina illa conſequenda ex-

da exstimulare ; & patres familias incredibiliter tali commento delectare . Neque Latinis modo , sed Graecis etiam litteris non leuiter, neque ad speciem, sed penitus , & serio pueri erudiuntur . Illustres viri sibi gratulantur, filios se habere septennes, qui Graece non solum legere , sed dialogos etiam memoriter didicerint; eosq. inter mensam ad propinquorum, & conuiuorum oblectationem, & admirationem etiam memoriter percurrant : & quasi personis indutis colloquendo agant inter se . Eius misericordiae laudem , quam viros nobiles erga egentes adeptos esse diximus , etiam nostrarum scholarum auditores , Parthenij praesertim , sibi compararunt: siquidem fuit, qui egentem, ac seminudum hominem obuiam sibi factum , pallio sibi detracto contegeret . alij indumentis alijs nudos iuuerunt . Vnus sua pecunia libros ab homine haeresi infecto eo tantum consilio coëmit, vt igni traderet . Qui per aetatem nondum pecuniae compotes siunt, parentes ad id genus officij vrgere non desistunt . Fuit qui suo se demenso defraudarit, escas vt famelico submitteret . Neque minus liberales erga nos se praebuerunt; siquidem sacra supellex candelabris inauratis pretij non modici aucta est . Signum B. Virginis infantem sinu fouentis duplici veste aurea , argenteaq. coronis item pretiosis, & aurea armilla piae matronae adornarunt . Trecentos florenos vnus nobis dedit: trecentos alios iam pridem sibi debitos , creditor nobis remisit, reddita syngrapha .

*

COL-

COLLEGIVM Augustanum.

AVGVSTANVM Collegium, & si non ita magnum aluit Sociorum numerum, non tamen numerosa defuit familia, biennio paene toto; iucundo videlicet hospitio carissimorum patrum, fratrumq. vltro, citroq. commeantium. & quidem solo vltimo semestre ducenti sunt excepti, & quae Dei bonitas est, par fuit operi caritas. Hic priore anno vitam magna cum laude actam digno fine concluſit P. Theobaldus Stozius, vir & aetate, & meritis venerandus. Plus triginta annos egerat in Societate, eximia in pauperes, & aegrotos caritate. studiosus vero inprimis iuuandi moribundos; & eos maxime, qui vltimo supplicio afficerentur; vt aliquando latronem in rotam actum vt firmaret, tres ipsas horas ardentissimum solem pertulerit; veritus ne acerbitate cruciatuum, antequam extremum halitum ille emitteret, animum desponderet. praesensit in morbo supremum aduentare diem: ita extremo vnctionis sacramento postulato, perceptoq. magno pietatis sensu praesente familia tota, vota sua postremum nuncupauit. fratresq. ad studium humilitatis adhortatus suorum veniam erratorum petijt: pia se intimaq. voluptate affici testatus; quod tandem voti compos factus sit, vitae finem in Societate consumandi. Funus vt emeriti senis, & inopum parentis, discipulorum, & ciuium magna frequentia celebratum.

Nostrorum opera in iuuandis hominibus segnis non fuit. Susceptae, & priuatim, & publice cum haere-

haereticis de religione disputationes, egregieq. semper veritas defensa. Sed haereticos redarguisse non satis est. quosdam enim obstinatio, quosdam ingenij tum hebetudo, tum peruicacia, pleroſque famae iactura, & vulgi opinio; tum spes lucelli, & paupertatis metus, in sua retinet perfidia haerentes. Diuini spiritus infusio ad tenebras pellendas, molliendosq. obfirmatos animos est opus. Non tamen nihil in iis disputationibus effectum est. Quadraginta circiter lucem veritatis adamarunt. quos inter adolescens famosi praedicantis filius non ineruditus cum haereticis congredi, & catholicam asserere veritatem non veretur. Est in vrbe praedicans, cuius ex ore misera plebecula, & infima fex pendet ciuitatis: hic pictorem habet affinem, qui & nostrorum consuetudine, & pia librorum lectione, tantum verae lucis hausit, vt affinis sui praedicantis leuitatem facile coarguat, fallacias refellat. sed non paruo ei fidelis stetit industria. nam affinis sui dolo, à tortoribus haereticis reuocatus in patriam, & tanquam impostor aliquis in carcerem compactus, decimo quarto demum die, ea lege emittitur; vt anno toto Iesuitarum consuetudinem, accessumq. deuitet. si secus faxit, omni haereditatis iure casurum. Adolescens alius, duodeuiginti natus annos, est ex eo numero. hic à patre, & propinquis, eo nomine, tam male multatus est, vt exanimatus inter brachia suorum deferretur ad cubiculum; & tanquam inutile cadauer, in angulum abijceretur. rursus, vbi animum recepit, nec se sententiam mutare significauit, iterum pulsatur; domo tandem, vrbeq. egregia parentis caritate eijcitur. Et vero mirum est, in tanta sectarum varietate, cum cuique suam tue-

ri superstitionem, summa tranquillitate liceat, in numerosa admodum familia, catholicum vnum, seu seruum, seu ancillam, saepe etiam tenerrimae aetatis puerum ita vexari, agitari, despici, vt omnium habeatur abiectissimus; tanta tamen constantia, & firmitudine; vt ne latum vnguem à praeceptis ijs, quae ex vera hauserit doctrina, discedat; nunquam ad eorum conuenticula, exsecrandasq. religiones, neque minis, neque pollicitationibus, ne cogitatione quidem inflectat. ita videntur à concursu calamitatum, & aduersarum rerum impetu vires sumere. Contigit, vt in nobili, & admodum frequenti domo, vnus paterfamilias, cum ancilla vna Catholicam religionem colerent. Incidit in morbum letiferum paterfamilias, admonetur periculi ab ancilla: meminerit, se esse catholicum. iubet ille acciri nostrum Sacerdotem. Vxor prohibet, familia tota reclamat. sed fuit in eo ancilla sane constans: sacerdos vtique constantior accitus aduenit; & quamuis toti familiae inuisus, Christi caritate inuidiam superante, ad extremum certamen vltimis Ecclesiae praesidijs Christi fidelem communijt. Vita functo, certamen oritur de sepultura. Vxor, tanquam putridae pecudis cadauer iubet efferri, nullo comitatu, cerimonia nulla, nullo religionis signo, ipsorum more. contendit ancilla honorifico funere, & Ecclesiastica sepultura debere tumulari. negat mater sumptum se facturam, ancilla suo sumptu se funus curaturam profitetur. Vicit tandem caussa melior. Diuina vtique miseratio fuit, vt Catholico homini Catholici mulieris fidelis opera praesto esset: in reliqua familia veritatem illius sententiae expertus est: Inimici hominis domestici, eius. Eiusmodi certamina spectantur

ctantur hic quotidie. sed, quae Dei bonitas est, Catholica res maiora videtur in dies incrementa capere. argumento est frequentia concionum. Nam cum verno ieiunio, concio in aede D. Ioannis Baptistae haberi soleat; posteriore anno, sub finem Quadrageſimae, crescente multitudine, in laxiorem principem Virginis aedem transferenda fuit. Crescit item sacrorum cultus, & aduersus sacros ritus reuerentia. Incredibile est, quanta contentione, viri feminaeq. sacra caelestis agni piacula à nobis flagitent. quippe experientia compertum est; idq. multi malo liberati testantur, aduersus incantationes, maleficarum machinationes, & mali daemonis terrores praesentissimum esse remedium. & malo casu id genus mulierculis humanae naturae insidiantibus haeretica regio abundat. Ita nullus fere Augustae Catholicus non sacrum amuletum gestat e ceruice suspensum.

Scholas, praeter Illustres quatuor Fuggerorum liberos, ingenuosq. Augustanos, numerosa nobilitas peregrinorum illustrarunt. in his Dynasta Polonus Lucas Opuleuscias, Rhetorem in nostro gymnasio audiuit. Edita est Pontani progymnasmatum pars postrema, ad exercitationem puerorum, & eiusdem Poetica. Pauperum scholasticorum aucti prouentus, duarum matronarum testamento haereditate accedente. Illustris praeterea femina, non paruam pecuniae summam eleemosina adiecit.

MISSIONES Nonnullae.

DIEPARCHIVS vicus est altero ab vrbe lapide, huc circa ferias natalicias itum est; ac praeter vsitata munia Societatis, sacra consecrati agni cera, femina partus difficultate liberata, & aliae daemonum praestigiae sublatae.

Leder pagus est prope Landspergam decem milliarijs. Hic Lutheri haeresi totam olim Germaniã peruadente, à prisca religione desciuit, Dynastaeq. paruit haeretico ad hanc diem. Eum nunc pecunia coemptum suae fecit ditionis vir aeque pius, atque Illustris Iacobus Fuggerus. Qui vt est, & Catholicae religionis, & diuini cultus amantissimus, caeca eorum, quos in fidem susceperat, amentia vehementer angebatur; neque vlla ei maior cura imminebat, quam vt eos quacunque posset ratione, primo quoque tempore, ad verum Christi gregem reuocaret. nondum ab eis iusiurandum exegerat: quare caute, & pedetentim procedendum esse censuit. Consilio igitur cum patribus communicato, Sacerdotem impetrat, qui Lederem secum eat; populum pijs sermonibus demulceat, nouoq. dominatui popularium animos conciliet. Res cessit ex sententia. Die festo Apostolo Iacobo sacro, primam habuit ad eos concionem, qua quinquagesimum tunc annum agi declarauit, cum ab antiqua religione discessissent. Non sine diuina prouidentia factum videri; vt quo anno vetere diuina lege, rerum possessiones ad auitos dominos rediret, eodem ipsi ad vetus Ecclesiae Catholicae impe-

imperium, à quo quinquaginta annorum spatio aberrantes se subduxerant, quasi postliminio redirent. factaq. superiorum, & praesentium temporum comparatione; commemorata praesertim eius diei religione, laudataq. honorifice Illustrissimi Fuggeri, Apostolo, quem eo die colerent, cognominis, & aequitate, & egregia erga ipsos voluntate, ita commode in rem ipsam est delapsus; vt populus vniuersus panagium iusiurandum Toparchae detulerint. ille in presens vnum illud imperauit: omnes intra annum ad priscam, & Catholicam religionem redire: qui recusent, finibus excedere. Ita non pauci eo die, à Luthero discesserunt; referuntq. se in dies ad Ecclesiae gremium complures. Et vt intelligatur, quam portentosa sit haeresis; quamq. nullum finem in deterrima quaeque labendi faciat, erant in eo populo multi impuri, cuiusdam Svvenefeldij dogmate imbuti. Hi nullum vnquam templum ingrediuntur, nulla sacra (fortasse etiam ne baptismum quidem) nullos ritus, nullum denique seruant symbolum religionis. atque hoc ipsum est, quod primo loco cum maleficis diabolus paciscitur: & tum se maxime pios esse arbitrantur, cum pietatis indicia omnia longe ablegarunt. Haec hominum portenta, nisi mentem mutarint, solum vertere cogentur.

Campidunum liberum opidum est in Rhetia superiore, totum feda Lutheri labe inquinatum. Huc Augustanus Antistes Aduentu, & Quadragesima nostros euocauit. Miseranda omnino rerum facies: nulla prope, ne inter Catholicos religionis saltem adumbrata species: nullus prope sacramentorum vsus. priscae pietatis vestigia ita deleta, vix vt apparerent. Confessionis nudum nomen, rei

ne vmbra quidem ſuperfuerat. Formula vna omnes fere vtebantur, in pauca illa verba concepta. *Domine tu Dei, ego rei partes ago: rogo ſupplex, me peccatorum vinclis exſolue*. Verbum non amplius addebant. Vita, moreſq. qualis totius religionis cuſtos, & moderatrix paenitentia. Sacra templi veſtis ſordida, immundi calices popinam potius olebant, quam ſacrarium. Religioni primum fuit ſua reſtituenda facies, ſuus cultus reddendus. Ergo quarta, & ſexta quaque feria, per hebdomadam, ad concionem euocati, frequentes; frequentiores feſtis diebus conuenere. Sacrae confeſſionis primum neceſſitas, & ratio explicata. tum Chriſtianae doctrinae tradita praecepta: aliaq. ſenſim reſtituta, quae religionis negligentia euerterat. Inde magni, quadrageſima praeſertim, ad confeſſionem concurſus facti. Ludi magiſter rationem doctus tradendi vna cum litteris Chriſtianae pietatis rudimenta. Suſceptae de religione diſputationes, bonos in ſententia confirmarunt: aduerſarios, rubore perfuſos, dimiſerunt. Quinque tamen ex ijs ad noſtra ſe caſtra receperunt. Ea re magiſtratus haereticus permotvs, periculum veritus ſuarum partiũ, edicto vetuit, qui ſuae profeſſionis eſſent, ad noſtras conciones, noſtrorumq. colloquia accedere. Sed plus valuit apud ipſos concepta de noſtrorum doctrina opinio, & ſtudium noua diſcendi, quã lex. Ita non minus, quam ante, tum Lutherani, tum Catholici concionem frequentarunt.

Dietmanſredus vicus eſt non longe diſſitus à Campiduno. huc eiuſdem iuſſu Antiſtitis alter ex ijs, qui Campiduni morabantur, excurrit. Loci Parochus obierat; neque ita commode ei ſuffici potuerat. Hic tantam ſyluam inuenit; vt

aegre,

aegre, qui auitam religionem, & qui recentes opiniones sequerentur; immo vero, qui Christiani, paganiue essent, vix dignoscere. Ergo hic quoque eaedem artes adhibendae. Sed noua est obiecta difficultas. Agrestes enim primum terruerat legis seueritas; cum in confessionis sacramento, nihil reticendum esse, quod conscientia teneret, docerentur. Ita aegre ad paenitentiam adducebantur. At post quam vnus, & alter ausus est, Sacerdoti suam aperire conscientiam, incredibili gaudio perfusus, alijs animos addidit ad idem faciendum. Nam egressum e templo, populares, quasi e naufragio emersum, frequentissimi circumstetere, multis scisitationibus fatigantes; & an sibi quoque tutum putet esse, abditas animi latebras ei Sacerdoti palam facere. eo respondente, nihil se homine illo mitius, nihil vnquam humanius tractauisse; seq. inde pij gaudij plenissimum recessisse, facti animosiores, periculo se committere statuerunt. Et initio quidem paullo timidius, postmodum vero securius, penitus se agnoscendos praebuerunt, ita, vt vicus paene totus expiaretur. omnino, qui sacramentum illud obiuere, sexcenti in vico nec maximo, nec frequentissimo numerati sunt. Magna vitae, morumq. mutatio: ingens in omnibus, intimusq. sensus pietatis, frequens circa altaria comprecatio, & commodum res accidit tempori peropportuna. Aeger in extremo positus, ac paene iam depositus, à caelesti viatico statim melius habere coepit; breuiq. penitus conualuit. Quae res vanam agrestium suspicionem penitus deterfit. Persuasum enim ijs erat; simul, ac sacrosancta mysteria aegroti cuiusuis limina intrassent, omnino ei esse moriendum; ob eamq. causam Sacerdotem

noſtrum ab aegroti domo antea arcuerant. Nunc vero felici hoc euentu, omnium animi erecti, & vana exploſa ſuperſtitio.

COLLEGIVM Ratisbonenſe.

CLARAM alioqui per ſe, ac perilluſtrem, clariorem, celebrioremq. horum duorum, priore anno, Ratisbonam imperialia comitia fecere. Sociorum quoque labores, quaſi quodam excelſiore in loco collocatos tum auxere, tum etiam conſpicuos magis reddidere, Magno enim numero virorum nobilium, ac Germaniae totius Principum confluente, & longe plus operae in templo ponendum fuit, & ſcholae theatrum nactae maius ſpecimen ingeniorum, induſtriaeq. illuſtrius dedere, multis nobilibus ad nos ventitantibus, & ſubinde, tum Eccleſiam, tum ſcholas inuiſentibus. Nam ad tres ordinarias ſuperiorum annorum conciones, duae aliae per id tempus acceſſere, Latina vna ad Illuſtriſſimum Cardinalem Madrutium, ſummi Pontificis ad Comitia legatum: ad Maximilianum Bauariae Ducis filium altera. Vtraque, quoniam ea de cauſſa ſuſceptae erant, validiſſime Catholicae fidei dogmata confirmata, inaneſq. aduerſariorum errores confutati. Sed ad latinam non Principes modo, viriq. primarii, magno numero: ſed ipſi etiam haereticorum concionatores conuenere. Suſceptae etiam ab aliis, & e ſuggeſtu diſputationes, & priuatim cum ſingulis acres de religione concertationes; quibus ita defenſa ſtetit veritas, vt aduerſarii cum pudore obmuteſcerent. Hinc praeter multos, qui in recto ſenſu confirmati per-

ti perseuerant; alii qui id, quod non ante audebant, Catholicos nunc se profiteri non verentur; multi in errore pertinaces, veritatis lucem, veritatisq. assertores exsecrantur. plerique ingenio aequiore, dolent se perspectam amplecti veritatem, tum humano pudore, metuq. tum alijs impedimentis prohiberi. miseriq. non, vt debent animi sui imbecillitatem, sed condicionem horum temporum accusant, quibus veritatem licet intueri, libere suo amplecti non licet arbitratu. Octoginta tamen plus minus numerati sunt, qui varijs haeresibus, Lutheri maxime, relictis, ad Ecclesiam venere. exiguus omnino fructus; nec digne satis tantae contentioni respondens; sed non illud minimi faciendum, magnam Catholicae veritati auctoritatem accessisse; contraq. de falsi dogmatis opinione mirum quantum decessisse. Ita Lutheri mendacia, Luthero ipso teste, reprobata; ita illius in sacris codicibus mutilandis, corrumpendis, peruertendis, perfidia detecta; vt veritatis amatores laetentur, impij sacris Lutheri addicti disrumpantur. Sed non vtique semen totum, quod seminans seminauit, decidit in terram bonam; ne in finibus quidem Catholicorum omnes, qui rectam sibi cõmostrari probant viam, illam ineunt.

Porro ex ijs, qui ad Ecclesiam se recepere, adolescens ingenuus, in familia viri nobilis, & Catholici famulabatur (traduntur enim fere filij familias nobiles, qui vel ad militiam, vel ad remp. instituuntur, in famulatum clarorum nobilium; vt extra molliciem paternae domus, rebus duris assuescant, & mores nobiles condiscant) adolescens ipse in haeresi educatus, & ita in suo peruicax errore, vt, quemadmodum est aetas illa feruida, di-

ceret

ceret se malle toto corpore discerpi, quam ab ea, quam semel imbibisset, religione discedere. ita eius rei caussa e viri nobilis, quem sibi patronum adoptarat, domo se subduxit. Sed, vt est aetas improuida mutabilis, multaq. dies affert, & quotidianarum rerum vsus, quae aetas inchoata non suggerit; multa interim cognouit, quae non antea viderat: Ita eum aliquando e nostris vnus offendit in platea. rogat de religione quemadmodum sit animatus. Non abhorrere se respondit à Catholica religione; sed conceptam in patronum iracundiam coquere non posse. Enimuero tundendum ferrum ratus, dum canderet, capiti prius medendum esse duxit noster, liuore in praesens vlceris dilato. Ita cum adolescente egit, vt ad Catholicam fidem traduxerit. aggregato ad Ecclesiam, facile peccatorum confessionem persuasit: & quo die sacram Eucharistiam susceptit, cum patrono etiam reconciliauit. is nunc magna cum omnium admiratione, in fide constans perseuerat. Alter haereticis parentibus natus, fidem Catholicam semel edoctus, etsi sciret, se domi propterea aspera multa passurum; nihilo minus ita arripuit, vt ab ea profitenda nullis possit difficultatibus absterreri. Duo alij matura iam aetate, cognita per nostrum ex ipsius Lutheri libris Lutheri vanitate, victi, manibusq. datis fidem Catholicam amplexi sunt. Hos imitatus alius cum ad concionem nostrum dicentem audiuisset, & eadem sibi aduersantia Lutheri mendacia coarguentem, animo aestuans, petijt ea, quae in concione tractata essent, in ipsis Lutheri sibi libris demonstrari. quo impetrato, veritateq. perspecta, non modo se, sed familiam quoque omnem ad fidem Catholicam traduxit: filios quoque à scholis haereticorum

reticorum in nostram transtulst disciplinam. Catholicus adolescens in Saxoniam iter facturus, nostros consuluit, quibus artibus sine animi periculo in ea gente versaretur; monitusq. de periculis, in quae se conijceret, reiecta Saxonia, consilium cœpit Societatis nobiscum ineundae. Augustam igitur profectus, ibiq. in suo consilio confirmatus, voti tandem compos factus est. Matrona nobilis ita graui morbo premebatur; vt medici spem nullam facerent. suasere nostri, peregrinationem voueret ad nobile Virginis templum, & antiqua religione celebre, Oetingam. Abhorrebat ab ea religione mulier haeretica; sed, vt nullam aliunde spem vidit affulgere, amor vitae fecit consilium ne sperneret. paruit, & voti compos facta est.

In scholis praeter multa, & praeclara ingenij documenta, quibus multo carmine, alijsq. id genus argumentis Legatum Apostolicum exceperunt, illud accidit insigne: ardens Graecarum litterarum studium. pueri tenera admodum aetate, & inter se Graeca lingua disceptant, & aduenientes eadem salutant, alloquunturq. Sed in primis excellunt vtroque studio, & pietatis, & litterarum, vt solent vbique, Parthenij. Hi non modo suae quisque virturis, sed alienae etiam salutis, quantum cuique licet, curam suscipiunt. &, cum pios libellos domesticis praelegendo, tum rite confitendi rationem alios docendo, studeant omnes ad officium Christiani hominis hortari. Et sane apparet interdum Deum eligere infima, vt confundat fortia. Ex ijs vnus, & aetate, & mensura corporis pusillus, ita efficaciter homini haeretico integritatem suasit exomologeseos, vt is, & haeresim, & onus conscientiae apud Sacerdotem nostrum deposuerit.

Est

Est quidem adhuc recens, ac non ita pridem instituta sodalitas, sed ea cepit incrementa, vt non teneris tantum adolescentibus, scholas nostras frequentantibus, referta sit; sed graues etiam viri, Sacerdotesq. & genere, & dignitate clari, in eam sint adscripti. Ex ijs Abbatem Ordinis S. Benedicti apud Scotos, communibus suffragijs Praefectum elegerunt; qui & suo exemplo ad pietatem alijs praeluxit; & consilijs, hortationibusq. saepe habitis, aliorum studia multum inflammauit. Huic praefectura abeunti nobilis canonicus proxime suffectus est: quem spes est, non minore prudentiae, ac diligentiae laude munus illud obiturum. Nec desunt, extra nostros alumnos, qui nobis faueant. D. Administrator . . . . . nostri est in primis amantissimus. Venalem esse cognouerat bibliothecam viri nobilis nuper vita functi, omni librorum genere instructam; quam nobis peropportunam esse iudicabat: sed facultas minus suppetebat ad emendam. Monuit ea de re nostri Ordinis studiosissimus studiosiorem adhuc Guilielmum Bauariae Ducem. is florenos mille largitus est, quibus cum mille alios adieciſſemus, Collegio nobile omnium paene librorum accessit instrumentum.

* * *

COL.

COLLEGIA FRIBVRGENSE, Lucernense, Halense.

FRIBVRGENSES anni nonagesimi quinti litterae desideratae sunt. Anno nonagesimo quarto pestilentia laboratum est, ab homine peregrino illata: nunquam tamen intermissae scholae, neque frequentia desiderata: ea cura fuit magistrorum, is auditorum ardor ad studia. Sed, & de illorum exercitatione, & Partheniorum pietate satis superioris anni litteris perscriptum est. Illa huius anni propria relatu non indigna. Adolescens ab haeretico patre profugiens, ad nostram, tanquam ad asilum, confugiens disciplinam, Friburgum venit. Pater illum abstrahere conatus, iussus est Friburgi in studijs alere, vel inuitus. Alius ex haeretica patria huc studiorum caussa profectus, non diu nostra triuit limina, cum Catholicam veritatem est amplexus. Alius cũ fratre cognatos haereticos reuisens, non dubitauit in patria haeretica Catholicam religionem profiteri; obortisq. concertationibus, fortiter tueri. quin etiam quodam ceteris argutiore per lasciuiam, quasi anagrammatice in nomen Canisij ludente, subito in praedicantium, & ipse nomina pari ingenij felicitate eadem arte ludens audaculi lasciuientem retudit temeritatem. Sed, praeter scholarum fructum, septemdecim sunt ab haeresi traducti. Nec desunt, qui nostra institutione, imbuti pietate, studio incensi salutis alienae, socios se nobis nostrorum munerum adiungant. Rustica virgo à suo pago ad nos sacramentorum caussa saepe commeat; neque vnquam sine

comi

comitatu aliarum, quas ad sacramentorum vsum pio studio adducit. Nec desiderata vis est cerea agni effigie sacrati. Mulier partui proxima dies, noctesq. insomnes, infestasq. trahebat. ita stygijs torquebatur intemperijs, vt nec cibum capere, nec spirare, nisi aegre posset. Adducitur ab alia femina ad nostros: facta confessione, sumptoq. sacrosancto Christi corpore; applicita sacra agni plagula, tranquillatur; omniq. prorsus infestatione liberatur. Sacerdos alius, admotis, quas à nostris acceperat, sacris plagulis, tres nequam Spiritus exegit ex obsessa. Alius aliam eodem remedio à comitiali morbo liberauit. Feminae à confessione duo dati agni sacri; quibus & se, & filium à maligni infestatione tueretur: neque vltra vllam molestiam sensere. Aegrotum alterum morbi grauitas eo redegerat, vt loquendi facultate priuaretur; nec dum peccata per confessionem expiarat. eius vicem miseratus Parthenius Sodalis, frustulum sacrae cerae cum lustrali aqua aegroto in os infundit, addit preces, tantisper loquendi ei facultatem impetrat, dum peracta confessione, reliqua sacra mysteria obiret.

Lucernenses quoque Socij hoc biennio cum pestilentia conflictarunt; neque ob eam rem scholae vlla ex parte intermissae; neque eorum quisquam, quemadmodum, nec Friburgensium, desideratus est. Neque tamen auxilio destituti laborantes. Siquidem Sacerdos e nostris, vt reliquos integros praestaret, se vnum obiecit in discrimen, moriendi periculo contempto: ne saeua contacti lue extremo tempore suprema ope priuarentur. is egregium caritatis documentum praebuit, nullo loco passus operam desiderari suam. tantum, qui comes

illi

illi datus est, saeuae tabis hausto veneno, aliquandiu periculose aegrotauit; sed Dei tandem beneficio conualuit. Quatuor & quadraginta ab haeresi in stationem fidei Catholicae nostrorum opera se receperunt. In his affecta iam aetate senex, vitam prope omnem inter haereticos traduxerat. Heluetiorum vero Catholicorum consuetudine allectus, ac pietate emollitus, ab vno e nostris Catholicae fidei capita edoctus haeresim abiecit. Lutheranus alius suae sectae tenacissimus, Lucernam venerat, lucrum sibi quaerens ex suae artis opificio. Forte eiusdem artis socium habuit hominem Catholicum; ab hoc aegre tandem persuasus, ad Collegium nostrum, dumtaxat visendi caussa, nostrosq. salutandi venit. inita iam consuetudine, cum iterum, & saepius rediisset; atque à nostris Lutheranorum etrores, inconstantiamq. didicisset, eo coepit aestu mentis agitari; vt per noctem neque somnũ, neque quietem vllam caperet, donec sua sponte sectam pestilentem deserere omnino statuisset: is nunc cum socio sacra ritu Catholico in nostro templo colit. Ad carcerem nulli antehac neque nostrorum, neque externorum Sacerdoti patebat aditus ad reos, nisi quo die de iis supplicium sumendũ esset: idq. proprio huius ciuitatis iure: nunc demũ magno cum vinctorum bono, per nostros impetratum est, vt saepius, cum opus est, adire liceat. Scholae non fuerunt infrugiferae; siquidem priore anno adolescentes quatuor, tres posteriore Capuccinorum familiae; quatuor item aliis religionibus dedere. Et vt aliquid de B. Virginis sodalibus dicamus, mira viget in multis industria prauos naturae motus comprimendi; amor castimoniae in aliquibus singularis: vt voti etiam nuncupatione

suae

ſuae conſuluerint integritati: aſſidui in templis; in precibus feruentes: toto animi corporiſq. habitu ſtudioſe compoſiti ad pietatem. nec ſua plerique virtute contenti de aliorum quoque ſpirituali fructu ſunt ſolliciti. multos à viuendi licentia deterrent; alios ad pietatem adhortantur; rudes etiam & imperitos, quacunque data occaſione edocent, quae Chriſtianum hominem ſcire opus eſt. Ex his vnus Sacerdotio nuper inſignitus, quodam in vico, tam ſtudioſe Chriſtianae fidei praecepta explicat; tanto etiam pietatis ſenſu audiendis confeſſionibus dat operam; vulgo vt ab omnibus Ieſuitae nomine notetur. Hactenus de fructu. Nunc domeſtica. Amiſimus priore anno ſupremum huius collegii auctorem, & fautorem Ludouicum Fiferum, virum bellicis laudibus in primis clarum: ſed multo pietate, & in egenos liberalitate clariorem. Floruit etiam in patria multis honoribus. Templum nobis ſuo ſumptu à fundamentis excitauit, neque vllam rem tam habuit in votis, quam vt ipſum abſolutum, inſtructumq. cerneret. tum ſe laeto animo obiturum, cum nihil ad ſummam operis deſiderari intelligeret. Nam ad ea, quae ſuperioribus annis ſcripta ſunt, proxime paullo ante obitum, peramplam tabulam, quae mira picturae laude ſpeciem extremi iudicii refert, ad ornatum templi adiecit. ergo voti compos factus eſt, nam tum demum ad meritorum praemia in caeleſti templo capienda vocatus eſt; cum deeſſet iam nihil ei templo, quod extruxerat in terris. nec quamuis totus eſſet in opere abſoluendo, Collegii reliquam curam tamen poſthabebat: nam frumento, aliiſq. rebus magni pretii inopiam ſaepe noſtram ſubleuauit; vt taceā interim alia minora: neque minus ſe erga alios

egentes

egentes liberalem praestitit. speramus virum egregium egregiae suae pietatis mercedem iam tulisse.

Ciuitatis vniuersae, & ciuium singulorum veterem erga nos benignitatem experimur quotidie. Publica enim impensa pars aedium nostrarum, tredecim continens cubicula constructa est, vt xenia alia omittam, argumentum perspicuum beneuolentiae, & aestimationis in his locis non exiguae. Germanus frater Ludouici Fifferi praestanti animo vir, & nostri amantissimus florenos quadringentos dono dedit: è quorum vectigali perpetuum ad sacrum Christi corpus lumen ali possit. Ex eadé Fifferorum familia vir alius Senatorij ordinis casulam Attalicam pretiose ornatam templo dedit. Argentea quoque pyxis ad Sacrosanctam Eucharistiam condendam centum florenorum collaticia pecunia comparata. Minora alia tum Collegio, tum sacrario varijs anni temporibus data, quae collecta summam bene magnam explent, omittuntur.

Halensibus Socijs, praeter assiduam quotidianarum functionum operam, vtroque anno auctus est labor expiandi militis, qui ad bellum Turcicum huc subinde confluebat, Istro deportandus in Vngariam. Florentinae primum copiae, sequenti anno Pontificiae, tum Mantuani Ducis, aliaeq. Milites dum tantisper morabantur, quoad in nauibus imponerentur, magnam prae se tulere pietatis speciem, templa nostrum praesertim frequentando; & confessionis sacramentum obeundo: & si plerique, Pontificij praesertim, in aede Lauretana, ante suum e patria discessum conscientiam eluerant. Multi tamen fuere, qui vitae totius, alij qui annorum plurium contractas labes absterserunt, magna

tranquillitate animorum: vt prae laetitia multi dicerent, diuina sibi manu medicinam esse factum. Qua in re magno fuere nobis adiumento peregrini aliquot patres, Italici periti idiomatis; qui vel aliunde venerant, vel cum ipsis Pontificijs militibus proficiscebantur. Cum incolis vero omnibus Societatis nostrae muneribus eo fructu est opera posita, qui superiorum annorum litteris notus est. Hoc tempore interim illud additum: Cathechismi schola extra vrbem in vicino vico constituta est, & continuatur solito cum fructu.

COLLEGIVM Bruntrutanum.

SOCII anno nonagesimo quincto e Gallia electi Bruntrutam Collegij familiam per varia temporum interualla varijs incrementis auxere. Modo enim bini, modo quaterni, septeni modo, modo etiam numero maiore appulere: excepti pro copia, & ea caritate, qua tam cari sodales, tam dura fortuna conflictati excipi debuerunt; & e viae laboribus, aerumnarumq. magnitudine, vt in afflictis rebus mutuo suorum adspectu recreati. Aliquandiu substitere. inde alij in Italiam, in Lotaringiam, Heluetiamq. alij, N. P. Generalis praescripto, aucti viatico, datis itineris ducibus, cum litteris commendaticijs ad amicos hospites dimissi. Incidit illorum transitus inter hyemem, vernumq. tempus. Et cum maligne a re familiari instructi essemus; neque domesticum instrumentum tam multis eodem tempore hospitio sufficeret; fuere ex amicis viri pij, qui lectos vltro ad nos submitte-

mitterent, vnus ceteris opulentior, etiam cibaria subministrauit, & locum hospitio, quamdiu vellemus ipsi, commodauit. Ex ijs Sacerdotes tres, fratres totidem ad Octobrem vsque insequentem retinuimus. è quibus appetente hyeme, Patres duo in Germaniam dimissi sunt. Bruntrutani interim in sua colenda vinea laborarunt. Et vt omittam, quae nota sunt, ad exercitationem catechismi illa accesserunt hoc biennio. Quatuor in vicis promiscue iunioribus, senioribusq. doctrina Christiana explicata. Cuius cursum, etsi vastans finitima interrupit aliquandiu pestilentia; constitit nihilominus fructus operae: nam praeterquam quod omnis est aetas erudita, in pueris iunioribusq. videtur pietas egisse radices altiores, siquidem Christianae vitae praecepta non firmiter modo retinent memoria: sed illa etiam ad vsum vitae, morumq. emendationem transferunt. Affirmant illorum parentes filios iuramentis, procacibus vocibus, quae antea illis essent perfamiliaria, admodum sancte abstinere. Grandiores porro, catechistarum industria, ad sacramentorum frequentiam adducti, vt in vicis omnibus, quo nostri adiere, diuersis anni temporibus, nouo more, magno numero ad sacram synaxim rustici confluxerint. Id priore anno. Posteriore in vicum alterum duplo ceteris remotiorem catechismus translatus; eo feruet animorum zelo catechistes. Quin nisi tempestate prohibeatur, in reditu vicum alterum ex itinere informat. Redundauit horum laborum vtilitas, etiam in ipsos Bruntrutanos. Multi enim ex vrbana iuuentute tardiores in discendo, illa vtebantur excusatione; quod litteras ignorarēt. hanc vt illis caussam praecideret catechistes, rusticam plebem puerorum,

qui & ipſi litteras ne aſpexiſſent quidem, in vrbem euocatam, cum vrbanis imperitis, ac ſocordibus commiſit, ſed vrbanis certamen detrectantibus, ruſtici paeclarum ſpecimen ſuae diligentiae dedere. peritiſſimi quique inſignioribus donati imaginibus, aucti honore, laetitiae pleni domum dimittuntur, caſtigata notataq. vrbanorum ſocordia, ac negligentia.

Scholae priore anno perbelle floruerunt. prope enim quadringentos auditores numerarunt: in ijſq. e varijs Germaniae, ac Burgundiae coenobijs monachi vndeuiginti cenſebantur. Adoleſcens e tota iuuentute lectus eſt vnus; qui in noſtram coopta-retur Societatem. alter Ingolſtadium ad ſpatia philoſophiae decurrenda profectus, idem adhuc alit ſtudium. Poſteriore anno felicem rerum curſum duo grauia interturbarunt mala; bellum quo tota ciuitas fuit in motu, & grauis pernicioſaq. angina, quae ineunte hieme, non quidem vrbem totam, ſed teneram tantum aetatem, & eos maxime, qui litterarum ſtudia colebant, infeſtauit. tam ſaeua, vt niſi naſcenti mature valida remedia adhiberentur, triduo miſeros conficeret adoleſcentes. Et quidem initio, morbi malitia nondum obſeruata, duos momẽto paene bonæ ſpei nobis abripuit. Sed Dei beneficio, & medicorũ diligentia non immature malo obuiam eſt itum. Reſtincto morbo, & belli motibus ſedatis, reparatus eſt quoquo modo numerus; nam vtroque periculo depulſo, ad trecentorum ſummam, & triginta numerus peruenit. in his annumeratur Comes Oetingenſis. neutro tamen anno deſiderata eſt ipſorum pietas. Et quidem poſterior rhetorem alterum Societati dedit. Eſt eodem anno, Dei beneficio facultas impetrata,

e le-

e lectissimis quibusque discipulorum Sodalicium B. Virgini dicatum erigendi. Cuius primordia tam sunt felicia, vt laetissimi futuri fructus spem concipiamus. Augetur enim eorum numerus in dies. Huius vrbis Antistes cum Constantiensi, & Bisontino Episcopis, & Nuncio Apostolico scholas inuiserunt. salutati sunt in singulis classibus carmine; in suprema etiam excepti oratione, & Graecis, Latinisq. versibus. Sed Bisontinus cum aliquandiu Bruntruti substitisset, concionem habuit; qua collaudata honorifice Societate, Bruntrutanorum ample depraedicauit felicitatem, qui nostrorum praesentia, doctrina, fructuosoq. labore fruerentur.

Susceptae priore anno missiones variae, consuetos vbereſq. fructuum manipulos retulerunt. In Burgundionum fines sacerdos profectus, praeter auditas confessiones, praeter conciones, quarum fama ex remotis circa locis mortales, magno numero, exciuit, Sodalitatem constituit. S. Crucis inuocatione: in quam numerus ingens virorum nomen dedit: eiq. leges praescripsit, quarum summa fuit; vt execrationibus, diris obtestationibus, blasphemisq. vocibus, & ipsi abstinerent, & alios ab ijs quantum possent, reuocarent: darent operam, vt quos in sua habent disciplina, Christianae discant fidei praecepta. Sub vesperam diurna facta secum quisque reputet, recognoscatq. errata; solemnioribus anni diebus, ad sacras epulas accedant, & id genus alia nonnulla. Et quamquam vir opibus, & auctoritate potens, conatus est rem totam impedire; multosq. à nomine dando deterret: vnica tamen nostri Sacerdotis concione, omnem illius conatum facile discussit. reſq. tota adhuc belle admodum procedit. Siquidem qui à ferijs Pentecostes,

ad Calendas vsque Nouembres ad sacram synaxim conuenere, numerati mille sunt: cum ante ne vnus quidem per ea tempora soleret. Reditum est eodem iterum, ac tertio, accersitu fere Sodalium; & ingens numerus, ac supra quam credi posset, hominum confessione expiatus. Excursione alia tribus in opidis Germanicae habitae conciones; quibus illud effectum est, vt eius loci proceres de Collegio, & scholis Societatis in suis sedibus constituendis, serio nostros compellarint. edocti parochi fructuosam tradendae Christianae doctrinae rationem. Delemons est opidum Bruntruto dissitum dimidiati circiter itinere diei, ad orientem solem. Incolae tum opidi, tum Delemontanae totius praefecturae, quae late patet; voluntate quidem, & studio Catholici sunt, & Catholici nominis rituſq. amantissimi; Praelatisq. Ecclesiasticis obsequentissimi; cognitione vero, & doctrina neque Catholicos illos, neque dixeris haereticos. ita rerum quas Christianum hominem scire opus est, adhuc fuere imperiti. Neque mirum. Homines ferme sunt agricolatione dediti, & rei pecuariae. De horum salute sollicitus Reuerendissimus Princeps. petijt aliquem mitti de Societate; qui rusticam illam plebem erudiret. Missus verno ieiunio posterioris anni Sacerdos infractus ad labores, & ad haec munia à Diuina gratia formatus, quotidianis concionibus, catechismi exercitationibus, alijsq. tum priuatis, tum communibus collocutionibus, altam illam inscitiae rubiginem detersit. Quotidianae enim illius conciones, de legis praeceptis, de ratione confitendi, de signo crucis, de rosario, coronaq. precationum percurrenda; denique de rebus ijs, quibus tenera

aetas

aetas domestica, & priuata disciplina instituitur fuere, vt non tam praedicatorem aut catechistem, quam proprium cuiusque familiae nutricium, ac pedagogum agere videretur. Ita omnibus omnia factus, omnes Christo lucrifecit. denique eundem crebro incudem tundendo effectum est; vt, quid sit esse Christianum, iam intelligant. catechismi scholas multis in locis instituit; nullus omnino vt praetereatur, ne pueri quidem, qui in agris, & saltibus pascunt pecora, quin optime praeceptis omnibus imbuti, & sua quisque pensa reddant, & turmatim in ipsis agris inter se scholarum more decertent. Parochi quoque opportunis monitis, consilijsq. ad suos greges, hoc diuini verbi pabulo pascendos, communiti.

Ceterum Reuerendissimus Antistes pergit sua solita, non beneficentia solum, sed ampla in nos munificentia, suam prolixam, beneficamq. naturam declarare. Regia biblia, regium plane munus; alteriusq. generis libros multos nobis coemit. argenteum calicem cum patera, holosericas casulas duas, cum pluuiali; pictasq. tabulas ad ornatum templi, dono dedit. Soror vero ipsius lectissima virgo, domesticum nostrum instrumentum lectis aliquot, & puluinis auxit. Religiosae quoque familiae Antistita casulam item vnam cum Dalmatica, ac tunicella, ex rubro eteromallo, segmentis aureis distincto, cum tribus item Albis linteis dono dedit. Vir Senatorij ordinis octingentos nobis florenos legauit. quin adiecit eam legem testamento; vt si quid minus inter haeredes conueniret, totus as ad nos deuolueretur. fratrem alienae religionis cultorem, ab haereditate prorsus amouit.

OETINGANA SEDES.

DE Oetinga, Oetinganaq. Sede scriptum est accurate anni nonagesimi secundi litteris. Pergit clementissima Dei mater, in sancta aedicula, suam in dies gloriam, ope hominibus ferenda, declarare. Multi religiosum Diuinae Matris Sacellum ingressi, paenitentiaeq. ac Sacrosanctae Eucharistiae perceptis sacramentis, aut ab haeresi purgati, aut e profundo peccatorum gurgite extracti. Alij mali daemonis praestigijs, mortis periculo, alij insanabilibus morbis, desperatione alij, varijsq. difficultatibus liberati. Multi diuinitus admoniti, e vicinis, remotisq. locis hanc peregrinationem susceperе; diuinamq. matris opem, sibi suis in rebus adesse senserunt. multi vel voto tantum nuncupato aedis adundae, diuinorum beneficiorum compotes effecti. Quorum historiam referre singulorum, & si non ingratum, longum tamen esset, & suscepto negotio alienum: quibus tamen omnibus opera non defuit Societatis. Referam tamen vnum illud, quod magnam cum rebus nostris coniunctionem habet. Duo coniuges ita intestinis odijs dissidebant; vt ad illa sedanda veneficia adhiberentur: sed malo malum depelli neutiquam potuit. eorum alter votiuam hanc peregrinationē suscipit. aediculam ingressus, animum vt confessione expiaret, confessionales Sacerdotum sellas, rem tam conspicuam, in loco non amplo, cum tamen omnia circunspiceret attente, oculis deprehendere nūquam potuit. anxie miranti venit in mentem, magicas se notas in exsecranda cera secum ferre. abijcit symbola tartarea: tum, quasi caligine discussa, apparuere

paruere sacra tribunalia. adit animi iudicem, ab eo facta rite confessione, expiatur, consecratiq. agni particula donatus, tranquillitati mentis restituitur, & odium coniugij vertit in amorem. Haec diuinae Matris ope, nostrorum aliqua ex parte opera adiuncta facta sunt. Non fine eiusdem Matris, Christiq. Domini diuina ope illa facta, quae sequuntur. Ad nostram adiunxit se Societatem Sacerdos, philosophiae Magister, insigni praedicandi dono, & laude pareciae bene, diligenterq. administratae clarus. Haeretici aliquot hic quoque ad Ecclesiam adiuncti, sacris quoque commentationibus eiusdem coenobij professi vndecim, cum ipsorum Coenobiarcha, in nostris aedibus exculti. pluresq. aduenissent, nisi domicilij aedificatio, quietis cogitationibus molesta, impedimento fuisset. Id incommodum vt vitaret alterius Coenobij Antistes, vnum e nostris impetrauit; qui in aedibus Monasterij, certos ex sua familia eadem religione erudiret. Est etiam homini, vt apparuit, sathanicis intemperijs agitato subuentum. energumenum dixisses; tam inquieto motu corporis, gestuq. tam tetro vultu turbabatur. Sed, si minus insessum, circunsessum tamen à daemone fuisse, rei euentus declarauit. Accersitus enim Sacerdos vnus e nostris, minaci primum vultu, deinde etiam conuicijs, probrosisq. vocibus excipitur. Iubet noster à valentibus hominibus teneri: aquam benedictam capiti aspergit; collo consecratam agni ceram appendit; confestim furor desidet; neque multo post sua redit animo, corporiq. tranquillitas.

SEDES CONSTANTIENSIS.

QVAE vsitata alibi, in Constantiensi Sede, quia noua, praetereunda non sunt. Crescit in dies Constantiensium pietas. testatur ingens omnium ordinum ad nos concursus. Sacros Ecclesiae ritus, constitutionesq. pie colunt, ac venerantur. Ingens vt in vrbe, nulla ante nostra cultura tentata, numerus sacramenta obeuntium; vt neque Dominici, neque vlli paullo solemniores dies praetereant, quin accedant aliqui ad sacram mensam. Iam numerus eorum, qui per confessionem apud nostros expiarunt animum, priore anno ad sex millia, & centum sexaginta; posteriore vero ad totidem millia, & septingentos quinquaginta circiter peruenit. Et cum posteriore anno Iobeleum Pontificium, ad vim Turcarum auertendam indictum esset, qui nostris Sacerdotibus, paucis illis diebus, confessi sunt, centum duo & quinquaginta supra mille numerati sunt. Conciones ita studiose frequentant; vt solemnioribus diebus templum, alioqui amplissimum, multitudini capiendae sit angustum. Ieiunia, Ecclesiasticis legibus sancita, quasi nouo recens hausto spiritu religiosissime seruant; vt proxima Quadragesima Laniones haeretici questi sint, iacturam mercis suae, quod vitulos, quos ad epulas conciderant, distrahere minime potuerint. Neque minus, quam pietas, crescit in dies ciuitatis amor erga nos, Canonici nullare magis, quam nostra prosperitate laetari videntur. ciues reliqui in suis congressibus profitentur, se, si nostros hinc discedere contingat, eos lacrymis prosequuturos. Illi ipsi, qui initio aequiore animo

diabo-

diabolum se visuros, quam Iesuitam dicebant, omnium maxime nostros hic nunc esse sibi gratulantur. Et nihil tam illis est in votis, quam primo quoque tempore, gymnasium Societatis instituendae iuuentuti erectum in vrbe cernere. Quam rem, summi Pontificis mandato, vrgere non definit Comes Hieronymus de Porcia, Nuncius per Germaniam superiorē Apostolicus. eiusq. rei caussa conuentum habuit Abbatum: quo quindecim florenorum millia, ad Collegij fundationem decreta sunt. & illa erat hominum spes, breui futurum, vt Collegium Constantiae haberemus. Haeretici ad Ecclesiam venere prope octoginta, in ijs viri nobiles duo, non minus opibus, quam auctoritate primarij, & matrona patricia Constantiensis. Ex ijs qui se spiritalibus commentationibus exercuerunt, Sacerdos quidam parochus, nostrum amplexus institutum, Constantia Landspergam ad ponenda rudimenta missus est. Sacerdos alter, idem consilium suscepit. Bibliothecam quorundam canonicorum liberalitate, insignibus libris auctam habemus. sed praecipue legato vnius, centum circiter, & sexaginta Theologici libri nobis relicti. Aucta etiam sacra vestis pretiosis sacerdotalibus indumentis. Tentoria duo holoserica, & eorum alterum auro intertextum, ad sacrum Eucharistiae pegma obducendum, matronae duae dedere. Accessere & alia piarum aliarum liberalitate; peripetasmata tria, ad arae frontem vestiendā, serica alia, quibus gradus arae impositus ornetur: collata etiā ad ornatus alios pecunia: ad sacram supellectilem, argenti facti non parum: sacer calix, & Eucharistiae seruandae sacra pyxis, & cyborium circunferendae, vt interim alia minora omittantur. Ex-

cursum

cursum est subinde, variis anni temporibus, ad nobilium arces, ad Monasteria, vrbesq. alias, & opida circa posita. & vbique magna frequentia ad populum verba facta sunt: audientibus interdum, & curiose cuncta obseruantibus haereticis. Et cum in consecratione Sanctigallensis Abbatis, noster Sacerdos illuc euocatus, bis ad populum sermonem habuisset, haeretici cuncta, quae disputata sunt, probarunt: vnum illud mirari se, neque verum esse facile credere: quod de excellentia religiosi status dictum esset. nimirum neque praestantiam colorum, qui luscioſi sunt animaduertunt.

DOMVS PROBATIONIS Landspergensis.

AMISIT Landspergensis domus Rectorem suum, eundemq. longo iam vsu magistrum nouiciorum peritissimum P. Bonauenturam Paradinam; de quo mentio facta est in Collegio Monachiensi. Ac, nisi grandi sanctitate viri plus prodesse mortalibus solerent, cum, soluti corpore, purae mentes diuinam intuentur Maiestatem; damnũ plusquam mediocre dicerem, ad hanc Prouinciam, & per eam ad Societatem ipsam pertinere. Sed v etat pietatis ratio sanctorum virorum ex hac vita emigrationem iacturam nominare. At eius viri certe consuetudine priuati sumus, cuius & praesentia luculenta nobis omnium virtutũ exempla praeberet; & desiderium dulcem in maerore, tantae sanctimoniae memoriam in longum tempus duraturam, omnium nostrorum animis exsuscitet. Vtinam tanti patris liceat vestigijs insistere; quae ille, calcato

calcato strenue ad virtutem itinere, altissime nobis impressa reliquit. Magnus in eo viro fuit in Deum amor, pietasq. singularis: magna caelestium rerum cognitio, & despicientia humanarum: vt de Diuinis rebus semper, & perite loqueretur; & eo sensu animi; vt quemlibet, quamuis torpentem ad illarum amorem excitaret. Amor erga alumnos, & beneuolentia, quae à diuina caritate proficiscitur; quam intimam humanitas, & lenitas foris testaretur. Nam e tirocinio emissos eadem cura, beneuolentiaq. quocunque se conferrent, prosequebatur; vt communi omnium sensu, communis Prouinciae pater, & agnosceretur, & amaretur. Ita nulla sui cura fuit, totusq. e diuina pendens voluntate; & ea in Praesidum manibus animi resignatione; vt, quod paucis omnino, atque haud scio, an vni alij contigerit, nunquam vllius sui commodi caussa eos lacessierit; neue vna quidem quotidianarum petitionum, vt fit, interpellarit: quam ille solitus erat suam virginitatem nominare. Felix aequitate animi, ac magnitudine. Spectata praeterea in rerum administratione prudentia fuit; in tractandis hominum animis efficacitate singulari, ac solertia. nulli incommodo non feliciter, vel occurrit, vel medicinam inuenit. Quicquid aggrederetur tam perite, commodeq. in eo se exercebat; vt si nullo alio in studio tota vita occupatus esset. Tenuia huius familiae initia, exiguumq. vectigal ijs auxit incrementis; vt quam familiam ante non ita magnam aegre, ac maximam partem mendicato, eandem proxime auctam proprio vectigali sustentaret. Natus est in Hispania: Segobia illi patria fuit: in Societatem Romae cooptatus est, cum adulta iam aetate apud M. Antonium Columnam Cardinalem honesta

nesta condicione vteretur. Romaeq. cum primis, qui prima probationis domus iecere fundamenta, optimo illo tironum magistro P. Alfonso Ruizio Cordubensi sui, & ipse tirocinij rudimenda posuit. Nouem & viginti egit annos in Societate: e quibus sex & viginti in hac Prouincia consumpsit. Triennio Ingolstadiense rexit collegium: reliquo tempore nouicijs praefuit, Monachij prius; deinde, hac domo constituta, Landspergae. Quo tempore nostrae interim Societatis quatuor vota professus est. Et quidem cum vitam semper attentam egisset, accedente praesertim senectute, quae vt ligna caries, sic humana corpora sensim tabefacit, aliquot annis cum diuersis morbi generibus conflictatus, stomachi doloribus, insomnia; ea tamen fuit capitis, mentisq. firmitudine; vt oppresso corpore doloribus, par esset animus omnibus sui muneris functionibus. Duobus vero his postremis annis ex attrito corpore, nouis subinde morbis enascentibus; ijsq. magis in dies saeuientibus, lecto tandem affligitur. Quo tempore ad vltima se comparans, magno animi sensu, & lacrymis omnes praeteritae vitae noxas, ab vltima pueritiae memoria confessione expiauit. Et cum salubrioris caeli periclitandi caussa iussus esset Monachium deferri, in digressu tirones postremum salutauit; eosq. oratione, illa experientia & sanctimonia digna, ad officium hortatus est; qua quinque potissimum capita illis studenda proposuit, quae, vt illis gratum faciam, qui carissimi patris memoriam pio amore prosequuntur, summatim proponere non alienum esse existimaui. Primum rectam, sinceramq. in rebus omnibus, vt illius verbis vtar, intentionem commendauit, non tam enim quid, aut quantum, sed qua mente

quisque

quisque faciat, Deum intueri. Secundo loco studiosam ad Deum orationem: hanc esse fundam, qua sternuntur hostes: hac denique cum Deo nos arcta familiaritate coniugi. porro huic adiungendam alam alteram, mortificationem; omniumq. humanarum appetitionum compressionem. Tertio loco resignationem; immobilemq. animi aequitatē, ad diuinum semper imperium paratam; vt, cum extrema hora venerit, possimus audacter dicere. Domine, me tibi semper tradidi: cur traditum non etiam tua voluntate rectum putem? Mutuam caritatem quarto loco: postremo pium B. Virginis cultum, studiosumq. obsequium. Atque haec singula multis exemplis, sententijsq. copiose illustrauit. Haec, cum semihorae spatio peroraſſet, à cariſſimorum alumnorum complexu digressus, Monachium venit. Sed vt caeli salubritas intima iam affectis tabe acrior est, latentemq. morbi vim euocat ad extima, continuo certi interitus indicia apparuere. Interim à Sereniſſimis Bauaris salutatus, religioſiſſime illorum respondit humanitati. Mox ad iter illud irremeabile se comparans, hoc praeter cetera, felicem praedicabat eam, quae in Societate vita exigitur; quod vel nemo grauius in ea peccet; vel quantocyus peccata corrigat. III. Non. Octob. anni nonagesimi quincti supra milleſimum, ac quingenteſimum, aetatis suae sexageſimo secundo optatum melioris vitae principium iniuit. Funus ingenti hominum frequencia, etiam optimatum, & Senatus luctu cohoneſtatum est.

Admissi ad tirocinij exercitationes vtroque anno quaterni supra vicenos. Eorum vnius Pater Lutherana haereſi infectus, re cognita, ad filium periculo liberandum, vt ille dicebat, accurrit. Sed

admiſſus

admissus ad filij colloquium, varijs suasionibus nostrorum, posita sensim pertinacia, ad lucem veritatis oculos aduertit; vt non modo filij consilium probarit, sed haeresim quoque eiurarit; seq. cum Romana Ecclesia reconciliarit. Aes alienum, dum in studijs versatur, alius contraxerat. cumq. ea res impedimento esset, quominus in Societatem admitteretur, longo itinere contendit ad patrem, nobilem quidem virum, & prudentem, sed haereticum. ei consilium suum, & cuius rei caussa venerit, exponit. Aduersari initio pater: sed prudenti oratione filij placatus, praesertim iniecto metu, ne apud hominem Catholicum, cuius ille in comitatu vicem gerebat, offenderet; quatenus de religione agebatur, liberum esse filio permisit, quod vellet, faceret; pecuniam vero dare, ad hypocritarum instituta promouenda, religioni sibi esse. sed velle se patrem suum spiritualem ea de re cõsulere. erat hic haereticus minister; qui in vrbe haeretica non longe habitabat. Ad hunc litteras filio dat, non obsignatas. Cognoscit adolescens, nullam in litteris de suo consilio fieri mentionem. Ergo cum venit, hominem ad hospitium inuitat; & gentis more largioribus poculis exhilarat. exhilaratum nullo negotio in suam pertrahit sententiam; blandeq. illi persuadet, ad patrem, vt scribat, debere ipsum aes alienum filij dissoluere. Ita ille, accepta pecunia, qua creditoribus satisfaceret, omni liber impedimento, se contulit Landspergam. Difficilius in alio certamen fuit. Materna primum velitatione appetitus virili prorsus animo turbas muliebres elusit. Successit frater, vt sexu firmior, ita auctoritate, & prudentia constantior. Erat hic Ducis cuiusdam primarij Consiliarius. semel, & iterũ

remotis

remotis arbitris cum fratre venit in colloquium. Cumq. omnibus machinis adhibitis nihil proficeret, consumptis in altercatione horis aliquot, iratus, ac fremens cum impetu ex omnium conspectu erupit. Tertium praelium à propinquo alio, qui Sereniſſimo cuidam Principi erat à secretis, commiſſum est. Venit hic Sereniſſimi sui Principis litteris armatus; ternas quidem tulit, ad Praefectum vrbis, quibus eum Sereniſſimus rogabat, daret operam, vt nouicius, cum eo, qui eas litteras perferret, omnino rediret; ad P. Rectorem, à quo omni ope contendebat, adolescentem cum propinquo suo vt remitteret; & ad ipsum nouicium; quem pro imperio iubebat ad se Principem suum, ac dominum redire. Sane ingens aries his litteris menibus admotus. Sed turris fortiſſima nomen domini. Augebant impetum propinqui minae. Duos e nostro Collegio in vrbe sui Principis tunc esse. Futurum, vt, ni litteris Principis obtemperetur, tandiu illi cum summa ignominia custodia coërceantur, quoad adolescens apud nos retineatur: aliaq. insuper mala interminabatur. Enimuero praesenti, & constanti animo opus fuit. Vna modesta, & sapiens interrogatio omnes elatos illos spiritus deiecit, minas dissipauit. Rogatus an haberet in mãdatis illa nobis Sereniſſimi nomine denunciari; maluit vir prudentiſſimus pedem referre, quam temere prolabi. silentio enim satis indicauit, malle causſa cadere, quam in tam graui re sui Principis abuti nomine. Tandem post longum sermonem pacatior factus, infecta re discessit. Sed nihil tam torsit propinquum vtrunque, quam, quod facta nouicio discedendi potestate, nullis eum machinis vnquam potuerint inflectere. Haec priore anno. Poste-

riore, praeter ceteros, nouicij quinque e Galliae tumultibus, post longa itinera, variaq. incommoda in itinere exhausta, huc se receperunt. Eorum vnus Landspergam cum venisset, monitus ab eo, quem itineris comitem habuit, ac ducem; vt more Gallicae nobilitatis, supremam noctem amicis nobilibus large inuitatis, festa cum laetitia traduceret; hospiti, ad quem diuerterat, opiparam, ac sumptuosam caenam imperat: iubet argentum explicari: omnia ad quam maximum splendorem comparari. discedit inde conuiuas inuitatum. redit cum quinque pannosis hominibus senio, illuuie, sordibusq. obsitis. hos mensae adhibet, large inuitat, cibo, potuq. exhilarat. has sibi in vltimo suo à mundo discessu delicias conquisiuit. postremo, benigna strena donatos, perhumaniter à se dimisit. Postridie, ne quis rumor aliquam ei gloriolam cõciliaret, primo quoque tempore ad aedes nostras se contulit, nullo tam pij facinoris, ne nobis quidem indicio edito. res postea hospitis relatione palam facta. Alterius consilium Societatis amplectendae pater neque probabat, neque impediebat; sed fallendo extrahebat. Ea de re litteras dedit ad Socerum virum primarium; & magnis honoribus gestis Principum gratia, & opibus, & auctoritate pollentem; quibus eum rogabat, vti suam auctoritatem in ea re interponeret; nepotemq. ab eo consilio reuocaret. Is ita rescripsit, vt neque grauius, neque sapientius à quouis rerum humanarum, diuinarumq. peritissimo scribi posset. generum grauiter increpat, quod filium ad Christi vexilla properantem conetur auertere. Quin ipsum diuinae Maiestati gratias agere oportere; quod e sua prole vnus elegerit habitare in domo Domini omnibus diebus vitae

vitae suae. quam rem Propheta secundum cor Dei, vel ipsi Regno praetulit. Sibi quatuor esse liberos; nihil magis habere in votis, quam, si minus plures, vnus saltem, abiecta inani cogitatione humanorũ, veros IESV Discipulos, ac Socios (his ille verbis vtitur) imitandos sibi proposuerit. De praestantia Religiosae vocationis ita disputat, vt Theologum non desideres. De Societate nostra ita loquitur honorifice; vt & Diuinae bonitati gratias agere; & nobis tam verum, tam pium amicum, tantae auctoritatis virum gratulari debeamus. Atque ad nepotis confirmandum animum, exemplum earum litterarum ei transmisit. Et cum post adolescentem ascitum in Societatem, parens ex humanis excessisset, eas iterum litteras ad adolescentem dedit; quas nisi hic ad verbum exscriberem, mihi satisfacere non possem. & spero multis spectatissimi viri pietatis plenam prudentiam iucundam futuram. Ea scribam e verbo.

Cepisti viuendi rationem, qua neque sanctior, neque tutior in mundo esse potest. inuoca perpetuo Dominum Deum tuum, vt hoc propositum confirmet in te. Elegisti tu quoque sedere ad pedes Domini, conuersari cum sancta Societate Patrum: qui relictis retibus, piscibus, totaq. naui mundi, IESVM sequuntur; tantum intenti, vt sancta conuersatione Deo placeant; vt Ecclesiam à Philistaeis sana doctrina defendant; vt subcrescentem iuuentutem zelo religionis Catholicae, vna cum studijs bonarum litterarum, totiusq. philosophiae verae, non simulatae accendant. Quibus de caussis, si me auum tuum audies, nullis mundi illecebris patieris te ab ipsa Societate sancta, ad mundi retia vnquam reuocari: sed persiste, & obdura in proposito pietatis colendae. Hactenus

ille. ex quo quid boni sentiat de Societate, luculenter apparet.

Interim dum tironum virtus peregrinationibus, ceterisq. experimentis exercetur; veterani suis laboribus prosunt ciuitati, ipsa ciuitas grata liberalitate nostra prosequi officia non desistit. nam ad molliendum ad nostrum templum adscensum, cliuo, qui ad templi valuas erigitur, scalas latericio opere percommode adstruxit: erectis vtrique lateri parietibus. Aucta res familiaris, coempta sylua, & praedio suburbano: cui etiam continentes horti accessere.

***

PRO-

PROVINCIA RHENANA.

QVINDECIM familias recenſet Rhenana Prouincia, in totidem paene gentes, regioneſue diſtributas. Nam & cis Rhenum domicilia habet in antiqua Gallia in Vbijs, in Treuiris, in Nemetibus, in Moguntino, in Alſatia; & trans Rhenum in Franconia, in Butchonia, in Eisfeldia, in Thuringia, in Veſtphalia, in Saxonia, & Cliuia. In his priore anno capita trecenta quinquaginta quinque numerauit. e quibus Sacerdotes centum quadraginta ſeptem, Magiſtri non Sacerdotes ſexaginta tres; domeſtici laboris adminiſtri octoginta tres, nouicij viginti octo; quatuor & triginta, nondum ſacris initiati, partim Theologiae, partim Philoſophiae ſtudijs occupati, paucis exceptis, qui conſcientiae caſibus exercentur. Et, vt ſingulorum domiciliorum numerum ineamus, Cis Rhenum in Coloniẽſi Collegio fuere triginta octo, totidem in Treuirenſi: duo ſupra ſexaginta in Moguntino: viginti in Spirenſi: ſeptemdecim in Confluentino: in Molshemienſi duodecim: in domo probationis Treuirenſi cum tribus veteranis nouicij octo & viginti. Trans Rhenum Herbipoli quadraginta duo: Fuldae decem pauciores: quindecim tantum Heilingenſta-

dij: Monasterij vndeuiginti: in Residentia Paderbonensi tredecim; in Embricensi nouem: in Hildesiensi quinque: duo in missione Erfurdiensi. Idē fere numerus fuit posteriore anno; etsi aliquantum quidem imminutus, non magna tamen facta in singulis familijs varietas. Accepit haec Prouincia Visitatorem R.P. Paullum Hoffaeum, cuius in Prouinciam aduentus ad illorum praecipuum fructum redundauit, qui tanti patris fama commoti, & praesentem intueri, & de facie agnoscere peroptabant.

COLONIENSE Collegium.

COLONIAE diem suum obijt P. Ioannes Boulandus, ex Illustri ortus familia. cuius propinqui opibus, & Principum virorum gratia florent inter primos. sed eum non tam generis nobilitas, quam singularis pietas, & magna sui ipsius contemptio, quo magis latere studebat, eo illustrauit magis. Nihil aeque ei molestum erat, ac cum de sua familia sermones audiret. Inuisit illum morbo decumbentem Illustris Dynasta propinquus ipsius, omneq. genus humanitatis, more nobilium ei detulit: parata à se professus medicamina, medicos, ministros, quicquid ad curationem opus esset. Sermonem etiam intulit de matre, siquid ei nunciari vellet: Ad quae ita ille respondit, nulla se earum rerum indigere; vt tamen religiosa officiositate illustri propinquo satisfaceret: nec si sciret illa sibi esse vtilia, se ea cum religiosa paupertate, & officiosa sodalium caritate commutaturum. Ad matris

tris vero commemorationem, ita nullo sensu carnis fuit, aut sanguinis; vt eam non matrem, sed communi feminarum vocabulo nominarit. Ei tamen à se tantum nunciari iussit: Deum vt caste, & ex animo coleret. Ita ingentem animum, & religionis amorem admiratum virum clarissimum, propinquum suum ab se dimisit. Haud ita multo post Coloniam venit P. Visitator. hominem vi morbi afflictum, atque extremis proximum inuisit. Tum ille animo corpori paene extincto vires suggerente, magna cum omnium admiratione sese erigit; & generali pronunciata confessionis forma, solemnē Visitatoribus permissam Indulgentiam postulauit. qua impertitus Cāticum Simeonis, aliasq. pias precationes tandiu continuauit, quoad spiritu vocem sufficiente, verba formare potuit: voceq. destitutus, labiorum motu intimum cum Deo colloquium non ante indicare desijt, quam extremo reddito spiritu extinctus est.

Quod ad rerum statum attinet, duabus maximis difficultatibus nos Diuina bonitas expediuit. Erat in aere alieno Collegium tanto, vt tot, tamq. difficilia nomina dissolui posse, nulla spes subesset. Sereniſſimus Bauariae Dux, re cognita, tantum vno tempore contulit pecuniae; vniuersum vt illud debitum deleretur. Publicum praeterea ciuitatis huius Gymnasium eam susceperat actionem contra nos; vt maxime vereremur, ne quod graue damnum gymnasium nostrum pateretur. Sed Diuina fauente clementia, communium amicorum auctoritate, & arbitrio, ita omnis controuersia sedata; vt, quasi nobiscum conspiratione facta, nostra iura nobis integra reliquerint: & à nobis praeterea Emmanuelis grammaticam, quae nouarum rixarum

cauſſa fuerat, ipſi acceperint; & in ſuas ſcholas publico decreto introduxerint. Incredibile in nos odium eſt haereticorum. Vrit illos Collegij celebritas, & noſtra apud omnes gratia. Nemo enim paullo nobilior Coloniam appellit, quin noſtram aedem inuiſat; fermeq. confeſſione purget animũ. Fremunt, obganniunt: nec poſſunt non iniquo ferre animo tum alios ad nos ſacrorum cauſſa concurſus; tum illud maxime; quod catechiſticae puerorum, puellarumq. ſcholae religioſioribus diebus ad noſtrorum templum ab inſtitutoribus confeſſionis cauſſa ducuntur. Sed nihil magis torquet zizaniorum ſatores, quam cum aliqui ex impuro grege ad Eccleſiam ſe referunt: quorum plus centum priore anno numerati ſunt: poſteriore vero bene multi, nullus quamuis numerus definitus ſit. Ex ijs Anabaptiſtae quatuor ſolemni ritu ſacris aquis abluti ſunt. in ijſq. Virgo octo & viginti annos nata, fremente ſynagoga malignantium, honeſtiſſimo comitatu ad templum deducta eſt. Altera duodecim, tertia duo deuiginti annorum, quamuis reclamante genitore, exemplum primae ſequutae, ſacris aquis initiatae, dignam fide, quam ſequuntur, vitam inſtituerunt. Et quando de feminis ſermo eſt, vna à quinquageſimo milliario huc ſe contulit, tantum vt ijs, quibus tenebatur implicita, ſe laqueis exueret: laetitiaq. incredibili, quam ex perſpecta veritate percepit, itineris moleſtiam dulcem putauit. Alia hæretico tradita connubio, cõſuetudine ſenſim verã dedidicerat religionem: & haec quoque in viã reuocata. Virgines aliquot partim ſacris clauſtris dicatae; partim ad vota eadem inſtituuntur. Parthenia ſodalitas fert fructus ſuos, tũ quod ad doctrinã, tum quod attinet ad pietatem. Et ſane fecundus ager

eſt.

est. quadringenti enim ferme adolescentes numerantur. e quibus cum alij ad alias familias, quaterni vtroque anno se ad nostram Societatem contulere. Ciuitas bene erga nos est animata. Senatus, Consulesq. perspicue suae in nos voluntatis documenta dant. proxime aulam Collegij elegantius curarunt instaurandam: & ipsi rei non curatores solum, sed instigatores quoque accesserunt.

COLLEGIVM TREVIRENSE & probationis Domus.

TREVIRIS ciuitate Catholica, etsi pauci, nonnulli tamen ab errore ad Orthodoxam fidem reuocati. Accesere ad sacram supellectilem, & ornatum templi argentei calices duo, holoserica vestis candida auro intexta, & sacrae icones magni pretij. E discipulorum numero decem circiter varia se ad religiosorum instituta contulere.

In propriam probationis domum à Collegio seiunctam nouicij anno nonagesimo quincto primũ transmigrarunt. Rei familiaris angustia nonnullos excluſit, pietate, eruditione, & genere conspicuos: ne plures, quam ali possunt, admitterentur. Ex externa regione adolescens clam fuga se e parentum custodia subduxit; vt Societati, e cuius sinu ante abreptus erat, sese redderet: relictaq. patria, Germaniam petijt: maluitq. patrio caelo, quam caelesti patria priuari. Saxo praeterea nobilis item huc se contulit. eius exemplum sequutus germanus frater, in alia Prouincia in nostram se tradidit disciplinam. Pater vtrunque litteris in-

suscepto

ſuſcepto conſilio confirmauit. E tironum numero vnus poſt decem hebdomadarum morbum magno virtutum exemplo deceſſit.

MOGVNTINVM Collegium.

MOGVNTIAE anno nonageſimo quinto diem ſuum obiere tres: duo qui aliunde reparandae cauſſa valitudinis huc venerant: & Mathias Putſius: de quo, & de Henrico Putſio eius germano fratre, ſcriptum eſt litteris anni inſequentis in Collegio Colonienſi. compenſant quoquo modo iacturam duo hinc in Societatem admiſſi, alter artium Magiſter, ad domeſtica munia alter deſtinatus. Ab errore fidei ad veritatis lucem aliqui traducti ſunt: & in ijs duo verbi, ſeu verborum ante diſſeminatores. Viri feminaeq. tum nobiles, tum ignobiles longo itinere Moguntiam ſe conferunt ad nos ſacramentorum cauſſa. E quibus femina cum à Doctore ſuo rogaretur; cur tanto incõmodo peregre ſacramenta quaereret, quae commode poſſet in patria percipere: Quia, inquit, ſenex, qui ante te Antiſtitem agebat, differte negauit, neque ſe, neque quemquam veſtri ſimilem habere poteſtatem conficiendi ſacramenta. Ita miſeri ſuas amant tenebras; non vt ipſi ſe decipiant (norunt enim plerique ſuas fraudes) ſed quo alios facilius decipiant, ſe ab illis ipſis quodam modo decipi patiantur; & tales eſſe ſibi perſuadeant, quales ab ijs quos decipiunt, eſſe creduntur, nec ſe eſſe certo ſciunt: & illam, qua praediti non ſunt, perſonam ſuſtinere iudicentur.

Scho-

Scholarum, noſtraeq. diſciplinae fama e diuerſis haereticorum gymnaſijs, academijſq. adoleſcentes multos excitos Moguntiam attraxit. & hi ſenſim conſuetudine aliorum ex haereſi extrahuntur. vt proxime quidam Lutherana infectus labe, qui multa eorum gymnaſia luſtrauerat. Alius patria, parentibus relictis pauperem vitam, & ex paupertate morbos in mendicitate tolerare maluit, quam fidei ſemel noſtra diſciplina conceptae iacturam facere. Neque fidem ſolum, ſed ipſum etiam pietatis florem ſancte tuentur: vt muliercularum etiã procaciam à ſe repellant. quod cum alijs, tum vni praecipue e conuictoribus cõtigit, cum in patriam redijſſet. cui etiam acriter aduerſus impudentiam reluctandum fuit; aegreq. ex harpyae vnguibus euaſit. Sed in ijs, qui ad fidem reuocati ſunt, illud accidit inſigne, quod ingenioſi pueri opera factum eſt. Hunc e longinquo opido ad noſtrum gymnaſium miſerat haereticus pater: ſed ea interminatione, ne ſe ſineret à Ieſuitis papiſmo infatuari. hic condiſcipulorum conſuetudine ita ſenſim profecit, vt & ad fidem Catholicam, & ſacramentorũ vſum traduceretur: demum in Sodalicium etiam B. Virginis admitteretur. Non fefellit ea res parentem. Mittit qui filium domum reducat. data ſunt homini verba; & cum litteris ſine puero remiſſus eſt ad patrem. Pater quod tunc erat in promptu, negat filio ſe in ſumptum ſuppeditaturum. Interim puer, qua erat conſtantia, accurate ſcriptis litteris omnẽ conſilij ſui a Luthero diſcedendi rationem exponit. Pater, qui conceptam opinionem mordicus tenuerat, rationes alte non conſiderauerat, percepto ſenſu filii ex litteris, quod nunquam antea fecerat, dubitare coepit, verane eſſent, quae de Luthe-

ro à filio scriberentur. Rem igitur defert ad ministros. nempe ad vespertiliones: orat, vt sibi scrupulum eximant ex animo; & litteris filium studeant reducere. Ij rem suscipiunt sane confidenter: sed neque patri dubitationem plane absterserunt; & ipsorum litteras filius copiose confutauit. Coepit igitur pater filium lacessere, saepius ea de re vt ad se scriberet. Is e libris Costeri, & Echij petitis argumentis egregie paterno studio satisfacit. Euocat tandem filium pater. nec detrectat iam imperium puer, fretus bonitate causſae, & patris iam ex litteris cognita propensione. Pater porro veritus, ne si solus cum filio, iam nostrorum consuetudine exercitato, congrederetur, facile disputationum pedicis irretiretur, quatuor haereseos doctores adhibet ad conuiuium; & ex arce vicina virum nobilem Catholicum, qui puero praesidio sit, inuitat. ne auctoritate quatuor sophorum tenera pueri aetas obteratur. Illi postquam vino caluerunt, animosius, quam sapientius rem adoriuntur. quaestiones puero proponunt: ille admirabili promptitudine ita respondet, vt omnem exhauserit difficultatem. viciſſimq. ipsos de numero sacramentorum interrogat. Respondent, tanquam ex adyto prolatum oraculum, esse duo tantum. tum ille prolato in medium Lutheri catechismo, eorum doctrina ostendit, esse tria. ita prima pueri velitatione aduersarii prostrati. Rursus paullo post vrget eandem quaestionem: illi cum iam de priore sententia conclamatum esset, ad quem scopulum tempestate delati erant, ad eum adhaerescunt: respondent confidenter; illud esse tenendum, tria esse sacramenta. Atqui, puer inquit, hic Lutheri liber (& profert librum alterum) duo tantum esse asseuerat. Hic proclama-

clamatores egregii inconstantia victi,& rerum suarum inscitia deprehensi, quanquam alioqui verbis abundantes, & audacia, statua taciturniores haeserunt. Pueri pater, & nobilis ille aduocatus, qui huc vsque quieti spectatores certaminis steterant, continere se non potuerunt, quin vanissimos nugatores, tam facile à puero conuictos, explosos, irrisosq. domo exigerent. Ita qui initio amice, honorificeq. conuiuio excepti erant, bene poti ob suã vanitatẽ digna contumelia eiiciuntur. Victor certaminis puer non modo de aduersariis prostratis, & eiectis, sed etiam de patris salute triumphauit. nam Catholicae fidei praeceptis imbutum ad Ecclesiam traduxit. Ille haereticis libris eiectis, pios Catholicosq. de filii sententia coëmit. Ex omni scholarum numero laudatissimi sunt, qui in contubernio nobiscum viuunt: & qui se sodalicio B. Matris addixerunt. Euulgauerat fama, eos, qui in scholis modico fructu consenescunt, progressuros, si in nostrum contubernium admitterentur. Tentarunt id in filiis vnus, & alter, felici euentu. ea res ciuium animos exciuit, ad suos liberos in nostram disciplinam transmittendos. Ita conuictorum numerus factus est auctior: & quod mirere magis, Moguntinorum filii complures.

In templo nostro ara Princeps munificentia Reuerendissimi D. Stephani Veberi, nostri ordinis amantissimi, qui Moguntino Antistiti in sacris Vicariam operam praestat, quinquennij opera perfecta tandem est. opus & omni elegantia, & dignitate speciosum; & praestanti pictoris, sculptorisq. manu in primis laude dignum. ea rei totius dignitas est, is ornatus, vt vel ipsos aduenas alliciat ad se visendam.

SPI-

SPIRENSE Collegium.

TRIGINTA ferme annorum, quos in agro Spirensi colendo Societas insumpsit, non contemnenda seges hoc tempore apparet. Nunquam tanta apud nos sacramenta obeuntium multitudo. Et cum indulgentiae consequendae supplicatio per vrbem traduceretur, qui eam prosequerentur, bis mille & ducenti numerati sunt. vt ipsi Lutherani mirarentur, Catholici laetitia gestirent. quod totum Societati tribuitur. Siquidem primo nostro in hanc vrbem aduentu ita Catholici ritus obliterati erant, vt harum religionum vix tenuissimae vmbrae apparerent. In Cathedrali Ecclesia continuata est confutatio haereseon, frequentia solito maiore, & gaudio Catholicorum. Septuaginta septem anno posteriore ab haeresi reuocati sunt. multi etiam priore, & si numerus collectus non est. Ex ijs, qui disputationibus illis confirmati sunt, aliqui duritiam etiam carceris fidei constantia superarunt. Adolescentes duo opifices, alter non ita pridem ad fidem conuersus, alter ab haeresi auersus fidei praeceptis imbuebatur, à colloquio nostrorum digressi, cum in adolescētes alios eiusdem opificij, sed alienae religionis incidissent, ab ijs conuicijs lacessiti, altercari coeperunt. &, vt fit, cum incaluit animus iracundia, vni e Catholicis contumelioſum excidit verbum. quo ad magistratum delato, ambo in carcerem detrusi, diebus pluribus constantis fidei specimen dederunt. Emissi tandem, cum Christi discipulis gauisi sunt, pro nomine

mine IESV contumeliam se passos esse. eorumq. alter Societati nomen dedit. Alius, qui anno ante nostrorum opera ad fidem redierat, dum Praedicatorem nostrum à maledictis defendit, in idem crimen prolapsus poenas easdem subiuit. Haeretico patre natus alius, à matre, & auia Catholicis ab haereticorum Academia ad scholas nostras missus, in alterius ludi moderatorem Lutheranum incidit, à quo varie pertentatus, vt & à fide, & nostra disciplina discederet, cum in sententia persisteret, in domum ministri cuiusdam per dolum inducitur. Ibi rursus argumentis primum, deinde etiam conuicijs, & minis frustra oppugnatur, ipso omnia constanter refellente. Tum victi disputando haeretici, virgis, ac verberibus, quod rationibus non possent, ab adolescente conantur extorquere. Ac nisi ille animi praesentia, & ferro exitum sibi inde aperuisset, seuerum & iniquum in eum eo die magistri ius exercuissent. Vt vel ex hoc appareat, quam inquo ferant animo famelici canes, praedam sibi eripi faucibus. Praeco Lutheranae sectae eam, quam diu alibi docuerat haeresim, in nostro templo eiurauit. Hunc quondam vxor Catholica saepius increpuerat, quod pro concione petulanter nimiũ in Catholicos inueheretur; quos ipse non nosset; & ipsa probe sciret, longe ipso esse meliores. Permouere peruicacem animum crebrae coniugis reprehensiones, suam vt agnosceret impietatem. tamen vt ipse postea confessus est, septem ipsos annos, aduersante conscientia, pestilentiae cathedram conscenderat. Spiram tandem se contulit, nostroq. Sacerdoti ad concionem verba facienti dedit operam. cuius cum congressum peroptaret, verecundia prohibebatur. nam praeter cetera, librum contume-

tumeliarum plenum iam ante ediderat in Societatem . Quare in vicum extra vrbem se recipit. inde ad nostrum dat litteras : à quo factus securior , & maledicentiae venia nullo negotio impetrata , in nostrum Collegium excipitur . Ibi magna suppeditata copia librorum , comparatione Catholicorum , falsorumq. dogmatum , veritatem illustrius perspexit . diebusq. aliquot pijs commentationibus exercitatus , omni ante acta vita expiata , Ecclesiae Catholicae restitutus est. Haec cum haereticis .

Quid cum Catholicis proficiatur cum multa ex ijs, quae dicta sunt, tum alia multa declarant, quae quia similitudine nota iam sunt , omittuntur . Illud non vulgare fuit in hac gente . Virgines quatuor, cum muliere vidua ad secretam se Monasterij vitam receperunt.

Quod attinet ad domestica, non vulgare nobis reliquit exemplum religionis , & pietatis Balthasar Ercanus . qui lento , & insanabili morbo sensim cũ tabesceret , in ipso morbi languore,improbis etiam precibus Praesides lacessere non desistebat ; sibi vt operis aliquid mandaretur; saltem labores aliorum vt leuaret . Qui cum cognouisset futurum, vt valetudinis reparandae caussa e Societate mitteretur, contestatus est , confidere se, Deum ante permissurum, vt ex hac vita , quam e Societate excederet. Probata caelesti Regi pia vota . Nam, dum in sextum vsque mensem deliberatio trahitur , datum videtur eius precibus , vt morbus ingraueſcens consilia omnia praecideret; necessitatemq. faceret,eum ad finem vsque vitae , quem sanctissime obiuit, in Societate retinendi . Ad rem familiarem ducenti

aurei

aurei à Reuerendissimo Episcopo Suffraganeo in morte Collegio legati accessere.

MISSIO VEILANA.

VEILA Imperiale opidum est, & vicinarum ciuitatum federe, communi vtens iure libertatis. quod cum in ea regione sit, vt omnes federatae ciuitates haereticis refectae sint, vnum tamen id opidum fidem Catholicam aduersus haereticorum impugnationem & sibi, & alijs egregie defendit: nam praeter nobiles permultos, plus triginta in agro vici, eius auspicia sequuti, auitam religionem integram, illibatamq. seruauerunt. Huc tandem proximis annis eorum culpa, qui cum pastores esse debuissent, mercenarij esse maluerunt, Lutheranismi pestilens afflauit anhelitus, nonnulloq. ciuium, de Principibus maxime corrupit. inducta haeresi, turbata ciuium pax. populus & inter se, & à senatu, ob dissensionem religionis, capitali odio dissidere. Petiit Spirensis Episcopus, vt aliquis e Societate eo mitteretur. Profectus Sacerdos, ne quã in perturbata rep. seditionibus ansam daret, aliquãdiu consilium, cuius rei causa venerat, dissimulauit. Conciones habuit de pietate & moribus, ea modestia, & doctrinae sinceritate; vt opinionem de se concitarit, pacis esse amatorem. Gratus vtrique factioni fuit, tum Catholicis, tum haereticis. ita vt in demandanda pareciae administratione, Senatus hominem aduenam, & paucis tantum cognitum diebus, duobus alijs competitoribus, praeposuerit, nostri iguarus instituti. Catholicorum

postmodum rogatu coepit de controuersis quaestionibus disputare . quibus disputationibus illud effectum est; vt, & Catholici confirmarentur, & fluctuantes certa in sententia consisterent; quo in numero fuit alter consulum; qui Parochi superioris culpa vtranque in Eucharistia sumenda tuebatur speciem; tum Lutherani suorum concionatorum ineptias, & in absentes Catholicos conuicia pertaesi, coeperint & ipsi in tanta verae doctrinae luce, suae sententiae diffidere; multi, nostri congressum Sacerdotis, colloquiumq. peroptarent; multi conuicti manus dare cuperent: sed alterius Consulis haeretici auctoritate prohibiti destiterunt . Is enim per praefectos, & tribunos edixit, nequis protestantium cum Sacerdote nostro congrederetur. Abductis igitur haereticis, nostro cum Catholicis tantum opera fuit, praecipue in conciliandis viris primarijs, ac Senatoribus, & popularium animis cum Senatu, & Catholico dumtaxat Consule coniungendis. Ita Dei beneficio ea animorum conspiratio conflata; vt neminem sui in religione tuenda studij paeniteret. Inde res Catholica Veilae florere coepit. restituti in parochiali, & xenodochij templis, qui dudum interciderant, sacri ritus: vsus auctus sacramentorum: reuocata longo interuallo, ad bonum aegrotantium, cuius ne adulti quidem meminerant, extrema vnctio: repetita defunctorum funeralia, sacraeq. preces eorum manibus iuuandis: instituta catechesis: prolata à priuatis longo iam tempore abdita rosaria, cereiq. sacri agni: vespertinae preces, stataeq. aliae psalmodiae, tum supplicationes ad intra extraque pomeriana templa, tanto piorum concursu celebratae, vt non modo religioni sua restituta facies, sed multum etiam addi-

additum ad priſtinum decorem videretur. Secundum haec noſtro reuerſionis tempus iam obrepſerat. Gratiae illi igitur tum Catholicorum, tum haereticorum conſenſione à Senatu actae; cum honorifica laudum, & meritorum teſtificatione. Oblatus illi argenteus ſcyphus, argenteaq. crux, opidi ſymbolo inſignita, & larga pecunia. e quibus ille nihil accepit, praeter pauculos numos ad ſumptum itineris in reditu. Magna apparuere tum Catholicorum, tum haereticorum in eum beneuolentiae ſigna; magnae honoris ſignificationes exſtitere. Ita abeuntem lacrymis ciues proſequuti ſunt; vt in digreſſu certatim quique ad eum ſalutandum accederent. Illud ſui in opido reliquit deſiderium, eam de Societate opinionem, vt omnem contentionem ſe adhibituros teſtarentur, vt iterum & ſaepius eiuſmodi Sacerdotum ſibi copia fieret. Multa alia cognitu digna omittuntur, quibus in aliqua varietate rem verſatam eſſe intelligitur: ſed ex vmbris nulla certa lux elici potuit.

COLLEGIVM Herbipolitanum.

IN Herbipolitano Collegio magno patientiae nobis exemplo relicto, migrauit e vita Sacerdos vnus. Duo Sacerdotes in vrbem haereſi valde infectam à Catholicis euocati, praeter cetera diabocam Lutheri contra Miſſam diſputationem ita cōfutarunt: vt ipſi haeretici ad ipſa Lutheri ſcripta recurrentes, quod nunquam antea ſuſpicati erant, rem ita ſe habere deprehenderent. ita illorum ſpiri-

tus valde debilitati; & suos cum rubore & silentio errores, & nostrorum eruditionem, & religionis veritatem confiteri sunt coacti. Eorum doctrinae concionator ita suo dogmate non confidit; vt ad aegrotum accersitus, Sacerdotem Catholicum, nostri olim gymnasij discipulum, sacramentorum causſa ipse aduocandum curauerit; aduenientem cum honore acceperit, & magna significatione gratiae dimiserit. Vtinam non sicut tenebrae eius, ita & lumen eius; profitq. illi ad veritatem amplectendam tanta professio. Adolescens Caluiniano patre natus ad nos adductus, verae fidei doctrinam edoctus, & veram pietatem, & litterarum studia coepit colere. & cum antea Latinae linguae esset ignarus, magnos iam in eo studio proceſſus habet. Is nunc cum patre crebras, graueſq. sustinet concertationes: qui & per litteras, & per internuncios, viros graues, saepius adolescentis animum pertentauit. Proxime filium alterum submisit Iurisconsultum; qui nullum non mouit lapidē, pestifero ei etiam Caluini obtruso libro, vt eius voluntatem ad praua dogmata inflectat. Haec priore anno. Posteriore, septuaginta sex haeresis venenum eiecerunt, quorum illustrauit numerum vnus e praecipuis ministris Palatinatus Rheni. Is cum Baronis cuiusdam suasu Caluini communes locos e deprauatis sanctorum Patrum locis collectos, e Latino sermone in Germanicum ad multorum perniciem conuerteret; animaduertit eorum locorum sententiam cum sanctorum Patrum sententia, quā ex ipsis fontibus hauriebat, non congruere. Cognita igitur impostura, coepit de sua religione dubitare. Vocatus à collega in iudicium, tanquam haereticus, carceri addicitur, vexatur, bonis denique

nique exuitur. sed, appellato Caesareo iudicio, absolutus dimittitur. Is Spirae primum, dein Herbipoli nostri Sacerdotis sermonibus, & Catholicorum librorum lectione confirmatus, haeresi abiurata, ad Ecclesiam, Ecclesiaeq. sacramenta admissus est. Et vero in fidei professione tanto se perfusum esse sensu pietatis fatebatur, quanto omni retroacta vita nunquam. neque mirum: siquidem verae pietatis sensum nunquam habuit. Adolescens alius, cum quo superioribus annis saepius actum erat de fide Catholica suscipienda, hoc anno tandem se Romanae Ecclesiae adiunxit. Et vt illius constantia appareat, repudiatis honestis, ampliscondicionibus, sibi ab haereticis delatis, maluit in magnis rei familiaris angustijs degere inter Catholicos. & quo magis in fide integri sacramenti sub altera tantum specie confirmaretur, asseuerat, se non ita pridem e panis specie profluentem sanguinem vidisse. Baronissa Caluini exsecrandis sacris instituta, saepius Sacerdotem nostrum audierat ad concionem disputantem. haec vicina partui eum accersiuit; narrauitq. se integrum annum assiduis monitis diuinitus ad Romanam fidem amplectendam esse excitatam: varijs visis, etiam nocturnis per quietem inuitatam: sed diuersis hinc inde sententijs distractam haesisse ad hanc diem. Saepius secum ipsam, ac contra se disputasse: nunquam tamen inuenisse, quibus rationibus eas solueret difficultates, quas ipsa sibi ex eius concionibus obijceret. Ac cum de Catholica religione amplectenda cogitaret, laetam se ac voluptatis plenam; cum vero, verecundia deterrita, moras necteret; nube maeroris ipsius animum obduci, & in lacrymas vsque solui esse solitam. nunc tandem diuinam se

sentire voluntatem: petere proinde, vt in fide Catholica instituatur. Fidei praeceptis, quantum satis est, imbuta, octauo die in templo nostro haeresum abiuratione, & sacramentorum perceptione ad Ecclesiam Catholicam adiuncta est. Sed in hominibus à tenebris errorum ad veritatis lucem traducendis, egregium se nobis praebet adiutorem opifex quidam huius vrbis. Is in Bauaria Sodalitati B. Virginis iam ante adscriptus, postquam huc conceſſit, susceptam ibi consuetudinem pie viuendi, sacramenta crebro obeundi, de rebus piis semper, & legendi, & loquendi ita retinuit, vt omnibus admirationi sit. ad eandem sacramentorum frequentiam etiam coniugem adduxit. Instituit praeterea hospitio excipere Lutheranos, vt suis, & nostrorum sermonibus edocti ab errore abducantur. & iam sex circiter ad fidem Catholicam adiunxit. Idem gratuitum praebet hospitium adolescentis praedicantis filio: qui fidem Catholicam amplexus eo consilio tradidit se litterarum studio, vt vel in Societatem nostram, vel in Carthusiensium familiam admittatur.

De Partheniis sodalibus, praeter vsitata pietatis documenta hebdomada sancta edita, pauperibus conuiuio excipiendis, eorum pedibus lauandis, iisq. pecunia iuuandis, illud praecipue proponitur scribendum: fuisse inter eos, qui pietate multum, ingenio parum feliciter instructi, B. Virginis ope implorata, naturae tarditatem superarunt. Ex iis vnus, cum adhuc ante annos aliquot in humilioribus studiis versaretur, nec posset ingenii imbecillitate facile emergere, religiosam milliariorum aliquot ad B. Virginis aedem, & certum precationum pensum vouit; ita se adiutum sensit: vt & in studiis humanitatis,

nitatis, & philosophiae multis eorum, quibus natura benigne admodum fauit, anteceſſerit: & nunc inter primos, qui sub ipsum Theologici stadij finem decurrunt, numeretur. Et quoniam haec apprime sunt vtilia, ad iuuenum animis inijciendam pietatem, non me pigebit exempli. Adoleſcens notae satis, & perſpectae tarditatis, eodem vsus B. Virginis confugio, accuratius solito sacro Miſſae colendo sacrificio, sacriſq. myſterijs frequentandis, sanctiſq. obeundis precibus se dedidit. ita his studijs mentem excitauit, vt ad primos sui ordinis veniret; & praemia etiam tulerit inter primos. Quae cognita res multum condiſcipulorum pietatem excitauit: vt multi, praeter commune sacrum, quo scholae cunctae conueniunt, alterum etiam audire anteuerterent. Ex omni vero studioſorum numero quatuor diuerſis se religionibus addixere. Et quoniam votorum, & diuinae opis, per diuinam matrem impetratae mentionem fecimus, non omittam illa. Mulier triennio toto ita surda fuerat, vt nec clamores ingentes exaudiret. huic nihil aeque graue erat, ac conciones noſtri Sacerdotis, quas nunquam soleret intermittere, non audire. Haec tandem voto obito, eſt perſanata. Ex deſperata valetudine precibus, & B. Matris ope alius emerſus, & plurima studioſis pauperibus largitus eſt; & Sodalicij B. Virginis inſtrumentum auxit hydraula, & thecis elegantibus sacris reliquijs refertis.

Praeclara piorum amicorum extitit in nos benignitas. Curio opidanus noſtrorum opera vsus extremo vitae tempore suam nobis legauit bibliothecam. Nobilis Cathedralis Eccleſiae Canonicus florenos annuos legauit quinquagenos, quibus studioſis pauperibus emantur libri: quinquagenos

item ad vnum in Theologiae ſtudijs alendum; totidemq. in annuum noſtrae bibliothecae augmentum. Eximia pietate Sacerdos alius e ſuo inſtrumento magna vi argenti conflata, argenteum calicem, cum ampullis, & malluuio perfecta noſtro templo dono dedit; ac praeter alia domeſticis vſibus vtilia, adiecit etiam annuam frumenti menſuram; quae ſatis, ſuperq. ſit ad hoſtias ad ſacrificiũ conficiendas. Reuerendiſſimi Epiſcopi frater argenteum poculum inauratum, ad communicantium vſum; alius vir nobilis auratam caſulam addidere.

COLLEGIVM Fuldenſe.

TRES Fuldenſe Collegium miſit ad ſuperos, adiutorem vnum, Scholaſticum, & Sacerdotem; qui à primis huius Collegij initijs diuinae gloriae, & iuuandorum hominum ſtudio magnam ſibi hominum beneuolentiam comparauerat. ardenti pietate, & morum ſuauitate omnibus apprime carus. fuit autem in erudiendis catecheſi pueris & ruſticis labore indefeſſo. nomen eius requiretur à generatione in generationem. Ab errore ad fidem orthodoxam reuocati circiter viginti ſex: qui vna cum lacte haereſim exſuxerant. Neque in hunc numerũ veniunt ſcholaſtici; quorum eſt bene magnus numerus. Haſſus & nobilis, & locuples, quod filium in noſtram diſciplinam tradidiſſet, à ſuis ciuibus vexatus, coactus eſt ſedem mutare. Igitur Haſſia relicta, Fuldam conceſſit. profecto inde ſellam, quam inter Senatores in tẽplo habebat, iniqui

ciues

ciues diffregerunt. Quam iniuriam aequo tulit animo ille quidem; omnem tamen inde familiam Fuldam transtulit, & iam coepit in haeresi fluctuare, frequens est in aede nostra: magnam praeseferт in Deum fiduciam habere: breuiq. speratur ad Ecclesiam adiunctum iri.

Mirum fuit priore anno ex Academijs haereticorum magnam factam & scholis nostris, & pontificio nobilium Seminario accessionem. Duorum omnino adolescentium ad fidem traductio quanto difficilior, tanto fuit etiam illustrior. Ab infima ad humanitatis classem per gradus alter iam ascenderat; neque monitionibus vllis, vllisue argumentationibus à concepta prauitate deduci potuit. & quia commodis erat moribus, & spei bonae, tolerabatur: sed non potuit ad vltimum perspectae veritati refragari: sed timere se aiebat amicorum voces, & saeuitiam parentis: à quo verberibus crudeliter acceptum, se à scholis nostris abstractam iri pro certo affirmabat: magno suo vel animi, si pareat, vel fortunarum, si detrectet, damno. Fugam patere sibi nullam; nullas latebras, amicos nullos, quorum tutus patrocinio à patris se defendat violentia. Certum sibi tamen esse, veritati manus dare; sed orare patres, vt secreto se, paucis testibus ad fidei professionem, tum expiatis totius vitae noxis, ad sacrosanctam Eucharistiae admittant communionem. Nostri hac victoria contenti, adolescentem voti compotem fecerunt: & nunc prudenter patrē fallit veram colens pietatem; à quo impetrauit, vt Rhetoricae studijs decursis, ad Academiam Catholicam mittatur. Alter in Academia haereticorum institutus, & in ea gradum adeptus Fuldam venit; nostrum Sacerdotem germanum sibi fratrem, vt

inuise-

inuiſeret. peramanter fraterno officio perfunctus reditum parabat. rogatur, vt ſubſiſtat aliquandiu: eiusq. rei, datis litteris ad patrem, aegre aſſenſus extorquetur. Interim machinae ad expugnandum animum adoleſcentis adhibentur. Ille iuuenili ſpiritu elatus, acri ingenio munitus, fretus, vt rebatur ipſe bonitate cauſſae, & ſuis viribus; vt qui eſſe ſciret ſe non hebetem, certamen acriter excepit. plus tamen valuit verae cauſſae bonitas, quam vel acumen ingenij, vel doctrina infucata. Verſabatur in eo ſtadio libenter adoleſcens, non tam ſpe victoriae iam, quàm melioris boni ſi vinceretur, reditu tantiſper in patriam dilato. Pater eius interim in circulis à ciuibus capi, in pulpitis à concionatoribus morderi coepit; quod hianti inferorum oſtio vnum e filijs iam pridem obiecerit (S. Patricium audite, Hibernis inferorum oſtia pandentem) nunc non ſatis ſibi iratum numen arbitrari, niſi in idem barathrum e filijs alterum deijciat. Quibus conuicijs victus pater, mittit cum litteris, qui filium reducat. Frater cum retinere diutius non poſſet, quatridui moram impetrat, quo tempore ſacris commentationibus erudiretur. primus, alter, tertiuſq. dies prope inanes abiere: quarto demum die diuinam intuitus eſt lucem: Catholicaq. fide communitus redijt ad ſuos. communi omniũ laetitia excipitur. Miniſter verbi Lutherani, qui inter eos alpha penulatorũ habebatur, ei ſe inſinuat, aduentum gratulatur, hortatur ad ſtudium; libros obtrudit, operam ſuam profitetur (diceres alterum magnum Ariſtarchum) ſuadet; vt exacta hieme in clara aliqua Academia, aut Herbornae, aut Marpurgi ſuae doctrinae atque ingenij ſpecimen edat. Quod conſilium ita probauit adoleſcens; vt illa-

rum

rum pertaesus Academiarum, Fuldam redierit; atque inter Catholicos ritu Catholico viuat, contempta coaxatione ranunculorum. Multorum pectori ita diuinus amor, & vera Catholicae religionis fides adhaesit: vt cum à domesticis vexentur; & procacibus, impijsq. verbis, & irrisionibus in sanctos caelites, sanctaq. Ecclesiae mysteria lacessantur; malint totos dies nostro templo affixi, cibo, conuictuq. suorum carere, quam tantam religionis contumeliam auditu haurire. Pontificium nobilium Seminarium floret, vt cum maxime pietate: sed excellunt, qui in Sodalitate B. Matris sunt adscripti. Quadragesima extrema praesertim eorum multi nullum perfectae religionis specimen omisere: nam & cibum in caenatione pauimento appliciti sumpsere: voluntariam inediam sibi indixere: ad vilissima etiam se culinae ministeria demisere. quin etiam extra domesticos parietes eorum se effudit pietas. vt ieiunij diebus extra vrbem in vicinis pagis mendicato sibi cibum quaererent. mitto cilicia, flagra, duritiam cubilis, aliaq. id genus vsitata: quibus multi se etiam supra aetatis captum afflixere. quae in adolescentibus nobilibus, molli cultu educatis, &, quod plus est, in haeresi à prima aetate institutis ab ingenti amore erga Deum proficiscì necesse est. Multi praeterea ad varias se religiosorum familias contulere: neque desunt, qui vt in Societatem admittantur, postulant. Illustrissimus Princeps Abbas nostri Collegij fundator pergit erga nos consuetam animi propensionem declarare. Drama illi datũ in arce ita placuit, vt actores singulos pijs munusculis affecerit. Ex aerario publico Caesarea Maiestas ad Collegij inopiam leuandam florenos mille iussit attribui: speramusq.

hanc

hanc eleemosinam in annos aliquot perpetuam futuram. Magistratus etiam materiam ad scholarum fabricam reficiendam suppeditauit.

COLLEGIVM Heilingenstadiense.

DVOS e nostro numero Collegium Heilingenstadiense misit ad superos posteriore anno, Ioannem Copium; qui humanitatis studijs aliquot annis praefuerat. Is dum reparandae valetudini medicorum consilio mittitur in Vbios, ingraueſcente morbo, coactus ex itinere Moguntiae subsistere, & spem, quam egregia eius fecerat indoles, praecidit; & nobis magnum sui desiderium reliquit. & Hermanum Molitorem. hic annum agebat in Societate vndetrigesimum; domesticorum laborum, etiam defecto corpore, egregius perpessor: animi candore, & submissione omnium ordinum hominibus apprime gratus. quod non Catholicorum tantam, & vrbanorum, sed haereticorum etiam funus prosequentium lacrymae testatae sunt. tum rustici huc ad nundinas euntes, quos ne famam quidem audisse eius mortis putabamus, multo gemitu, & querimonia religiosissimi, atque humanissimi hominis desiderio indoluerunt. Creuit Dei beneficio piorum numerus. vt priore anno circa Christi incunabula ad sacram mensam septingenti circiter accesserint. In ijs Reuerendissimus Episcopi Vicarius: qui, antequam de sacro altari communicaret, calicem obtulit multa caelatura pretij permagni, adiectis litteris: munusculum se Iesu puero offerre, Virgini Matri, & Societati filij

eius:

eius : cupereq. diebus celebrioribus illo summo Deo sacrificari ; suiq. peccatoris, ac terra indigni, à sacrificantibus fieri mentionem. Triginta haereticorum castra deseruere. Quatuordecim diuersa loca extra vrbem per Quadragesimam catechismo lustrata sunt. Duo homines e mali daemonis erepti potestate. Iurarat quidam, se nunquam sororis suae domum intraturum ; si faceret, daemonis se addicere potestati. haud ita multo post oblitus exsecrationis, intrat ; sermones, vt ante familiariter miscet. inde digressus, cum domum per agrorum solitaria rediret, propolam in ea solitudine offendit, magnam vim mercium variarum exponentem, atque vt emat inuitantem. miratus non sine aliquo horrore rei nouitatē : negat libēre sibi quidquam ex ijs rebus emere : neque se satis pecunia instructum esse. tum praesto adest larua altera pollicens pecuniam. Tum manifestius tartareae insidiae detectae. Et quia iam ante acceperat, alibi eiusmodi saepius propolas, & institores esse visos ; &, qui ab ijs argentum accepissent, à malo daemone fuisse agitatos, pecuniam etiam recusat. Multa igitur illis deferentibus, aspernatus omnia discedit. Non diu domi fuerat, cum repente per aerem abreptus longe sistitur in sylua. iterum pecunia offertur. aspernatum iterum per saltus, & auia raptant : ad praeruptam rupem adducunt : minantur se eum inde deiecturum, ni seruituti se addicat illis in quinquennium. affirmat, mortem sibi fore ista seruitute leuiorem. tum subito magna vi alliditur ad terram. ereptus tandem ex eorum manibus parochum consulit : parochus nos adire iubet, ipseq. cum altero vna proficiscitur. Mirum quot obiecta ei sint à tartareis potestatibus impedimenta :

dimenta: oneribus miserum grauabant; insidias à comitibus minabantur; speciem etiam conflagrantis vici non ipsi modo, sed etiam comitum oculis obiecere, vt ad opem incendio ferendam ab itinere auerterent. Sed his quoque difficultatibus diuina ope superatis, paenitentiae sacramento, & sacra Christi corporis perceptione persanatus incolumis domum remittitur. Hercineus alius daemone & haeresi occupatus, opis petendae caussa venit ad nos. & forte quadriennio ante eodem oppressus malo germanus eius frater à nobis idem petierat; sed quia obstinatus in haeresi mentem mutare noluerat, nil opis ei latum est. monitus est hic fratris exemplo, nisi abiecta haeresi, spem nullam incolumitatis supereſſe: ille, se omnia abijcere, & in nostra futurum potestate pollicetur. Ecclesiaeq. Catholicae adiunctus, pristinae quoque sanitati restituitur. Distat hinc ciuitas, aula magni Principis percelebris. in ea ne scintillam quidem antiquae religionis supereſſe putabamus. Venere inde aliqui ad nos confessionis caussa. ab ijs supereſſe ibi adhuc exiguum quendam Catholicorum cetum compertum est. Illorum igitur inuitatu illuc itum est; aures confitentibus datae, confirmati in fide, & ex alienis vnus ad Ecclesiam adiunctus. Venit ex eadem vrbe ad nos Hebraeus adolescens baptismum petitum. & quod Iudaeus nullus sine risu faceret, maiores suos e tribu Leui proficiscì satis audacter affirmabat. Rem nostri deferunt ad Reuerendissimi Principis Vicarium. Ille hominis genus, mores q. sagacius perscrutatus, comperit bonum Leuitam patre fure natum, patris artibus, fallacijsq. assuetum, anabaptismo infamem, mendacijs, & imposturis rem augere. Haec per nostros adolescenti

solo

solo palam facta : ille satis confidenter : meras esse nugas Iudaeorum , & mendacia intestino in Christianam fidem odio contra se conficta . potuisse se Casselijs à supremo verbi praecone delatum verbis amplissimis Baptismum obtinere : sed noluisse ex feda aqua emersum se adhuc fediore inquinare. Tamen male sibi conscius, rumorem veritus suorum scelerum, Hildesium ad Henricum Heshusium, ministrorum Superintendentem, nobis in ea vrbe oppositum confugit . Heshusius repente vero incessit omnibus laetitijs ; nimioq. gaudio efferebatur ob proselitum hunc Catholicis ereptum Iesuitis . Sed reliquum fabellae (si fabella , vera & ridicula probrosoe rei narratio dicenda est) litteris anni insequentis in Collegio Hildesiensi continetur .

MISSIO ERFVRDIENSIS & Hildesiensis .

CATHOLICI , qui Erfurdij morantur, pergunt, vt iam ante cœperant, nostro ductu pietatem colere : sacrosancta mysteria apud nostros frequentare . Nec defuere , qui huius rei caussa ex vrbibus haereticis longo itinere ad nostros se contulerint . In his studiosi aliquot , ex haeretica Academia , diei itinere hinc dissita . Ad hos se haereticus adiunxit adolescens ; qui eo perductus est ; vt breui speremus , ipsum inde in Catholicam Academiam se rranslaturum . Adolescens Catholicus , qui ei dux fuerat itineris, ad Academiae Rectorem vocatus est ad caussam dicendam . crimen erat : quod adolescentem Euangelij luce collustratum peruertendum, ad Iesuitam, Erfurdum adduxisset.

& quod

& quod ad caenam (Hecates fortasse) ex Academiae legibus, & parentis mãdato statis diebus non accederet: denique quod sacramenta, sacrorumq. cultum contemptui haberet. ò praeclari Ariopagitae. Quibus ille criminationibus ita satisfecit; vt nec timore veritatem reticeret, & impune iudicio mitteretur. Haec ibi. Erfurdi praeterea septemdecim ab haeresi emerserunt. Feminae cuidam ad auitam religionem ne rediret, propinqui diu obstiterunt: vicit tamen veritatis amor peruicaciam. & nunc hebdomadis singulis, longe distet licet à nostris aedibus, ad nos sacramentorũ caussa se confert. Pestiferi libri e quibusdam bibliothecis, monasterijsq. sublati. Haec in alijs vrbibus contemnenda esse scio: sed in corpore vlceroso integra tueri magnum est: multo etiam maius id, quantuncunque paruum, quod à vitio vindicatur.

Ab anno octogesimo octauo ad nonagesimum quartum, huius biennij priorem Hildesij nobili vrbe Saxoniae sedes paucis e nostris fuit, e Collegio Heilingenstadiensi Missionis nomine ibi versantibus. Occasio mittendi litteris anni octogesimi octaui scripta est. Munia Societatis in medio nationis prauae strenue toto hoc tempore exercita. Reuocati hoc priore anno ad Ecclesiam Catholicam septemdecim. Quod quantum sit, e turbis, quae postea sequutae sunt, intelligetur. In arce Reuerendissimi huius vrbis Antistitis magnam anni partem à nostris conciones habitae, & sacrae celebrata. sublatae haereticae cantiones, Catholicaeq. restitutae: & pia alia, magna illius familiae voluntate & probatione, inducta instituta. Laxata quoque nostrae sedes habitationis, illis maxime

auctoribus, qui ante aduersabantur. Aucti etiam annui prouentus viri cuiusdam liberalitate, nostri ordinis amantissimi.

Adhuc Hildesiana Missio sub regimine Heilingenstadiensis Collegij fuit. anno huius biennij posteriore, Dei beneficio, propria sedes facta est; & speciem quasi Collegij accepit. ita res posterioris anni, & sequentium seiunctae ab Heilingenstadiensibus referentur. Cuius siue Sedis, siue iam Collegij futuri, quo fuerint initia turbulentiora, & aduersariorum violentia infestiora: eo sperandum est progressiones futuras laetiores. Dabit id bonorum omnium largitor Deus.

RESIDENTIA Hildesiensis.

HILDESIENSIS Sedes cum hoc posteriore anno primum sui quodam modo iuris esse coeperit, & iam proprio regimine contineatur; multa quoque accepit incrementa. Primum aduentu P. Prouincialis duo coadiutores formati facti sunt, votis publice in templo nostro nuncupatis. Auctus est numerus nostrorum ad octo capita, cum antea fuissent non plus quinque. aucti quoque prouentus ad maiorem numerum alendum: & docendae iuuentutis factum aliquod initium. Duos habemus in hac vrbe e Catholicis amicos optimos, & constantissimos, Hermanum S. Gotthardi Abbatem, & Albertum Buschium Episcopi procancellarium. Horum summis conatibus effectum, vt proximis Ratisbonensibus comitijs per Apostolicum Legatum census Praepositurae suburbanae

in Societatē transferretur. e quo annui taleri octingenti colligentur. Ijdem eodem ſtudio id agunt; vt eiuſmodi otioſa Sacerdotia ad conſtituendum iuſtum Collegij vectigal conferantur. A P. Prouinciali Cathedralis Eccleſiae Canonici duos pueritiæ magiſtros impetrarunt. Sed propter haereticorum in hac vrbe dominatum, viſum eſt, ante vna infima grammaticae ſchola periculum facere. ea circa Paſcha initium habuit. diſcipulos ſtatim numerauit ad ſexaginta. Mirum quantum vna haec puerilis ſchola duodecim Lutheranos clamatores perturbarit. Fremunt contra nos; quotidianis nos conuicijs e cathedris exagitant: preces, ſupplicationeſq. ad noſtros conatus prohibendos, impuri pietatis vindices indicunt: iuuentutem verborum, verberumq. metu noſtro prohibent congreſſu: Senatum apoſtolica videlicet monent libertate, malo obuiam vt eat. recenſent, quot ſuperioribus annis noſtrorū opera à Lutheri euangelio receſſerint. ni mature prouideatur, breui totam ciuitatem ad veterem S. Petri religionem poſtliminio redituram: Lutherum, tanquam inutile vmbraculum à Chriſti fidelibus deſertum iri. Deus e vana Cayphae ſede prolatum vaticinium ratum habebit. Neque reliqua ciuitas melius in nos affecta, quam miniſtri. Nullus magiſtratus, nullus Senator non haereſi deprauatus, ac nobis infeſtus eſt. Scholarum in primis proceſſibus inſidiantur. diſcipulos aduenas ciuium hoſpitio, pauperes ſtipe emendicanda prohibent. Praeterea mortuo Selneccero, Antiſtite iniquitatis nobis infeſtiſſimo, Tilmanni Hetshuſij hominis ſeditioſiſſimi filium nobis obiecerunt. de cuius & patris violento ingenio inſequentis anni litteris non nihil ſcriptum eſt. Sed

vt

vt huic furere liceat aliquandiu; non tamen effugiet diuinam vltionem: manet illum, nec longe aberit sui poena sceleris. exspectentur litterae anni nonagesimi septimi. Veteres praeterea ludi magistros, tanquam minus efficaces, & nimis segnes nobis aduersarios submouerunt; nouosq. robustiores, & acriores ad nostros conatus euertendos subrogarunt. Accedunt nihilominus subinde eorum discipuli; nostrorumq. pro foribus spectant exercitationes modesti, & attenti; atque admirantur. Et ex ijs vnus, quanuis tenuissimae fortunae, ausus est ad nos transire. In hoc, quasi scholarum cardo verteretur, ingentes turbas ministri excitarunt. Submissi cõdiscipuli, qui defectionis causas exquirerent; referunt ordine, diligentiaq. docendi multa attractum esse. Quod cum magister, homo minime malus accepisset, asciam cruri sibi illisit; & suo se suffragio deiecit. Professus enim est, eandem se diligentiam adhibiturum, si sibi permittatur à senatu. pietatis plena defensio, & tenera aetate pueris non improbanda. sed certe se deteriorem fassus est, & mucro plumbeus cum ferreo pugione de acumine contendit. Neque vrbanos Hildesienses magistros vna haec rudimentorum schola perculit: sed extra quoque ciuitatem ad vicina loca, circunjectasq. vrbes, & Prouincias se fama diffudit. Conciones continuantur, nec sine fructu. septemdecim ad Ecclesiam Catholicam adiuncti sunt, totidem, quot superiore anno: & communicantium numerus ducentis maior fuit; Ex remotissimis locis, vbi vigent adhuc antiquae religionis igniculi, ad nos consilij causa venerunt. Excurrit e nostris vnus in agrum Halberstadiensem, & Magdeburgensem magno miserorum solatio. multis opem

tulit: quibus clam sacrosancta confessionis, & Eucharistiae sacramenta administrauit. quatuor ab haeresi ad fidem Catholicam reuocauit.

COLLEGIVM Molshemiense.

CALAMITATES Collegij Molshemiensis, quas quatuor ab hinc annis in communi ciuitatis naufragio adiuimus, leuantur paullatim, sed ita vt redintegrari facile non possint. Nam post sedam illam ciuitatis cladem, magnam bonorum nostrorum partem, qui armis Ecclesiastica violarunt, nobis ademptam occuparunt. opera tamen Illustrium amicorum villam sane commodam, veteri Deiparae templo celebrem ex aduersariorum potestate proxime recepimus. Est & praebenda quaedam, iam pridem Collegio interuersa, nobis restituta. tum pensione quadam annua leuati sumus, quam Molshemiensi parocho pendebamus. Illustris praeterea Comes Euerardus à Manderscheite, cuius opera praecipue illa commoda consequuti sumus, quaedam sua iura ad Collegij fundationem adiunxit: magnamq. pecuniam ad nostrarum aedium instaurandas ruinas contulit. Res tamen adhuc erant turbidae. delectus haereticorum militum in agro Molshemiensi habebatur; & consiliorum ignoratio suspensam Alsatiam totam tenebat metu belli. In tanta tamen temporum iniquitate strenue Societatis munia nostri obiere. Nam quo maior est in his locis Sacerdotum paucitas, eo maior nostris augendi labores, & de hominibus bene merendi oblata facultas est. Parochorum vices,

aut

aut abſentium, aut aegrotantium obiuere. Sacrarum virginum coenobium blandicijs, promiſſis, minis ſollicitatum, ne deficeret, noſtri confirmarunt. Ijſdem armis oppugnati aliquot coenobiorum religioſi viri, vt Epiſcopos, Abbateſq. ab Eccleſia ſeiunctos habere vellent, conſultis noſtris, ſtatuerunt extrema pati potius, quam vel latum vnguem ab inſtituto recedere. Excurſionibus ad vrbes aliquot, & opida Imperialia, in quibus haeretici numero ſuperant, magno Catholicis fuere adiumento. frequentes conciones, confeſſionum ingens numerus: per idemq. tempus alia monialium coenobia adiuta. Tabernenſe vocatur coenobium Franciſcanorum, iam pridem temporum iniuria deſertum, & inane. id nunc noſtrorum monitu & conſilio repetitum reformata viget S. Franciſci diſciplina.

Ne ſcholaſticae quidem exercitationes etiam cum ſplendore defuere. Illuſtriſſimi Cardinalis Lotharingi liberalitate praemia diſcipulis honorifice diſtributa. eiuſdem hortatu duae ſupremae claſſes additae ſunt. Frequentia maior eſſe debuit: ſed omnibus circa locis bello perſtrepentibus, & necdum communi malo ciuitate recreata, paenitenda non eſt. verum quod numero detrahitur, ſuppletur contentione ſtudiorum, & praeſtantia virtutum. Parthenij maxime excellunt. qui non ipſi ſoli ſibi proſunt; ſed ſtrenuos etiam in alijs iuuandis ſe nobis praebent adiutores. haereticos ad Catholicas adducunt conciones: ſegnes Catholicos accendunt: ad templum compellunt: alios à conuenticulis auocant haereticorum: peccantes corrigunt: inuitant ad virtutem. Eſt quidem puſillus grex: vigore pietatis eſt tamen inſtar magni numeri:

meri : e sua paucitate duos praeterea peperit religioni. alterum S. Benedicti, S. Dominici familiae alterum. Si se tranquilliora tempora reddiderint, speramus meliora.

Illustris quoque fuit amicorum in nos beneuolentia. argenteo calice, cum binis ampullis ab vno eorum aucti sumus. Alij libros e Collegij direptione sibi datos, alij suo aere coëmptos nobis reddidere. Sed in primis Cardinalis Lotharingus, quanuis absens nullam de nobis bene merendi occasionem praetermittit. S. Materni caput, vnius e primis Germaniae Apostolis, auro inclusum, praecipuum sacri instrumenti ornamentum, templo nostro dicauit. Collegii causam apud Argentinenses egit saepius : nec sine fructu. & iam eam redditum partem, quae nobis adempta erat, ab aduersario magistratu nobis impetrauit. Idem cum Vicarium in sacrorum administratione huic dioeceſi dedisset; eum Molshemii iussit residere, quo maior ei facultas esset nostro consilio, nostraq. opera vtendi.

COLLEGIVM Confluentinum.

DE Confluentini Collegii fundatore eodem Treuirensi Archiepiscopo; eiusq. in nos propensa voluntate, ac liberalitate omnibus prope superiorum annorum litteris dictum est, & quotannis dicendum: nec tantae munificentiae tam praeclara documenta praetereunda silentio sunt. Is nullam rem maiori studio habere videtur, quam nouis subinde argumentis suam erga nos beneuolentiam apud omnium animos testatam relinque-

re.

re. Nam, praeter familiarem, ac paene quotidianam nobiscum consuetudinem, nullus fere vir nominis paullo illustrioris hac iter facit, quem non secum ad visendum Collegium, Patresq. salutandos adducat. idq. non solum, vt sibi de sua munificentia quodam modo gratuletur; sed vt ipsorum etiam Principum animos nobiscum conciliet. Nuncium Apostolicum, Caesareum legatum, Episcopos, Comitesq. & ex iis aliquos, quorum voluntas non admodum in nos propensa erat, eo consilio ad nos deduxit. Collegii saepius inopiam subleuauit; sacrumq. auxit apparatum magna liberalitate. proxime mille prope aureos ad aes soluendum alienũ nobis dedit. argenteum calicem inauratum elegãti opere, casulas tres, peristromata altarium quatuor, quatuor diuersorum colorum ex holoserico pictura insignito adiecit, & adhuc iubet nos maiora exspectare. Eius exemplum sequutus Commendator ordinis Teutonicorum, nostrae Societatis amantissimus, calicem alterum magni pretii dono dedit. Neque minor est totius ciuitatis in nos beneuolentia. Id nuper aduentu P. Hoffaei declararunt. nam cum Visitatoris munus obiens Collegium inspecturus Confluentiam veniisset, amplissimus Senatus, honoris, ac beneuolentiae caussa, per publicos ministros ei vinũ cum honorifica suae voluntatis testificatione, & obsequiorum omnium delatione muneri misit. qui honos non nisi viris Principibus haberi solet. Nostra vicissim opera strenue satis omni officiorum genere tantis illorum meritis respondit. Sed vsitata missa facere necesse est. Sublatae superstitiones multae; multi à maleficis consulendis reuocati. Vnus, qui carminibus munitus acutum ferrum impune saepius calcarat,

ab illa deterritus impietate. Quidam suo se chirographo daemoni deuouere statuerat: dum cunctatur, nec sanat animum, magis agitatur conscientiae angoribus, turbulentisq. aestuat sollicitudinibus. Territus malorum mole medicum adit animarum: ac facta confessione peccatorum, omni prorsus tartarea vexatione liberatur. Femina, quae se deuouerat. eodem remedio sanata. Tres & viginti ab haeresi traducti. Et proderit illud cognitioni dare; vt quam non firmis nitatur fundamentis haeresis, & praecepta tantum, obstinataq. stare opinione intelligatur. In iis, qui e tenebris emerserunt haeresum, Lutherani verbi praeco fuit; qui sub Lutherano Principe pseudopastorem egerat. Hunc collegae curiosius obseruantes, animaduerterunt, non ipsorum more linguam in Catholicos rabie armatam incitare: Veterum Patrum, aliorumq. Catholicorum libros lectitare studiosius. blande monent hominem, vt ab eo studio desistat. cum ille persisteret, rem deferunt ad Principem. Is parere recusantem, lata sententia de gradu deiicit; atque omnibus prope spoliat fortunis. Ille recta confugit ad nos; domiq. nostrae, & verae fidei doctrina, & diebus aliquot diuinis commentationibus excultus, Ecclesiae Catholicae est aggregatus. Is nunc versatur inter suos, magno ferens animo iacturam fortunarum. diebus vero festis celebrioribus, quanuis longo itinere, remeat ad nos, quo commodius tempus illud cum pietate traducat. Haereticorum libri non modo multorum e manibus excussi, sed e priuatis quoque bibliothecis, & domibus exacti, & combusti. Rhotero-dami scripta in suspicionem passim, & inuidiam adducta, vt & multa vbique impietatis macula

aspersa,

aſperſa, & ſinceris, Chriſtianiſq. moribus aduerſantia; perſuaſumq. plurimis, vt non niſi noſtrorum cenſura repurgata retineant.

E ſcholis adoleſcentes aliquot varijs ſe religioſis familijs addixerunt. Quid ſit de reliquis in tam beneuola ciuitate conijciendum, exemplum capias ex vno. Adoleſcens veteri proſapia vtroque orbatus parente, hoc vno conſilio ad ſcholas noſtras miſſus erat; vt in fide Catholica inſtitueretur, atque ab haereticorum conſuetudine abduceretur. Is cum ad ludum veniret, obuium habuit, qui ſe ad ſororem accerſeret: ipſam in rheda ſecus Rhenum ipſi praeſtolari. erat feminae conſilium, adoleſcentem in rhedam per vim abreptum, traiecto Rheno ſecum ad haereticos aſportare. ſed ſubodoratus inſidias adoleſcens, fuga elapſus ad Collegium ſe recepit. Alij duo, nouem alter, alter duodecim annorum ipſa nocte paraſceues, ijs, quae de Chriſti doloribus audierant in ſchola permoti, in nudam humum ad nocturnam quietem ſe abiecerunt. & cum eos ſomnus arctior comprehendiſſet, ita diu iacuerunt, donec à familiaribus rei ignaris deprehenſi, excitatiq. aegre, adhibitis fomentis, membris alto frigore torpentibus, recreati ſunt. Laudandum in ſinceris animulis ſtudium pietatis, & ſimplex excuſanda imprudentia. Non minore pietate vigent ſcholae catechiſticae: pueri docentur: ſtudia promouent adulti: laetantur parentes fructu filiorum: lautiores pecuniam ſuppeditant ad munuſcula, quibus pueriles inflammantur animi. Pueri ipſi, parentibus plerunque ſapientiores, mirum quam accurate culpas vel leuiſſimas perſentiunt. dolentq. perſaepe ea ſe in parentibus agnoſcere, quae illi ne in culpa quidem ponenda eſſe ſciunt.

COL-

COLLEGIVM Monasterienſe.

COLLEGIVM Monasterienſe ad vitam alteram duos praemiſit: priore anno coadiutorem aetate & morbo iam affectum, poſteriore P. Petrum Michaelem, virum priuatim, & publice ad hominum vtilitatem natum. annos egerat in Societate quinque & triginta: Spirae, Coloniae, multiſq. in Miſſionibus egregia dedit ſuae virtutis documenta; ad extremum Monasterienſe Collegium multos rexerat annos ſumma omnium tranquillitate. tempeſtiua fuit in homine comitas, & cum ſimplicitate prudentia coniuncta. quibus rebus non modo familiarium ſibi animos deuinxit; ſed etiam alienorum à noſtro ordine, & à ſincera fide aberrantium in Societatem beneuolentiam concilianit; multumq. in hac vetere Saxonia Societatis nomen illuſtrauit. Imbecillo quanuis corpore, & viribus defecto, nunquam tamen ceſſabat: ſemper noua remedia excogitabat; quibus vulnera, quae Germaniae inflixit haereſis, ſanarentur. ſcribendis libris diu labantem huius orae tractum ſuſtentauit. Quae res vt à bonis ei beneuolentiam, & gratiam; ita à religionis hoſtibus inexplicabile odium conflauit, vt ſaepius ad necem & vincula quaeſitus ſit. bis etiam inter epulas veneno appetitus; ſed valida amicis adhibentibus antidota, cum acerbiſſimo cruciatu hauſtam pharmaci peſtem eiecit. ita vt in praeſens quidem conualuerit vtcunque: inde Monasterienſi Collegio praefuit octennium; cum interim, veneno quan-

uis

uis eiecto, vi tamen pestifera visceribus impressa subinde repullulante, acerbissime cruciaretur. Et dolores quidem aliquandiu vtcunque sedabantur, verum haerens in venis pestis, saeuius renascens hominem afflixit. Medicorum iussu hoc biennio variae tentatae sunt aquae. ac ne tum quidem, cum esset ad balneas in tam afflicta valetudine, licuit esse otioso: Feminas tres curandae valetudinis ibi degentes, Catholicis viris postulantibus, ab haeresi traduxit ad Ecclesiam. Neque est hoc loco beneficentissimi Ducis Bauariae tacenda liberalitas, quin id quoque singulare eius propensae in nos voluntatis argumentum ad cetera eius innumerabilia, & maxima erga nos merita cumuletur. Venit is per idem tempus, quo Pater ad aquas morabatur, illuc cum Sereniſſima coniuge aegrotante. Suppeditauit illi pro tanti Principis munificentia, quicquid ad curationem opus esset: mandauitq. medicis, omnem curam, sollicitudinemq. susciperent. Ipse, hominem saepius inuisit; horasq. multas lecto assidens, cum solo pijs colloquijs suauissime traduxit. Sed cum cognouisset ex medicis, nullam superesse spem salutis, & morbus in dies ingraueſceret, propria lectica Moguntiam curauit deportandum. Ibi summum diem clausit. Vir, cui praeter assiduorū laborum fructus, etiam illud tribuendum est; quod noui huius gymnasij aedificationem, de quo litteris anni nonagesimi tertij, ipse, conquisitis eleemosinis, à fundamentis ad tectum vsque perduxit. tē-plo etiam aedificando initium fecit; quod ad culmen speramus ipsi duntaxat in non manufacto illo caelesti peruenisse.

Scholae minore quidem numero, quam superioribus annis, lectiore tamen florent iuuentute. Si-

quidem

quidem post commigrationem in nouum gymnasium superiore anno, elementarios exclusimus: ad numerum tamen nongentorum peruenere. Conueniunt ex vrbibus haereticorum ad nos quamplurimi: & quod honestam, liberalemq. nostrorum amant institutionem, religionem licet non sequantur: & quod dissidia, rixas, implacabilesq. suorum praedicantium inimicitias ferre non possint. de probitate porro, & in suscepta semel fide constantia lectissimorum iuuenum, & dictum est alias, & saepius dicendum erit. Qui scholastica spatia emẽsi à suis ad mercaturam, in remotas quamuis, & haeresi corruptas ciuitates allegantur; sunt tamen in medio nationis prauae, eorum, quae in nostra disciplina didicere tenacissimi. nec dubitant aduersus improbos contentiones suscipere antiquae religionis asserendae. Parthenius ex ijs adolescens in patriam per Paschae ferias se contulit. inuenit omnia Caluinismo à pseudopastore deprauata: vt Monasterium etiam sacrarum virginum oppresserit nefaria vesani hominis potestas. Conatus est antiquos ritus restituere; & restituisset vtique; nisi maiorem, quam pro viribus, rem aggressus esset. nimia enim potentia deprauatoris nihil potuit vltra conatum. Magno ijdem adiumento sunt ad pietatem in his oris excitandam, & fouendam. vt nulli fere iam ab opidis vicinis, ad scholas, & Ecclesias regendas expetantur alij, quam Monasterienſis Collegij alumni. Ex ijs vnus à Luthero iampridem ad Ecclesiam traductus, cum e nostra disciplina opido cuidam ludi Magister datus esset, vbi tenera aetas in concione cantionibus e Lutheri catechismo assueuerat; vt pueros à pestifera consuetudine auerteret, coepit eos concionis tempore alijs exercitatio-

citationibus tenere. Ex eadem disciplina in ciuitate non ignobili Canonicus animaduertit quendam e Collegio prauas e superiore loco serere opiniones. Egit cum Episcopi Vicario, vt illi concione interdiceretur. Ille, Vicario vita functo, emersit in suggestum; sacrosq. coepit Ecclesiae ritus oppugnare, & multitudo imperita in eius sententiam vergebat. Erat periculum, ni cohiberetur, ne homo, apud populum gratiosus, tumultum excitaret: & habebat in propinquo, quarum ope vteretur, cohortes haereticorum. Igitur idem canonicus, cum alijs nostrae alumnis disciplinae conspiratione facta, à magistratu Prouinciae decretum auferunt, vt opimo concionator ille Ecclesiastico stipendio priuetur: grauiore dicta multa, ni concionibus prorsus abstineat. Hoc telo ictus, propheta à se missus conticuit. Alius pareciam adeptus psalmodiam Lutheri e templo exterminauit, agrestemq. turbam Lutherum in concione concinentem silere iussit. Ad solitas superiorum annorum conciones accessit posteriore anno Ecclesia Episcopalis: cuius suggestum in locum demortui, nostri suscipere coacti sunt, tantisper dumtaxat, dum idoneus inueniatur; ne vel concio illa tam necessario tempore destitueretur; vel alicui deprauatori traderetur. Et cum perlatum esset Monasterium Pontificium Iobeleum, rei insolentia promulgatio differebatur. Tum P. Petrus Rector Magistratum adijt Ecclesiasticum: docuit quanti esset ea res momenti: & quanti Christianae rei interesset, illo ipso temporis articulo, quo Turcarum copiae Christianorum ceruicibus imminerent, propiciare numen. persuasitq. vt primo quoque tempore indiceretur. nostris negotium datur, rationem totius eius religionis

explican-

explicandi. Incredibilis fuit numerus eam religionem obeuntium. Quae res magis adhuc omnium hominum nobis adiunxit voluntates. Cuius rei illud praecipue argumento fuit, nam, cum priore anno ob annonae difficultatem templi aedificationem intermisissemus; posteriore, cum cognitum est, nos eam repetijsse, nostri ordinis studiosi, ac beneuoli plus mille, & quadringentos taleros, & magnum numerum rerum ad aedificationem necessariarum contulerunt.

COLLEGIVM Paderbornense.

STERILE adhuc solum Paderbornense, pertinaci cultura subactum, incipit tandem non paenitendos fructus ferre. Auersae enim ciuium voluntates, & asperitas animorum in summam beneuolentiam, comitatemq. conuersae. nos libenter audiunt, frequentant conciones. Quo fit, vt & publice, & priuatim ciuitati prosimus. Quatuor enim summis viris ademptae concubinae. multis monita salutis, & spiritale solatium impertitum, qui ad nos e finitimis locis, haeresi infectis, sacramentorum, & pietatis hauriendae caussa venerunt. sublatae e ciuitate compotationes quaedam intolerandae: e templis ambulationes, quae instar nundinarum, diuini cultus tempore magna diuinorum officiorum perturbatione, ab omnium ordinum hominibus celebrabantur. Senatus ipse honorifica oratione gratam sibi esse nostram operam significauit. Duo viri Principes, quamuis Luthero addicti, binos tamen vterque filios nostra informandos disciplí-

disciplina tradidere: nec plane vllo sunt odio in Catholicos. Ab haeresi traducti multi. Fuit & illud insigne documentum commutatae voluntatis, & honorificae de nobis opinionis. Cauffa nobis à Magistratu, quamuis haeretico, cognoscenda tradita est. qua publica auctoritate purgatorij carceris fides confirmatur. In vicino opido diem suum obierat vir vita, & morte celebratus. Eius vmbra lugubri specie se visendam praebuit in agro opilioni quondam suo. Territus hic fugam capit. sed quoquo fugeret, eum horrenda species pone tanquam vmbra sequebatur. Interrogatus, cauffam aduentus aperit; & quid sibi praestari velit, docet. Non fuit opilioni fides mandata exsequenti. ergo rem totam missam facit. Tristior iterum eadem species obijcitur: propinquis illa eadem narrari iubet: minas addit, ni obtemperet. Pastor iterum domino rem narrat accuratius. proficiscitur vna cum rustico dominus. prope syluam cum ventum est, ecce tibi tetra species apparet. in eam digitum intendit pastor: dominus non nisi calces, & vestem Lugubrem effusam cernit. Syluam intrant: opilio solus in colloquium accersitur. iubet vmbra, sacra fieri, vestiri pauperes, & alia fieri piacula, quae scripta non sunt. Res ad magistratus haereticos defertur. & dominus, & famulus legitime interrogantur. Rei totius cognitio, & iudicium nostris demandatur. Cuius is fuit exitus; vt cum postulanti animae satisfaciendum fuerit; luce clarius pateret omnibus, & purgari animas poenis vltricibus post mortem, & leuari earum cruciatus id genus expiationibus.

Scholae si antea inter infidelitatis algorem, & infectationum pruinas tamen floruerunt: multo magis, aperiente se vere, optatas ferunt fruges. Vnum

nostro.

nostro, octo alijs religiosorum ordinibus alumnos dedere. Duo praeterea ad summum scholarum aliarum regimen postulati venere. Quanta vero pietate sint, Parthenij praesertim; vt vsitata, & cum omnibus communia, precandi studium, ieiunia, flagra, asperitates alias omittam, vel ex eo facile conuincitur; quod magnam in eorum precibus spem reponat ciuitas. nullus aegrotus, quamuis haeresum tenebris obductus, nullus quantumuis improbus, non in suis periculis ab eorum precibus opem exposcit.

Constitit etiam & excursionum fructus suus. Nam praeter opem coenobijs multis tum virorum, tum sacrarum virginum allatam, P. Rector ad nobile quoddam Monasterium mercatus tempore ab Antistite concionum caussa euocatus, multis rebus valde dignis Societatis nomen illustrauit. Sed illud accidit praecipuum. Vir erat summa eruditione, & inclita fama longe omnium illius orae praestantissimus. neque minorem ille de se habebat opinionem: sed Lutheri doctrinam sectabatur. is multis quaestionibus patris doctrinam pertentauit: sed eo semper euentu, vt maluerit se tacuisse. Profitetur se postero die Cathedrae proximum concioni interfuturum: & quoties noster inter dicendum aut aberraret, aut hallucinaretur, excreaturum. Audit concionem, quasi Terentianus Parmeno, ad finem vsque silentio. Concione absoluta, suam accusauit negligentiam: quod minus attentus nihil deprehenderit, quod exploderet. Inuitatur in diem posterum: diligentiam se acrius excitaturum pollicetur. Venit, audit, excreat nunquam. Victus tandem manus dedit: nostrumq. in mensa, audientibus omnibus nobilibus, haereticisq. egregie laudauit.

Vnum

Vnum illud excepit: quod ambigere se diceret, an à suo magistro illa, quae noster confutarat, scripta essent. Ridiculum etiam in Lutherum elogium quidam protulit e praedicantibus, qui nostrum audierat concionantem, eum Catholici dicentem audiuerunt: Si ita scripsit Martinus, dignus est, qui putridis ouis obruatur: obruatur sane flāmis etiam vltricibus. Accessit ad rem domesticam ampla cum hortis domus. Reuerendissimi Episcopi animus magnopere in aedificationem Collegij propendet. Ciuitas vniuersa, omnium ordinum homines, tum pij, tum auersi, id exoptant: & materiam alij, ingentes offerunt pecunias.

RESIDENTIA Embricensis.

EMBRICENSES Socij scholis maxime rem Christianam promouent. concione adhuc, nullum cum in vrbe templum habemus, caruere. Sed gymnasium frequentius habuimus, quam pro temporum iniquitate. adolescentibus enim frequentatur ducentis fere quinquaginta, qui numerus, vndique circunstrepente bello, non est contemnendus. Discipulos tales habemus, quales volumus, insigni probitate, & ingenio. & quidem vtriusque rei documenta praebent nō obscura. nam, & sua sponte ad omnem propensi probitatem, sine plagis duci se potius, quam trahi sinunt. & licet pios nullos adhuc cetus instituerint: frequentes tamen octauo quoque die sacramentorum caussa Sacerdotem adeunt. haereses incredibili odio detestantur: haereticorum fallacias redarguunt: libros non nisi no-

strorum iudicio probatos legunt. Ingenij vero, & studij specimen dederunt, cum alias saepe, tum eo maxime die, quo sacrosancta Eucharistiae supplicatio, magna Catholicorum pietate & apparatu traduceretur. Tum enim extimos gymnasij parietes (& ea parte forum spectant) magno variorum argumentorum numero, carmine scriptorum cótexerunt. Spectaculi nouitas ciuitatẽ vniuersam ad cognoscendum exciuit: tulitq. probationem à Catholicis simul, & haereticis. Sacellum nobis assignatum est in templo S. Martini, ad sacras functiones ex nostro instituto exercendas. Quo tempore Iobeleum promulgatum est, ijdem nostri gymnasij alumni per eos dies Litanias in templo S. Martini symphoniace decantarunt; ad rem nouam confluente ciuitate. Sed ad expiationem eam obeundam exemplo praeluxerunt ciuitati, omnes, & plerique vitae totius culparum confessione animum purgarunt, ad sacram mensam accesserunt, quotquot per aetatẽ maturi iudicati sunt, idemq. octauo die recurrente, ob festum Paschae iterarunt. Quae cum in oculis ciuitatis sita sint; tum sibi tam probam iuuentutem ciues gratulantur; tum arctioribus amoris vinculis nobiscum tanti boni auctoribus astringuntur. Fuit & illud admirationi, & omnium probatione commendatum. Vnus e discipulis pauper, cum e vico in vrbem rediret, in turmam incidit haereticorum. à quorũ vno sine culpa male multatus, aegre semianimis domum se recepit. huic omnium rerum indigenti à ceteris discipulis, & ciuibus omnia ad vulnerum curationem suppeditata sunt. & fuere, qui illius caussa ostiatim etiam pecuniam conquirerent. Neque in vrbe solum signa edunt pietatis; sed, cum per ferias etiam domos

quis-

quisque suas repetunt, catechismum rudes edocent; ab esu vetito compescunt; à iureiurando, execrationibus, petulantiq. sermone absterrent, ad Missæ sacrum pie, integreq. audiendum; ad festos colendos dies adhortantur; instituunt ad confessionem rite obeundam; pijs hortationibus, exemplisq. sanctorum referendis ad pietatem inflammant. Puer fuit, qui cum patrem vesci vetito videret, negarit se patris loco habiturum, qui Ecclesiam matrem non agnosceret. Tantumq. vi animi effecerit, & sermone pleno pietatis; vt & in praesens patris nequitiam correxerit; & ille, re melius considerata, paullo post, facta confessione peccatorum, se Ecclesiae Catholicae reddiderit. Sed cum omnes erga nos ciuium voluntates valde sint propensae; insignem tamen experimur beneuolentiam eorum, quorum fauore res nostrae promouentur, & liberalitate inopia sustentatur. Ij sunt Illustrissimi Ducis Cancellarius, Consiliarij, Decanus Embricensis, & Sacerdos alius. Horum benignitate, cum longe, quam pro impensa, minora habeamus vectigalia; inopiae adhuc incommoda vix vlla sensimus.

* * *

PROVINCIA ARAGONIA.

IN Aragonia Prouincia, domo vna professa, & Collegijs nouem, ducenti octoginta vnus priore anno versati sunt. Valentiae in Professorum domo triginta octo, in Collegio triginta sex: Gandiae triginta tres: Caesarauguſtae quinquaginta: Bilbili duodecim: sexdecim Turiasone: Barcinone quinque & triginta; viginti quatuor Gerundae: Tarracone vndecim: in maiore Baleari viginti sex. Posteriore anno numerus decreuit. Valentiae enim in professa domo octo & viginti numerati sunt; sacerdotes duodeuiginti, fratres reliqui: in Collegio triginta nouem, tredecim Sacerdotes, quorum duo scholasticam explicant Theologiam, sacras litteras tertius interpretatur, tres studia decursa recognoscunt, scholasticus est vnus: fratres scholastici decem, quibus vnus additur nouicius, ceteri coadiutores. Caesarauguſtae quinquaginta; vndeuiginti Sacerdotes, nouicij totidē, reliqui coadiutores veterani: Barcinone triginta tres: Gandiae viginti quinque: Tarracone nouem: Gerundae vnus & viginti: Bilbili quatuordecim: Turiasone quindecim: in maiore Baleari viginti septē: Horum summa colligitur ducentorum sexaginta. Viuere

uere desierunt vtroque anno terni: admissi in societatem sunt priore anno viginti: posteriore duodeuiginti; tres in Indiam profecti.

DOMVS PROFESSA Valentina.

IN Domo professa Valentina prior annus P. Petrum Villalbam nobis exstinxit, magnum huius Prouinciae columen. qui quatuordecim ipsos annos & in Castella, & in Aragonia Prouinciale munus non minus vitae sanctitate, quam laudabili prudentia sustinuerat. optarat ille diu; idq. à Deo precibus contenderat, in priuata vita saltem mori. ergo factus est voti compos. in ordinem redactum mors oppressit; vt ipsi optata, sic domesticis, externisq. luctuosa. neque mirum: religiosam enim grauitatem sic lenitate, facilitateq. temperauerat; vt neque facilitas reuerentiam, neque grauitas in eum minueret beneuolentiam. Noui templi aedificatio Dei beneficio, anno huius biennij posteriore tandem suscepta est. eius primus dies magna religione, cerimoniaq. celebratus. Vetus nostrum templum splendide eo die ornatum erat: sacra adhibita symphonia tubarum, tibiarum, vocumq. concentu rem totam fecere augustiorem. Varia praeterea carminum genera, & varij ingeniorum fetus explicati, rei totius apparatum illustrarunt. Primum lapidem plumbea contectum lamina, pereleganti inciso epigrammate Illustrissimus Camillus Caietanus, Patriarcha Alexandrinus, Apostolicus apud Regiam Maiestatem Nuncius, solemni ritu, sacrisq. precationibus in fundamenta locauit, Principibus

viris quatuor, Ecclesiastico honore insignibus latera cingentibus: tota ferme nobilitate, sua praesentia sacram actionem illustrante. Eodem die Archiepiscopus cum clero domi nostrae prandio exceptus, multa nobis beneuolentiae signa dedit. Magnus per id tempus pecuniae numerus ad aedificationem collatus. Vnus Vrgelitanus Antistes quingentos aureos dedit. totidem matrona nobilis, ante susceptam aedificationem priore anno in id cõtulerat: eademq. ducentos legauit testamento.

Non minus in mystico extruendo templo positũ est operae. Conciones frequentes fuere, & multis locis expetitae. ita saepe quini, seniue e nostris eodem die ad populum dixerunt. Sex impurae mulieres meretricio quæstu sese concione vna permotae subduxerunt. Tres iam sunt in domo hac sodalitates, prima nobilium virorum, quae S. Spiritui dicata, anno octogesimo quarto feliciter instituta est: de cuius progressione saepius superiorũ annorum litteris est scriptum. eius in primis illud laudatur institutum, carcere detentos adiuuandi. Bini singulis mensibus, qui nosocomia inuisant, aegrotorumq. indigentias cognoscant, deliguntur: bini item, qui in carcere idem caritatis officium exerceant. Et cum superioribus annis multos, tum biennij huius priore trecentos nonaginta sex e carceris paedore exemerunt: posteriore quadringentos & triginta nouem. Ac ne in ijs tantum, quae splendorem habent ad vulgus, & humanae laudis speciem, pietatem colere; quae vero cum Christi humilitate sunt coniuncta minus diligere videantur: ex ijs vnus vir primarius in conuentu Magistratuum multis appetitus contumelijs, ac tantum non plagis violatus, magno animo sibi vim faciens, tam

insi-

insignem contumeliam tulit silentio : cum alioqui natura esset iracundus, & vehemens. qua animi aequitate victus aduersarius proteruiae veniam petijt : & de Sodalium pietate praeclara apud ciuitatem omnem opinio manauit. Duae sunt aliae Sodalitates non ita pridem institutae, opificum altera, tertia Sacerdotum. harum altera quatuor, quinqueue ante annos habuit initium. ea Sacramenta frequentantium primo dicta est. hanc esse opificum, eandemq Sanctissimae Trinitati dicatam, tum alia, tum rerum in primis, similitudo suadet. Posteriore enim anno, & sequente nonagesimo sexto pridie Cineralium eadem scribuntur : sodales mane caelesti cibo pastos totum tempus pijs exercitationibus in suo oratorio in vesperum traxisse. sub noctem etiam flagellationem vsurpasse. quo tempore res accidit vni Sodalium narratu digna. Is cum dimisso cetu domum peteret in vici cuiusdam angustijs, dum obuium declinat currum, siue loci iniquitate, siue incommodo alio lapsus, ita cecidit, vt vtraque currus rota illius crura supergrederetur, ipso illaeso, diuina ope haud dubie rotas suspendente. Haec igitur opificum Sodalitas, pro suo modulo etiam clarorum virorum studia aemulatur. & ipsi nosocomia inuisunt; ad templi fores eleemosinas quaerunt, & carcere clausos sexta quaque feria suis alunt sumptibus. In tertia porro clericorum adscripti sunt primores ciuitatis, Canonici, Archiepiscopi Vicarius, & vnus e Censoribus Ecclesiasticis.

Excursum est vtroque anno varia ad opida, eo fructu, quem peritus quisque aestimare potest: prauae consuetudines multae sublatae. in opido quodam pilae ludus, clamoresq. ludentium

sacram psalmodiam obturbantes à templi vicinitate alio translatus. Graufium opidum posteriore anno nostri cum rediissent, obuijs vlnis sunt excepti. Ingens e vicinis locis ad conciones concursus. Paschalia festa maiore, quam superioribus annis religione celebrata. Et cum praeterea supplicatio pro Regno Galliae pacando institueretur, ad octingentos ad sacram mensam accessere, magna opidi totius voluptate. Postremo nostri cum discederent, equos, & quinquaginta aureos in viaticum oblatos recusarunt. nixi baculis loca alia lustrarunt. Contigitq. vt cum petendae pluuiae duo & triginta vici in locum vnum conueniissent, communem vt supplicationem communi religione haberent, supplicationē nostri Sacerdotis concio, concionem effusa pluuia sequeretur: & vt madidi suos quique fines repeterent, qui siccis vestibus veniissent. Ad Segobienses quoque huius Regni accolas alij venerunt: initio non ita comiter excepti ab hominibus nostrae consuetudinis insolentibus. sed mox vtilitate perspecta, ita suo fructu opidani laetabantur, vt nostros apud se perpetuo retinere peroptarent. quam ad rem vnus e canonicis domum satis amplam cum horto pulcherrimo, nostrorum domicilio deferebat.

* * *

COLLEGIVM Valentinum.

COLLEGIO Valentino vectigal accreuit, aucto fructu praediorum, & acceſſione noui praedij noſtris vſibus valde opportuni. Ad binas, quotidianaſq. de ſcholaſtica Theologia ſcholas, acceſſit etiam tertia de ea, quam poſitiuam nominant. B. Mariae Sodalitas, quam reſtitutam quadriennio ante, proximae huius Prouinciae litterae declarant, felici floret vbertate. in ea alumni centũ quinquaginta poſteriore anno cenſebantur. plerique Doctores Academiae, atque Artium Magiſtri. Hi praeter alias exercitationes, Quadrageſima ter quaque hebdomada ad flagellationem conuenere. Ex ijs ad varios ordines ſeſe tranſtulere quatuordecim, ad noſtrum octo: & in ijs duo Artium Magiſtri; eorumq. alter Academiae Profeſſor: quem auditores aliqui ſequuti ſunt. Non omittam, quod fratribus per autumnales ferias peregre euntibus, in magno rerum diſcrimine euenit. eos deſerto in loco nox oppreſſerat, itineris ignaros, & octo adhuc milliarijs ab eo loco, quo contenderant, diſtantes. incertis quo ſe verterent; affuit medijs in tenebris, qui ſe illi ducem praebuit. quo cum veniſſent, viae ductor alio diſceſſit; illi ad hoſpitalem domum diuertere.

*

COL-

COLLEGIVM Gandiense.

MORBIS plerique eorum, qui in Gandiensi Collegio fuere, posteriore anno aspere vexati sunt: etsi Dei beneficio reualuere cuncti. Catechismi exercitationem, quae remiserat, restituit P. Prouincialis, agens ipse catechisten, plebe, ac clero magno numero ad audiendum confluente. scholae duos doctoris, totidem magistri insignibus ornarunt. earum exercitationes saepe sua praesentia Dux ipse magnis beneuolentiae signis cohonestat. Ab ijs posteriore anno Philosophiae Magister, vna cum vno e discipulis in Indicam expeditione profectus est. Seminarium eorum, qui ad humanitatis studia hic exercentur, excolitur acuratissime. ex eo non pauci ludi magistri prodiere. Admirationi toti ciuitati fuit viri primarij vitae mutatio. is antea, nobilium more & opulentorum, equis, equitandiq. studio tenebatur. is nunc conuersis studijs, equis, equestriq. stustio salute dicta, totum se ad alte cõbidendam pietatem; & quod mirere magis, ad grammaticae voranda rudimenta contulit. fuitq. auctor tum adolescentibus, tum viris, vt Quadragesima tribus hebdomadae diebus ad verberationem magna frequentia conuenirent.

Extra vrbem ad vicinos pagos Dominicis diebus multi excurrere; neophytos, rudemq. plebem eruditum. Dianium opidum est, vnde maxima nostrorum vectigalium prouenit pars. Huc posteriore anno primum duo missi tam auersis omnium animis excepti sunt; vt non modo salutantibus, qui comi-

comiter, clementerue responderet; sed neque qui eos ad Xenodochium deduceret, aut saltem digitum intenderet, cum multi rogarentur, esset vllus. Magistratus illorum congressum deuitabat: Praetor ab ijs salutatus frustra eos pronunciat venisse. Nostri magna animi constantia, vno Deo freti, cuius caussam agebant, statuunt inuicta patientia aspera ingenia, & auersas voluntates mitigare. ad concionem, ad catechismum, ad confessionem homines adhortantur. sensim opidani coepere suam ponere duritiam, securius accedere, munuscula etiam afferre. denique eo ventum est, vt multis beneuolentiae signis se iam nostrorum consuetudine delectari declararent: multiq. suae asperitatis veniam peterent: palamq. affirmarent omnes, dandam esse operam, vt ad se nostri redirent quam saepissime. Obita praeterea loca alia magno incolarum bono.

COLLEGIVM Caesarauguſtanum.

FVIT vterque annus Caesarauguſtano Collegio duobus, tribusq. funeribus insignis. Priore enim anno acerbo Prouinciae totius luctu decessit P. Antonius Yuannes, vir in Societate antiquissimus, & in ea magnis muneribus perfunctus, Magistri nouiciorum, Rectoris saepius, Prouincialis, ac Visitatoris, magno praeditus orationis dono, & mira in tractandis animis dexteritate. in morborum molestia, quibus assidue fatigabatur, singulari aequitate animi, & patientia. quatridui morbo extinctus est. quod totum tempus, quamuis aduersante

sante morbi pertinacia, alto silentio, & intenta meditatione, ad extremum vsque spiritum transegit. Rogatus ab vno e fratribus, quid tam intenta cogitatione agitaret animo: cum respondere cunctaretur, alterq. frater subiecisset: Nostrae vtilitatis caussa id quaerimus: Offerebam, inquit, aeterno Patri pro me filij sui mortem, ac dolores. & in ea fixus cogitatione spiritum emisit, magno sui tum domesticis, tum externis relicto desiderio: vt contenderint aliqui sibi dari aliquid eorum, quibus ille vtebatur, ad piam tantae virtutis memoriam seruandam. Obijt posteriore anno P. Sanctius, Munie sae in Aragonia natus. non ille quidem grandi consumptus aetate, quinctum enim & quadragesimum agebat annum; sed quatuor professus vota, multae maturitatis specimen ediderat. magnam eius breuis aetatis partem egerat in Societate: Ministri, Magistri nouiciorum. & Prorectoris munere perfunctus. Longa ei tabes, & ad altiores gradus, & ad vitam producendam aditum praecluſit. Hieronymus Peresius Oliuanus quincto ab ingressu in Societatem mense sequutus est. Vir honesto loco natus, annum agens sextum ac sexagesimum. Vixerat ille cum pia coniuge sanctissime: conueneratq. inter eos, vt vxor sacrum Monialium claustrum iniret, vir ad Societatem se conferret: cum antequam consilia maturuerunt, vxor vita fungitur, marito haerede relicto, quoad viueret: illo vita functo, haereditas ad futurum Hoscae Collegium deuolueretur. Vir etsi longe in vitae stadio progressus, in primo tamen adhuc limine Religionis moriens, suorum iurium omnium ex testamento societatem instituit haeredem. aestimantur vtriusque bona quatuordecim millibus aureorum.

Con-

Constitit nostrorum opera cum in multorum emendandis moribus, tum praecipue in vindicanda pudicitia. Nam, vt omittam pellicatus diremptos, ac matrimonio coniunctos, dissidia ac diuortia inter coniuges reconciliata, meretrices à turpi quaestu abductas; vt praeteream gynecotrophiũ liberalitate Comitis à Sastago impudicis mulieribus extrui coeptum ad paenitentiam se recipientibus; Virgines multae nostrorum vigilantia e praesenti amittendi pudoris periculo ereptae. Virgini potł iam contractum, & palam factum matrimonium, falsum crimen obiectum erat: quod ni purgaretur, omni prorsus spe obtinendi matrimonij priuaretur: res in iudicium vocatur: dantur testes: probatur crimen: matrimonium iudicio irritatur. Iniuriae atrocitas hominum animos ita exstimulauit, vt inter duas cognationes excitatum incendium nisi ruina opprimi non posse crederetur. Puellae propinqui à nostro Sacerdote opem petũt. apparebat ex ipsis iudicij actionibus in acta relatis, praui aliquid esse versatum. Quare noster dedit operam, vt tota caussa iterum cognoscereturaccuratius. Ita factum est, vt testis is, quo maxime crimen nitebatur, suum reuocando testimonium, & sei pse impio scelere, & virginem immerita iniuria liberauerit.

Sodalitas B. Virgini dicata augetur & numero, & cultu pietatis. stata die mentibus singulis ad nosocomium se conferunt vniuersi; aegrotisq. omnia caritatis praestant officia, sordes ijs abluunt, lauant manus, & faciem, vngues praecidunt; dulciarijs, alijsq. munusculis afflictam illorum alleuant fortunam: tum singulis hebdomadis leguntur duo, qui cibum capientibus praesto sint, solentur, quae opus

sunt,

sunt, ministrent. Duo alij item singulis hebdomadis carcerem inuisunt: de vniuscuiusque statu, caussaq. cognoscunt. Hi rem ad patrem Praesidem Sodalitatis, Praefectumq. deferunt. Praeses, Praefectusq. suscipiunt procurationem miserorum: aere alieno obstrictos pecunia iuuant: cum Magistratibus agunt; vt qui inde mitti possunt, liberentur: ceterorum commoda procurant; & quibus possunt, officijs illorum miserijs occurrunt. quo factum est, vt centum quinquaginta, illorum opera, emissi sint. cuius rei fama multos Principes viros, & in ijs Comitem à Sastago ad eam Sodalitatem expetendam excitauit.

Ad nostrum gymnasium schola de conscientiae quaestionibus accessit priore anno. Oppossuere sese initio Magistratus, quibus publicae Academiae cura commissa est: veriti, ne ad nos conuersis auditoribus, recentis gymnasij celebritas minueretur. Sed rei vtilitate, & Antistitis voluntate à P. Rectore patefacta, quieuere. hora tantum scholae praestituta; quae à publico gymnasio auditores non auerteret. Quin ipsi Magistratus cum cetera nobilitate, quo die ea institueretur, honoris caussa interfuerunt, & primo statim anno centum circiter auditoribus frequentari coepta est.

Excursiones binae priore anno admodum frugiferae fuere. Priore duo Sacerdotes nouem opida lustrarunt. in quibus nullus plane fuit, qui non cõfiteretur, & ad sacram Eucharistiam percipiendam, qui maturus esset, accederet. mirabantur omnes in nostris indefessam laborum tolerantiam, aut eorum dissidijs componendis, aut catechismo explicando, aut concionibus habendis. quod ab his operis supereesset temporis, nulla ne modica quidem

dem cessatione interposita, audiendis confessionibus teneri; vt à prima luce ad tenebras operam continuarent. plus sibi ad vitae, morumq. emendationem profuisse dictitabant breues paucorum dierum, nostrorum Sacerdotũ colloquutiones, quam longas multorum annorum & statas conciones. Confessiones de tota vita mille circiter auditae. In opido quodam duae aduersae factiones ita diffidebant, vt in templis esset vtrique parti locus finiendus. ita composita sunt omnia Dei beneficio, vt magna cum omnium laetitia, corroborata iam simultas in veram amicitiam rediret. Eadem officia posteriore Missione praestita, eaedẽq. vtilitates reportatae. & si, quo primum venerunt, minus necessaria nostrorum praesentia visa est, ob religiosorum multitudinem, qui ibi versabantur: perspecta postmodum vtilitate, non vulgus modo, sed ipsi etiam Theologi fatebantur, se non ante tam bene peccati perspexisse feditatem: tunc demum sibi verae lucis lumen effulsisse. hae communes erant omnium voces: neque erat, qui non suarum rerum partem libentissime conferret, ad aliquod Societatis domicilium apud se constituendum. Catechismum non pueri tantum, sed adulti etiam didicerunt. Curatum ne violarentur festi dies ab agricolis: sublatae superstitiones: pacificationes iunctae: famae redintegrationes plurimae: rei alienae restitutiones factae multae: illiciti contractus reformati: confessiones auditae omnino bis mille quadringentae octoginta: quarum à primis annis fuere septingentae octoginta. Contigit, vt quidam ita membris captus esset, ac toto corpore debilitatus, vt confessionis caussa subcollatorum opera ad templum comportandus fuerit. is confessione peracta,

depulso

depulso morbo, postridie Eucharistiae percipiendae causſa suis pedibus ad templum se contulerit. Graus est opidum huius regni clarum, & nobile. in eo versati ex itinere nostri aliquandiu, magnum Collegij apud se habendi studium opidanis iniecerunt. Comes à Sastago, non minus quam genere, dignitateq. etiam pia liberalitate clarus, & eos ad rem conficiendam excitauit; & ipse ad Collegij fundationem magnam detulit summam pecuniae. Cumq. ad id, quod opidani conferebant, & ipse Comes addebat, ad plenam fundationem aliquid deesset, Ludouicus Martinus, ciuitatis huius nobilis iureconsultus, tantum se adiecturum professus est, quantum satis esset. Si Collegium constituatur, spes est magni fructus. siquidem eius terrae tractus, quo inde excursiones fierent, ad Pyreneos vsque montes pertinet.

BILBILITANVM, ET RELIQVA Collegia.

VNDECIMVM iam annum, ex quo primũ incoli coepit, Bilbilitanum Collegium, scholis adhuc caruit. vna tantum adolescentium, qui scholis alijs instituebantur, Sodalitate B. Virgini dicata, & ceteris Societatis muneribus contentum. anno demum MDXCV. magna Episcopi, Senatus, ac totius ciuitatis laetitia linguae Latinae gymnasium aperuit. Senatus domum scholis tribus habendis opportunam coemit; exedras magistrali sella, subselliisq. instruxit. initium ea, qua par fuit, celebritate illustratum est. Datum est drama in ampliſ-

ampliſſima vrbis domo, magno omnium ordinum numero ſpectante, & probante. Diſcipuli quadringenti conuenere: pluresq. in dies futuros ſpes eſt nouorum fama magiſtrorum, quae iam toto Regno percrebuit. Diuina bonitas coepta promouebit. Concionis fructus is fuit; vt noſtri Sacerdotis oratione permoti Vicarius Epiſcopi, & Magiſtratus genus quoddam contrahendi negotia ſuſtulerint, quod fenus redolebat. Matronae nobilis liberalitate aucta eſt ſacra veſtis holoſericis nonnullis indumētis, & peripetaſmatis altariū. E miſſionibus nonnullis nō exigui manipuli reportati. primū ingens confeſſionum auditarū numerus. Ex opido quodā concionibus Quadrageſimae impurae mulierculae iuſſu Senatus eiectae. In opido alio Senatores certum frumenti numerum in pauperes diſtribuere debebant, id quinquageſimum iam annum alio interuerterant. Docuit noſter quanto officij onere tenerentur, ni illud repreſentarent. datum negotium eſt certo homini, vt intra quadrienniū totam ſummam exigeret. ita & in quatuor annos magnum, & in reliquum tempus non leue ad ſubleuandam paupertatem emolumentum acceſſit. In opido alio bona publica non bona fide adminiſtrabantur. multi iniuriae obuiam ire conabantur, ſed irrito conatu. noſtri tum palam concionibus, tum priuatim colloquutionibus, eo vſque incudem extuderunt, donec tandem iuſtitia ius ſuum recepit.

TVRIASONE Collegiū ante tres quatuorue annos habuit initium: ſcholas quādo habere coeperit interciſo duobus annis litterarum curſu non reperio. ſed huius biennij priore anno & ſtudiorum lego repetitionem, quo tempore dialogus ſcenae datus eſt. Paedagogia, & Sodalitas primum B. Virginis eſt inſtituta: atque in eius inſtitutione ipſo die,

Conceptioni Virginis dicato, Latina ad sodales habita oratio, & ante aram maximam in templo solemni ritu decantatae Litaniae, sodalibus cum facibus accensis circum altare in genua complicitis, nouum spectaculum probante ciuitate. Pium Sodalium studium ad sacramẽtorum vsum multum excitauit ciuitatem. Ex eorum numero hoc ipso primo anno vnus S. Francisci, anno altero octo varias religiones suscepere: ad nostram duo spectatae virtutis adolescentes adspirant. Laetum fuit vnius e Sodalibus parenti, quod cum filio pecuniam offerret ad comoediam spectandam, ille id spectaculum est aspernatus, quod B. Virginis Sodalem minime deceret. In vrbe ceteri, qui solent, fructus exstitere. Itum extra vrbem; opidaq. multa Societatis muneribus adiuta. Tanti, quocunque venirent, e finitimis locis concursus fiebant paenitentium, vt nonnumquam aduenarum numerus indigenarum numerum excederet; ac cum diuersoria ad cibum capiendum multitudini non sufficerent, cogerentur cateruatim in agro, vbi quisque locum sibi caperet, discumbere. Multis ex locis alea, & iurandi consuetudo exturbata; cum populares amice se inuicem monerent, si qui forte linguae lapsu offenderent; vel ipsi humi osculum dimitterent. Quidam cum ad concionem de remittendis iniurijs nostrum audisset disputantem, e vestigio implicitus in genua rosarium pro inimico, à quo vulnus acceperat, cuiq. necem antea moliebatur, Deo, Beataeq. Virgini pie obtulit. moxq. etiam ipsius domum adijt; & cum eo gratiam resarsit. Aduena venit ad nostros, qui circa ea loca versabantur: is narrauit, in itinere peregrinum sibi factum esse obuiam, Sacerdotis ornatu, & totius habitu

bitu corporis verendum; quaesiisseq. ex se; cur quoddam peccatum confiteri erubescceret? seq. ex eo, quod nam illud esset? quaesiuisse: tum peregrinum peccatum ei certum enunciasse: seq. rei illius commemoratione erubuisse; reuerenter ei gratias egisse, argenteumq. numum grati animi significatione detulisse. Peregrinum autem sibi respondisse: numus iste tuus non est: quos vero in arca domi reliquisti, tui quidem illi sunt: ex ijs licet pauperibus benigne facias. Admiratum opportuni monitoris scientiam, comitem se illi addere voluisse: sed ab ipso suum iter tenere iussum, se ad nostros contulisse.

BARCINONE Collegium nouis aedibus, templum sacellis duobus, templiq. instrumentum argentea pyxide ad Eucharistiam seruandam affabre facta aucta sunt. & haec maximam partem ciuium liberalitate comparata; qui suis eleemosinis non modo fabricam iuuerunt, templum ornarunt, sed nostram etiam inopiam leuarunt. Ad priora Collegij vectigalia priore anno ius accessit decumarum magni momenti: itaq; laxata res familiaris est. Albertus Austriacus Cardinalis posteriore anno, cum hinc solueret in Belgium, centum nobis aureos eleemosina donauit. P. Rectoris concionibus excitata ciuium pietas ad inopiam domus hospitalis, cui à misericordia est nomen, subleuandam: collati numi aurei circiter mille, quibus extructa culina est, & ad cubilia lecti multa cum stragula, linteaq. veste coempti sunt. Quidā atrae bilis actus intemperijs, obiecta sibi in agro ambulanti inimici specie sic territus est; vt amenti, ac lymphato similis domum redierit; ac ne praeceps fureret, fuerit vinclis constringendus. Aduocatus

Sacerdos e nostris, conuicijs excipitur: rerum imperitus salutatur: verbisq. asperis facessere iubetur. Pater, morbi caussa cognita, constanti, sedataq. oratione hominem alloquitur: iubet tranquillo esse animo: Christum Dominum veram esse aeterni Patris sapientiam; cuius lumine mentis caliginem discuti posse: tantum ille IESV nomen inuocet. id cum ille pertinaciter renueret; horrendosq. gestus corporis cieret; pater in preces se dedit; neque ita multo post Diuinae opis spe concepta, surgit à precibus: hominem iubet vinculis absolui, solutus tranquillitati animi restituitur: totiusq. vitae maculis elutis per confessionem, iniurias omnes sponte inimicis condonauit: pauciſq. diebus, ingraueſcente morbo, sacramentis munitus vita cõcessit. Scholae binae Theologicae studiose frequentantur. centum in ijs censentur auditores: & in ijs aliarum etiã familiarum religiosi viri.

GERVNDAE impurum saltationis genus, quo multorum periclitabatur pudicitia, nostri Sacerdotis concionibus sublatum est. Scholae absolutum superiore anno Philosophiae cursum huius biennij priore repetierunt, Latina oratione in templo à professore habita. Ad vetus Collegij vectigal priore anno annuos millenos aureos adiecit Iacobus Agullana Maior Gerundensis Ecclesiae Archidiaconus: facitq. spem, se plura adhuc largiturum. & extant vetera eius in Societatem beneficia immortali memoria dignissima. Peregrinationes aliquae susceptae ingentia animorum lucra reportarunt: in dioecesim Hellenensem trimestris, Episcopi rogatu: reliquae tres in Gerundensem ditionem. frequens inductus sacramentorum vsus: praua cõsuetudines, quibus virginum pudicitia veniebat

bat in discrimen, sublatae : concubinatus impudentissimi, nec sine sacrilegio, & adulterina coniugia correcta, ac suae integritati restituta.

IN Maioris Balearis Collegio festum corporis Christi posteriore anno in octiduum totum continuari coeptum est, magna ciuitatis frequentia, quotidianas conciones, dicentium varietatem, ceteraq. festae laetitiae signa demirantis. Supplicationem solemni pompa Dominicani Patres in honorem S. Hyacinthi, recens sanctorũ catalogo adscripti traduxere. eam nostri ornatu templi, multo carmine, alijsq. laetitiae ac pietatis argumentis exceperunt, cohonestaruntque. quod ita gratũ religiosae familiae fuit; vt illorum Praeses duos e patribus gratijs agendis allegarit. E Parthenia Sodalitate si nullus alius, fructus certe posteriore anno Deo gratissimus prolatus est, admiranda vnius pietas adolescentis. Hic, quod zelo diuini honoris succensus, feminam, quae honesta habebatur, pijs monitis ab illicita impuri amatoris consuetudine deterruisset, vocatus in templum, atque in secretiorem partem seductus, aspere primum verbis, deinde etiam colaphis, pugnisq. à mulieris amasio acceptus, omnem eam cõtumeliam Christi amore patiẽti tulit animo. Idem cum à matrona ad flagitium inuitaretur; pia oratione primum, deinde nudo mortui hominis obiecto cranio, ita eius procacitatem castigauit; vt in lacrymas soluta, se postridie ad nostrum templum confessionis caussa venturam polliceretur. Idem etiam feminam aliam viri nobilis pellicem suis hortationibus à turpi vita abstraxit; atque ad conuictũ paenitentium in religiosam domum pietatis adduxit; quae non multo post vitam sancte institutã magna cum sua, & adolescentis laude, pio sanctoq; fi-

ne concluſit. Poſtremo adoleſcens ipſe quoque phthiſi conſumptus ad ſuae pietatis capienda præmia e vita exiuit. Duo Sacerdotes inſulae opida peragrarunt, noſtrae Societatis munia circumferétes. Accidit vt in opido quodã omnes confiterentur, praeter paucos, qui diuitijs freti quaſi Deus, perinde ac duo peregrini ſacerdotes, illorum opes vereri deberet, religionem illam neglexere. tanta caelitus in eorum praedia, & oliueta dimiſſa tempeſtas eſt, vt non ſolum praeſentis anni fructus interierint; ſed etiam, fractis, deiectiſq. arboribus, ad inſequentes quoque annos fuerit calamitatis dãnum peruenturum: cum vicinorum agros procella ne attigerit quidé. Fuit vnius obitus in opido terrori omnibus, qui cum patribus ingentẽ diſcordiae flammam extinguere conantibus vehementer obſtitiſſet, ſecundum illorum ex opido diſceſſum, grauem in morbum incidit; quo tandem extinctus eſt, vni tantum e multis, quibus grauiter infenſus erat, iniurijs condonatis. Quod item haud dubie multis alijs alibi contigiſſet; niſi noſtrorum hortatu cum inimicis in gratiam redijſſent: vt vel ex hoc ipſo diuina aeſtimari beneficia non poſſint, quae ab his excurſionibus percipiuntur. Ad Collegij aedificationem vicus acceſſit; quem multis annis expetitum poſteriore huius biennij anno beneuole admodum ciuitas nobis conceſſit.

DO-

DOMVS PROBATIONIS Tarraconensis.

TARRACONE nouicios nondum acceperat designata tot ante annis Probationis domus. posteriore tamen anno eo aedificatio perducta erat, vt spes esset in eam breui iam commigraturos. Concursus ad conciones tantos, vt templi angustias homines querantur: facit adhuc loci incommoditas admirabiliores. est enim templum extra vrbem, & eodem tempore in primaria vrbis aede sacra lectio habetur; in alijsq. aliarum familiarũ templis supplicationes solemni cerimonia, cantuq. & symphonia habentur. Ebusus est insula, si Plinio credimus, septingentis stadijs inter Baleares, & cõtinentem, sed Tarracone longo maris tractu disiuncta. ea nunc vt salis optimi ferax, ita cetera cultura, incolisq. infrequens: tantam rerum mutationem temporis affert diuturnitas. Haec ad dioecesim pertinet Tarraconensem: & per multas aetates pastorem suum non vidit. eam inuisere, & sua praesentia recreare constituit pius Antistes. duos e nostris secum duxit. & sane huic itineri multum fauit diuina Bonitas. siquidem in traiectione tres Algerianae biremes, quae ad praedam imminebant, nostris ex cursu spectantibus, à Christianis interceptae sunt. In insula vsitata Societatis officia in incolas collata. praeter cetera sex hominum millia ad cõfirmationis percipiendum sacramẽtum nostri praepararunt. In reditu haud dubie diuina ope factum est, vt tantisper mare quieuerit, quandiu sacer ille comitatus nauigauit. Vix enim exscensione facta,

saeua tempestas nauim in altum abreptam vehementer ad litus iterum afflixit. Peregrinati sunt alii in mensem tertium ad opem opidis ferendam Tarraconensis ditionis. Templa quamuis ampla concionem non capiebant. e circuniectis enim locis cum ad diuini verbi semen, tum ad confessionē confluebant tanto numero, vt Sacerdotes decem paenitentibus excipiendis non sufficerent. Pacificationes centum viginti contraxerunt: vitae totius confessiones mille quingentas exceperunt: diffidia composita: incommoda sublata, aliaq. id genus quotidiano vsu satis nota, scribenda non sunt:

PRO-

PROVINCIA SARDINIA.

IN Prouincia Sardinia domicilijs quatuor Socij centum viginti numerati sunt posteriore anno: nam prioris nullæ litteræ venerunt. in Collegio Sassaritano quadraginta, totidem in Callaritano: in Ecclesiensi, vbi tantisper sita est familia nouiciorum, dum Callaritana Probationis domus exstruitur, triginta: in Algarensi decem. Desiderati tres sunt, vndecim admissi.

COLLEGIVM Sassaritanum.

SVperiore anno, cum tota Sassaritana ciuitas morbis afflicta langueret, nostri, ad leuamen ægrotorum, illius seu calamitatis, seu diuinæ beneficentiæ expertes fuere. hoc anno, restituta ciuibus salubritate, nostri, ne illius incommodi mercede priuarentur, quam operam ciuibus ante præstiterant, eandem sibi mutuo intra domesticos parietes præstitere: & patientiæ in ferendis morbis, & caritatis in iuuandis morbidis dignum exemplum præbuerunt. Sed vtroque tempore tum prospero, tum aspero diuinæ in nos beneuolentiæ signa lætis animis excipienda. Quadragenario ieiunio noster in Principi templo concionatus, virum primarium, & opulentum perpulit, vt valetudi-

tudinarij curam susciperet. erant enim domus eius opes attenuatæ, & collapsæ, & tota res ad magnam inopiam redacta. Is suis sumptibus susceptit erigendam. Ac primnm quidem domicilium instaurauit; deinde rem domesticam restituit; lectis, veste, rebusq. alijs instruxit; cibaria ad victum comparauit: eam demum œconomiam, & domesticam ministeriorum rationem ordinauit, qua huiusmodi Familiæ regi solent.

In scholis auctus est numerus discipulorum, & litterariæ exercitationes maiore contentione peractæ. quotidiana de conscientiæ casibus addita schola clericos ita quæ sui muneris sunt edocuit, vt tuto iã audiẽdis confessionibus exponi possint. Maior numerus discipulorum maiorem quoque alumnorum numerum Sodalitati B. Virginis comparauit. Neque duæ illæ tantum, quæ ex discipulis constant; sed tertia etiam, quincto ab hinc anno instituta, aliorum ciuium numero aucta est. Institutum præterea hoc anno quartum oratorium, quo alius ordinis ciues ad pietatis officia exercentur. Surgit in dies nouum templum. Agros quosdam superiore anno colere cœpimus. ij tantum frumenti copiam reddidere; vt speremus, æs alienum, quo Collegium grauatur, leuari posse. Aucta etiam alia ex parte res familiaris hæreditate viri nobilis huius ciuitatis. is moriens Collegio bona, quæ mille quingentis aureis æstimantur, legauit. Ciuis alter Theologiæ doctor libros non modicos Collegio reliquit. hoc quantulocunque emolumento aucti sumus ab homine nostri ordinis amantissimo. Excursum est à nostris tum in loca alia, tum in vicinam ciuitatem: quæ ita in amorem nostri ordinis est excitata: vt de Collegio apud se fundi-

do

do consilium iniuerint: pecuniam bene magnam contulerunt: & domum iam ædificare cœperunt; vt ea tantisper hospitio vtamur dum de Collegio constituendo consilium maturat.

CALARITANVM Collegium.

CALARI Proregis, & Archiepiscopi propensam in nos voluntatem, tum in templi fabrica suis eleemosinis iuuanda, tum alijs beneuolentiæ non obscuræ documentis experti sumus. magna quoque animi propensione nostris litterarijs exercitationibus interfuere. sed non leue damnum fecit tum collegium nostrum, tum ciuitas vniuersa in Antistitis optimi interitu: qui vitæ actæ integerrime sane fuit consentaneus. nam vt viuens assiduis eleemosinis, tum nostram tenuitatem, tum pauperum aliorum egestatem sustentauit: ita moriens suæ insitæ benignitatis oblitus non est. quadrigentos enim numos aureos nobis reliquit.

Scholæ discipulorum frequentia eadem, qua superioribus annis, celebratæ sunt: fructu etiam maiore. creuit enim eorum numerus, qui in B. Virginis tutelam se recipiunt: multiq. animum ad religionem iam adijciunt. E minorum Sodalicio discipulorum, quod superiore anno institutum est, quinque in Societatem nostram transiere: copiosus sane primiciarum prouentus: cum alij ad alias se familias contulerint. Nostrorum conciones, quam gratæ ciuitati, hoc anno maxime intellectum est: cum loca omnia quibus populus doceri solet, ciuibus flagitantibus, nostros occuparint.

Ex

Ex excursionibus soliti fructus exstitere: peierationes repressæ; iniusta mercimoniorũ ratio correcta: reuocati ad confessionis vsum, qui vel desperatione, vel odio inimicorum Sacramenta omnino, & quidem aliqui decem ipsos annos, omiserant: conscientiæ tranquillatæ, & spectris diabolicis liberatæ.

ECCLESIENSE Collegium.

ALit adhuc Ecclesiense collegium nouicios: ex eorum numero, magno edito odore pietatis, obijt vnus. Quem in morbo cum parens inuisisset, ac pro paterna indulgentia ei dixisset; à patribus impetratum esse, vt commodioris curationis caussa, in suam domum trasferretur; indignabundus patris molliciam increpuit: non esse hanc pietatem illam, & beneuolentiam in Societatem, quam semper professus esset. quod si in paterna domo, & mollius, & indulgentius curari posset: non tamen æque opportune, & diligenter, ea quæ & morbi ratio, & animi cura postulant, atque inter tot patres, fratresq. curationum peritos, & in vnius sui curam Sollicite intentos, præsto sibi futura. Quin postero die cum iam certior immineret obitus, a patre impetrauit, vt Fratrem alterum, qui se ætate sequeretur, ad Societatem instituere: vt e quo ipse loco educeretur, in eum ille immigraret.

Instituta est inter ciues B. Virginis sodalitas summa totius ciuitatis gratulatione, in qua sodales Christiana doctrina informati, ad frequentem Sacramentorum vsum rite vsurpandum, & ad alia pie-

pietatis officia, & egenorum inopiam leuandam instituuntur.

Algarij institutum est hoc anno, vt Dominicis diebus sub primum Sacrum breuis oratio ad eos habeatur, qui variis de caussis concionibus interesse minus possunt. quorum non exiguus est numerus. Scholæ augentur, & discipulorum numero, &, vt exemplo docent, pietate. duos enim hoc anno Societati nostræ protulere. cetera quæ quotidie vbique fiunt, iteranda non sunt.

PRO-

PROVINCIA BETICA.

VNDECIM domicilliis bene frequentibus Prouinciæ Beticæ Sociis distributi degũt. Domo Professorum Hispalensi vtroque anno sexaginta duo: eiusdem Ciuitatis Collegio priore anno septuaginta duo, octo & sexaginta posteriore; Anglorum Seminario in eadem vrbe septem prius, octo postea: Collegio Cordubensi septuaginta, tres priore anno, posteriore sexaginta: Granatensi Collegio quadraginta nouem; quinque posterior adiecit annus; Collegio Montellano quadraginta quinque; quinque huc quoque posteriore anno accessere: vnus, & viginti Collegio Baęzano: e quibus postea quinque decessere. Marcenensi Collegio quindecim: quibus postea duo accessere: viceni vtroq; anno. Malacensi par numerus quo Trighe rensi: biennio toto duodecim Xerensi: duodeuiginti Gaditano; vndeni Astigitano: Casorlano tredecim; vnus postea additus: Vbetano prius quinque, inde septem. Ex his summa colligitur priore anno quadringentorum quadraginta trium: triginta septem supra quadringentos posteriore. Obiere priore anno vndecim, octo posteriore: Tirones nostræ Societati dedit vterque annus, hic quatuordecim, decem ille.

DO-

DOMVS PROFESSA Hiſpalenſis.

IN Hiſpalenſis profeſſorum domo humanae debitum naturae perſoluit P. Ludouicus Eſcouarius, domo Hiſpalenſis, ſed per id tempus Rector Collegij Granatenſis, huc miſſus in patriam caeli experiundi cauſſa, lenta phthiſi, & ſanguinis excreationibus paene conſumptus. Quadrageſimũ aetatis annũ nondũ expleuerat, viceſimũ ſextũ agebat in Societate. vir praeter ſingularẽ pietatẽ, & ſui deſpicientiã, inſigni etiã prudẽtia ornatus, & dexteritate ad tractãdos animos: quos ab inſita humanitate, & prudentia primo ſibi congreſſu facile conciliabat. Ei ſecundum Deum Collegium Hiſpalenſe, cui tunc moderabatur, egregiam gymnaſii molem, nobilemq. fabricam acceptam refert. Eandem vt patrii caeli clementiam experiretur, ex Aſtigitano Collegio, vbi Miniſtrum agebat, huc venerat P. Ferdinandus Andieda, calculi morbo grauiter afflictus: ſed nullo meliore, quam P. Eſcouarius euento. Potuit ille in grauiſſimis doloribus forte præbere exemplum patientiae; morbi tamen ſaeuitiam patrium caelum minuere non potuit. erat non ita pridem Sacerdotio initiatus: ſed in ſummis cruciatibus cum viuum de ſe Deo ſacrificium offerret, ad Hoſtiam illam in omnem aeternitatem percipiendam ac fruendam euolauit, quam ſaepius libarat in altari. Domeſtici ceteri, vt bona vſi omnes valetudine, ita nullius opera vllo loco eſt deſiderata. Adhibetur praecipue noſtrorum opera ad eos iuuandos, qui a Religio-

gio-

gionis censoribus damnantur. Et cum vno iudicio, vnaq. sententia damnationis aliquot essent incendio addicti, omnes se praebuere nostrorum monitis obsequentes. Scotus vnus, quinquennio iam squalore carceris attritus, ita erat in sua obstinatione peruicax, vt quamuis acerbissimos potius cruciatus excipere paratus esset, quam vt conceptam alte haeresim eijcere, in animum induceret. non defuere rationes, quibus ille obstrictus teneretur: animi emollire duritiam illi graue erat. tota nox in illa epxugnanda insumpta est: donec vna cum alijs ad tribunal, indeq. ad suplicium producitur. non animum qui illi noster assistebat, despondet: statuitq. & ipse pari pertinacia ad extremum vsque temporis momentum diuinam causam non deserere. haec nostri hominis constantia misero saluti fuit. inflexit tandem peruicacem animum, & aliquod suae salutis studium concepit. itaque consumptis aliis, tantisper ipsius supplicium dilatum, dum abiurata haeresi, factaq. vitae totius confessione, Ecclesiae Catholicae gremio restitutus est. Ad Ecclesiam eandem aggregatus est Maurus ex iis, qui compacti in triremibus remigio addicti sunt. Is vltro saepius venit ad nos: magna contentione baptismum flagitauit. id se nō amore libertatis, sed aeternae vitae postulare conteſtatus. Visam sibi in quiete feminam, magno aliarum specie pulcherrimarum comitatu: ipsam omnium augustissimam, ad quam supplex turba remigum manus tenderet; ad se accessisse propius, sibiq; praecepisse, Christo se addiceret; atque in baptismo Ioannis nomen sibi legeret. Hæc multis cū lachrymis, & ingenti sensu animi ita narrabat, fides vt illi haberetur. A Trierarcho nostri, vt tantisper

tisper vinctus domi nostrae crederetur, quoad Christianae fidei praeceptis imbutus, baptismo maturus videretur, impetrarunt. Celebratus est eius baptismus magna ciuitatis & festa totius classis gratulatione.

Conciones quoque suos fructus protulere: sed ceteris quidem iam pridem vsu notis: vnum illud minime quotidianum. Meretrices tres a turpi & coenosa ad Christiano dignam vitam traductae sunt. Congregatio nobilium Visitationi Virginis dicata magna capit incrementa: nec vulgares ex ea fructus colliguntur: mille & quingentos homines vno anno e vinculis exemerunt. Et cum vsitatis ministerijs nostrorum opera intra extraq. domesticos fines se porrigit ad carcerem, ad nosocomia, ad catechismum: tum praeclaro illo facinore vnius nostri Sacerdotis labor fuit insignis. Perniciosus, vt in multis alijs solet, ita hac vrbe antiqua consuetudine vsus inoleuerat: vt mense Maio diebus festis infimae sortis adolescentes, vacui ab opere, ac male feriati, ad portas vrbis conuenirent; bifariamq. diuisi in suas quisque factiones fundis, fustibus, ensibusq. ligneis acriter inter se pugnas cierent. ad eam coercendam licentiam nulli viri graues accedere dignum ducebant: magistratus remissius agebant: apparitores medios se inter tantam lapidum procellam inferere non audebant. ita glisces malum maiores in dies vires capiebat. Statuit illud Sathanae ludibrium tollere Sacerdos e nostris, qui catechismo praerat; & solutos illos adolescentes à furioso certamine ad piam Christianae doctrinae contentionem abducere. ergo agmen puerorum illuc admouet. ipse arrepta cruce, excelso animo in medium se certamen inijcit: im-

perat contenta voce audientiam. non vsque eo amentes ferebantur; vt insitam patrio more pietatem ex animo excluderent. ad signum crucis, ad conspectum venerandi Sacerdotis, tantum se in discrimen diuini honoris caussa conijcientis, impetum cohibuerunt. vehemens illorum animis admouetur oratio: concidunt excitati prius in certamen spiritus; sensimq;. ad mansuetudinem emolliti, se ad agmen catechisticum adiungunt; vnaq. pia carmina decãtantes, nostrum Sacerdotem domum vsque prosequuntur. ita omnis illo die repressa turba est. Reditum eodem iterum, ac tertio, donec prorsus furiosa omnis illa concertatio sublata ac suppressa est, ne reuiresceat. nam non solum à tam periculosa dimicatione adolescentes auocati; sed infesta quoque tela ex eorum manibus excussa. quingentae fundae in medium collatae: maior ligneorum ensium, ac fustium numerus aggestus. haec omnia magna ciuitatis voluptate, tanquam e sathanico praelio reuecta spolia cruci suspensa.

Excurrere ad diuersa opida saepius nostri Sacerdotes, quanto cum fructu, longa iam multorum annorum docuit experientia. satis sit illud dicere impigros homines studio succẽsos animarum loca multa peragrasse, quae multo iam ante nostra cultura indigerent.

Renouata est posteriore anno cum Patribus Dominicanis, & multis verae beneuolentiae officijs vltro citroq. collatis confirmata antiqua veteris familiaritatis coniunctio. Quo tempore sacra S. Hyacinthi memoria nouo Pontificio decreto Ecclesiae vniuersae rite colenda proposita est, eam Patres eiusdem ordinis octiduo celebrarunt. octo eiusdem ordinum eximij Praedicatores lecti

sunt,

sunt, qui suo quisque die in Dominicanorum templo de viri sancti laudibus dicerent ad cõcionem. Primum diem nostro P. Prouinciali detulere: qui ita dignum eo loco se praestitit; vt summa cum omnium non Principum virorum modo, sed etiam religiosorum Patrum admiratione laudem tulerit. Pari probatione in eodem eorum tẽplo huius domus Praepositus ipso die festo S. Dominici concionatus est. Magna item eorundem approbatione vicissim die Circuncisioni Christi sacro inclytus ille verbi Dei Praeco, & clarus Dominicani ordinis, atque adeo Ecclesiae fulgor F. Ioannes Spinosa in nostro templo tanta nostri ordinis commendatione concionem habuit; vt non paruam exercendae modestiae occasionem nobis praebuerit. Eo die ipso vir clarissimus, cum aliquot e sui ordinis primoribus, ea, quae talibus officijs comitari solet, & tanta religione viros decet beneuolentia domi nostrae pransi sunt. Idem die S. Hermenegildo dicato, in nostri collegij templo, cui Sanctus Martyr patronus lectus est, praesente Vrbis Praefecto, & magno optimatum numero, aliarumq; religionum viris grauissimis sua facundia vniuersam laetitiam dicendo cumulauit. conuiuio exceptus, eo die peramanter in collegio cum sui ordinis prouinciali Praeside, alijsq. primoribus religionis versatus est. Auxit postmodum coniunctionem gemina in honorem S. Hyacinthi octidui interuallo magna pompa ab ipsorum templo per vrbem traducta supplicatio: siue ad sacram eius memoriae celebritatem augendam; siue ad reprimendas pluuias; quibus magna cum aedificiorum strage, & rerum aliarũ eluuione per eos dies Boetis flumen ingens exundauerat. Vtroque die per nostrum & collegij

templum agmen transijt. apparatus magnificentia vtrobique rem fecit augustiorem. non enim templum modo, templiq. faciem; sed ipsum etiam vicum totum, quatenus ad nostrae domus pertinet aedificium pretiosis peristromatis conuestiuimus, varijq. versus tum latino, tũ Hispanico, Anglicoq. idiomate conscripti, argumenta varia, speciosa emblemata, aliaq. musarum dona, quibus docta ingenia, miro artificio ludentia, admirationem excitarant, apparatum omnem illustrarunt. Ingens ara, praeter cetera, visenda fuit ornatu pulcherrimo. cui apposita simulacra ad viuum efficta Sanctorum Dominici, & Thomae Aquinatis, ipsius S. Hyacinthi, cui tota celebritas dicata, simulacrum medium habebant. Eadem, ac multo plura ingeniorum monumenta (ne sint eadem iteranda) etiã circa collegium proposita sunt. Ducenti praeterea discipuli, primae nobilitatis adolescentes, pretiosissimo amicti ornatu, multo auro, gemmisq. fulgentes Cardinalem Archiepiscopum in supplicatione euntem, exceperunt. Ibant & alij item nobilissimi adolescentuli ornatu clericali, qui, accensis facibus, ferculum, quo D. Hiacynthus (ossane, an simulacrum) ferebatur, facti obuiam cinxerũt. Quatuor alij ad id lecti adolescentes eundem Cardinalem latinis, Hispanisq. versibus consalutarunt: subindeq. varia de S. viro elogia pronunciabant. Et cum iterum octauo die pompa eadem repeteretur, e nostris multi venerandorum patrum inuitatu in eorum coenobio peramanter prandio excepti sunt. decantatisq. vespertinis Horis duo a nostris, alterum soluta oratione, carmine alterum S. Hyacinthi, & totius ordinis Praedicatorum encomia pronunciata sunt. Quibus rebus mirũ quantis

tis beneuolentiae vinculis religiosissimorũ Patrum animi nobis deuincti sint. Piorum in nos liberalitas futura fuisse videbatur priore anno cõtractior, vita functis, qui summe liberales fuerunt erga nos; & classe, quae ex transmarinis oris aurum vehit, nondum appulsa. Sed Dei benignitate, ita prolixa fuit; vt non modo nil defuerit; sed & ad sacrum etiam apparatum magna pecunia suppeditauerit; & multum ad aedificationem superfuerit: vt biennio toto pars aedificij ad coronidem peruenerit; quae quatuordecim commoda continet cubicula, cum varijs in ima parte distributis officinis.

COLLEGIVM Hispalense.

IN Collegio Hispalensi priore anno cum multi varijs morbis conflictati sint, tres ad meliorem transmigrarunt,& manentem ciuitatem: sacerdos vnus, & scholastici duo, lente omnes phthisi consumpti. Scholae mille numerant auditores: atque eorum, qui Philosophiae colunt studia, numerus maior hoc biennio,quam antea fuit. Theologicae, Philosophicaeq. concertationes magna, & nobili frequentia celebratae.eas cohonestauit aliquando sua praesentia Regij Senatus Regens nobilissimo Regiorum Auditorum comitatu. Ne scholae quidem humiliores suo fauore caruere. Priegueriſis Comes cum primum Praetor in hanc vrbem venisset, nostras aedes inuisit, scholas adiuit, & pueriles exercitationes iucunde admodum spectauit. Sodalitas B. Virginis dicata feliciter procedit. pergunt sodales optimi in vtroque studio, & doctri-

nae, & pietatis augere laudes suas. Ex eorum numero Sodalis iam studiorum cursus in nostro gymnasio emensus, magna probatione ciuitatis, & animorum fructu ecclesiasticae munus exercet. duae impurae mulierculae illius cõcionibus e ceno turpitudinis emerserunt. Tria illa veluti Seminaria puerorum, de quibus proximis litteris est scriptum, suos sibi quodque patronos adoptarunt, Sanctum Iosephum, Sanctos Ioannes Baptistam, & Euangelistam. Pergunt in studio colendae pietatis ea cura, atque animi ardore, vt ijs, qui iam in Parthenios adscripti sunt, non concedant. multiq. eorum parentibus orti nobilibus arctam sibi octauo quoque die peccata confitendi legem iniũxerunt. quod in magna rerum copia illecebras subinde inferente ad licentiam, aetate blandiente, & molli cultu, ornatusq. elegantia animi vires eneruante, ita integre obseruant; vt nulla neque temporis grauitate, neque scholarum intermissione vnquam praetermittant. Sodalitas Christianae doctrinae, de qua saepius iam scriptum est, ad ceteras exercitationes hoc adiecit: vt Dominicis, festisq. diebus nosocomia inuisant: aegris solatio sint: & eos Christianae vitae imbuant praeceptis. P. Didacus Gusmanius, clarum exemplum probitatis, pergit rem totam promouere: &, quoniam, aetate iam affecta, pedes obire labores minus potest, asello vectus naturae subuenit imbecillitati. Is vrbanas quoque puerorum scholas obit; blandaq; vt in sene lenitate, inditaq. dulcedine sermonis teneras illorum mentes ad Christianam pietatem studet informare. Addam, quod exemplo esse possit. Quo tẽpore sacrae in honorem Christi corporis feriae octiduo toto celebrantur, discipuli scholarum, partiti

titi vices interse, suum quique diem sortiti, quotidie in collegij sacello, pulcherrime ornato, magno exemplo pietatis diuinam mensam inire instituerunt, adhibito symphoniaco vocum, organorumq. concentu.

SEMINARIVM Anglicanum.

IN Anglicano Seminario priore anno decessit Sacerdos vnus. cui in magna conscientiae tranquillitate illud vnum maerori fuit, vitam non sibi omni cruciatuum diritate in fide catholica tuenda eripi. is ex Anglia euadens sex egregiae indolis pueros secum eduxit. posteriore anno obiere tres, Georgius Ionsonus annos natus non amplius septemdecim. eum morti proximum hilarem, ac renidentem P. Personius percunctatus, an libenter ad Deum proficisceretur: libentissime respondit: multo tamen libentius, si id in Londinensi patibulo contigisset. Auunculi sui sibi assidentis lacrymas magno animo castigauit; sermonesq. de hac vita constantissime reiecit, sibi hoc tantulum, quod reliquum esset temporis, in aeternorum cogitatione, & familiaritate cum Deo transigere, vt permitterent, postulauit. Hunc sequutus est Robertus Gaulerus annum agens circiter quartum & vicesimum, Graece pariter, latineq. doctus, fraterna caritate tam insigniter ornatus, vt: Roberti caritas: inter eos abierit prope in adagionē. Hic item sub ipsum extremum spiritum a P. Personio monitus; vt, siquid in extremo conflictu solatij sentiret, signo indicare aliquo ne grauaretur. cum annuisset, paullo

post emortuo iam corpori vim faciens, brachia contendens, in extrema illa verba erupit. *Vtinam disrumperentur omnia membra mea pro Christo, religioneq. Catholica.* Duobus hisce tertio loco successit Thomas Exertonus, adolescens illustri ortus familia, aetate annorum vnius & viginti: doctrinae studijs, & pietatis laudibus Roberto par. creditur ex nimia corporis attritione & cruentis flagellationibus exsuctis visceribus, vlceratag. cute ecticam febrim contraxisse, qua consumptus est. Morti certe proximus vni e nostris patribus ad se accersito cilicium, sanguineq. illitum flagellum reddidit. Quando, inquit, e praelio est excedendū, arma depono. quibus si id nō sum assequutus, quod maxime in votis erat, & ad quod his me praelijs comparabam, vt vna cum ceteris coathletis meis in solem & puluerem prodirem; in hac certe arena, in qua nunc pugno, cubiculum erit pro carcere, cubile pro vinculis, morbus pro tortore, pro cruciatibus dolores. interq. has, aliasq. intentas ad Deum cogitationes immaculatum spiritum Deo reddidit. Horum corpora in professae domus templo sepulturae tradita.

SEMIN. ANGLIC. Hispalense.

PRofecti praeterea in Angliam sunt Sacerdotes quatuor. tres posteriore anno, sed spiritualibus ante exercitationibus communiti, magna animi alacritate, magnisq. conceptis votis catholicae rei subleuandae. Sed qui primus omnium priore anno discessit veteranus miles, & in praelio diu ver-

versatus, magnum eius militiae habet vsum. quippe duodecim ipsis annis, antequam in Hispaniam veniret, tetri, & angusti carceris squalorem sustinuerat. & nunc audito de profectione nuncio, vt generosus equus prosilit ad praelium, ita ille gaudio exsiliuit. In horum locum cum alij altae indolis adolescentes, tum praecipue optimae spei germani fratres duo: quorum maior natu decimum quinctum annum nondum expleuerat. tam iucundo vterque aspectu, tanta vultus, ac totius corporis modestia, vt omnium oculos in se, animosq. conuertant. Horum pater nobilis, & opulentus, quod sacerdotem domi aleret, ex hisce seminarijs profectum, morti addictus erat. Sed vt illum martyrij corona haeretici priuarent, supplicium prorogarunt perpetuo carceri addicto. quo non ante emissus est, quam octauo demum anno Christi cõfessor corporis ergastulo solutus est. in carcere haec duo germina Christo protulit. mater post viri mortem carissima pignora, viri imagines sibi relicta, ita curauit in fide catholica, & litteris instituenda; vt, cum maturum esset, in hoc seminarium mitterentur. & per id tempus id agebat, quemadmodũ ipsa suis litteris significauit, vt se totam Deo deuoueret. Quid ex tali prole sit sperandum, ex ipsa licet conijcere prognatione. & sane dignos se praebent egregij alumni & Regia munificentia, & piétissimae gentis beneficijs, propensaq. in ipsos omnium ordinum voluntate. Tantam modestiam, pietatemq. cum prodeunt prae se ferunt; vt ab illis spectandis hominum oculi auocari non possint: neque est, qui non eos faustis ominibus prosequatur. Iam quanta cum laude vtraque studia colant, alias perscriptum est. Sed B. P. N. Ignatij exercitatio-

tationibus exculti, mirum est, quantum inde hau-
serint ardorem spiritus. & cum anno toto omne
pietatis genus amplectantur, tum praecipuo fer-
uore Aduentu, & Quadragesima ieiunia, cilicia,
flagra, aliasq. pias frequentant exercitationes. Et,
vt in noua ciuitate, praeter studia illa grauiora, ad
quae toto pectore incumbunt, varijs quoque sub-
inde musarum muneribus coguntur ingenij speci-
men praebere: vt in S. Hyacinthi celebritate mo-
do diximus: & natalicias Christi ferias mira car-
minum, linguarumq. varietate exornarunt. Tragi-
comediam quoque ingenijs multorum explorandis, quasi communibus symbolis composuerunt:
cui nomen *Anglia lapsa resurgens*: quae Principi-
bus ciuitatis mire placuit, ad commiserationem
vsque & lacrymas. Nec desunt interim futuri cer-
taminis proludia. captiuos Anglos, qui piraticam
exercuerant, cum huc adducuntur, disputationi-
bus ab haeresi abducunt. Ex ijs vndecim ad catho-
licam Ecclesiam vno anno adiunxerunt. Et cum
angustijs aedium in morbum facile inciderent, vir
primarius facultatem ijs spatiandi dedit, animi la-
xandi caussa, in suburbanis hortis, quos habet &
instructos & amenos. tum a ciuitatis primoribus
actum serio de laxando ijs domicilio: idoneaq. est
in id pecunia collata. Sed Diuina prouidentia, &
Regis liberalitate, tandem ampliſſima coempta
domus, atrijs peristylijs, aulis, cubiculis, officinisq.
ita referta, vt alumnis ducentis domicilium prae-
bere possit. &, quod magnam habet opportunita-
tem, est nostro gymnasio vicina. hortos habet ad-
iuncto neque angustos, neque inamenos. Sola
desiderabatur aqua perennis. Hanc cum à Meti-
nensi Duce P. Personius postulasset, & ea mensu-
ra,

ra, quae ad vsus domesticos sufficeret, duplicata mensura impetrauit. ita non modo ad vsum: sed ad domus etiam ornamentum facta deriuatio.

COLLEGIVM Cordubense.

QVadriennio ante scriptum est, Cordubae Sodalitatem Christianae doctrinae institutam carceris,& valetudinariorum curam suscepisse. Ea priore huius biennij anno aegrotorum curam denuo suscepit; multosq obaeratos, & vinctos, re cũ creditoribus composita, e carcere liberauit. Homo miser, captus oculis,ac tetro fetidoq. morbo pressus in itinere a comite duce destitutus, errauit aliquandiu per auia, manu carptis herbis se sustentans. id cum resciisset vnus e sodalibus, conquisitum, ac domum suam adductum sesquimense benignissime curauit. sed intendente se in dies morbi vi, in hospitalem domum deducendus fuit. putredinem vero,& graueolentiam valetudinarij ministris non ferentibus, rursus paene destituebatur. sodales igitur, partiti vices inter se, quater in die bini adeuntes, illius curam susceperunt, donec, praeter omnium opinionẽ feda vlcera sanata sunt. igitur viatico instructus, & currui impositus benigne in patriam remissus est.

Scholarum discipuli ea modestia, disciplinaq. instituuntur, vt illorum exemplo ciues reliqui ad pietatem prouocentur; nosocomia & ipsi adeant, iuuent aegrotos: eaq. praestent omnia, quae scholarum alumnis quotidiana esse vident.

E Parthenia sodalitate, noua alia quasi germen

nouum

nouum, prodijt sodalitas. haec coenobij curam sus-
scepit, quo paenitentes feminae a turpi vita se re-
cipiunt. in eam priore anno primarij viri ad tri-
ginta nomen dedere: collataq. in medium pecu-
nia, illarum domicilium vetustate iam fatiscens, ac
ruinosum resarserunt, impensa omnino trium mil-
lium aureorum. Iidem in magna annonae caritate
trecentos tritici modios coemptos in subsidium
eius familiae dederunt. Auxit annus posterior hanc
sodalitatem magno sacerdotum numero, vt tota
paene sacerdotibus constare videretur. Hi non in
vrbe solum, sed opida etiam discurrentes, eleemo-
sinas inopi familiae alendae corrogant; ita ut & ad
necessaria vitae praesidia, & ad templi etiam or-
natum abunde illi suppetat. Iidem per vrbem, cũ
in eos incidũt, peierantes, aut maledicta in Deum,
caelitesq. coniicientes corrigunt; vagos, erronesq.
ad Christiana discenda praecepta, confessionemq.
faciendam nostrum ad templum compellunt. sae-
pe accidit, vt operarios, & inopes, diurni operis
mercede persoluta, ad nullum opus aliud condu-
xerint, neque operam ab ijs vllam exegerint, quam
vt peccata confiterentur. In catechismi supplica-
tione puerorum agmine admisti, aut tintinabulum
quatiunt; aut vna cum pueris pia carmina decan-
tant.

Multa ex hoc collegio Sacerdotes aliqui opida
adiere; eq. suis laboribus, & Societatis ministerijs
eos fructus reportarunt magna copia, qui longo
vsu noti iam sunt.

COL-

COLLEGIVM Granatense.

ADmissi sunt in Societatem e Granatensi gymnasio duo praeclarae indolis adolescentes. Ad pias vsitatasq. exercitationes illud accessit priore anno; vt anno toto viri pij bis, terue quaque hebdomade ad nos conueniant flagellationis caussa: cui breuis solet ad rem, & tempus accomodata hortatio anteire.

Illud quamuis & saepe, & locis multis contingat, non tamen est praetereundum. Cum concioni, quae de Magdalenae paenitentia haberetur, in magna populi frequentia meretrices quindecim interfuissent, tanta animorum, cõcione tota, facta commotio est; vt ex ijs decem turpe illud viuendi genus relinquerent. quarum partim in patriam remissae sunt, partim in ipsa vrbe in tuto collocatae, honeste viuere perseuerant. Auctum est sacrum instrumentum priore anno aestimatione quingentorum aureorum, posteriore cum rebus aliis, tum praecipue argenteis candelabris opere pereleganti; & altaris ornatu ex aurea tela pulcherrime contexta. Non illud est omittendum, quod ad aliquam nostri operis partem pertinet. E monte non procul ab vrbe plumbeae laminae, antiquis inscriptae characteribus erutae, ad nostros sunt allatae; si quis esset qui eas interpretaretur. nogotium datum est ei, qui nostros humanitatis, & rhetoricae studiis instituit. Is accuratissime tota re inspecta, antiquam tandem, & obscuram scriptionem perlegit: indicabat, S. Caecilij, primi vrbis huius Episcopi, & sociorum martyrum ibi reliquias iacere.

Iussu

Iussu Archiepiscopi locus altius effoditur: repertaeq. tandem sunt optatissimae reliquiae cum plũbeis libris, qui de Vrbis, atque Hispaniae totius primis septem Apostolis plane, diserteq. explicarent, quae antea traditione tantum tenebantur. Magni ad eum locum facti sunt hominum concursus: supplicationesq. sodaliciorum profectae. certi tamen adhuc nihil statuerat Antistes. res ad Apostolicam sedem delata: inde decretum expectabatur.

Excursum priore anno, praeter cetera, viginti ad opida in quae nostrum nullus pedem posuerat vnquam: quanto cum fructu, ex rebus iam notis licet cogitare. Illud vnum tamen non omittam. Lacessitus iniuria quidam, eum, a quo laesus erat, interficere statuerat: & iam ferrum, diemq. certam ad caedem destinauerat. forte illo ipso die nostri in id opidum perueniunt: intersit ille concioni; eoq. ipso die improbum consilium abiecit; & cum inimico gratiam resarsit. Posteriore anno eosdem fructus eaedem ad loca alia peperere missiones. Sed Salobrennae praecipue opido non amplo, sed frequenti, &, pro gentis captu, copioso, cum alia omnia Societatis munia opportune praestita, tum concione de Maria Magdalena & hic vulgati pudoris mulierculae tres, cum quinque interfuissent, resipuerunt: collataq. pecunia piorum virorum opera matrimonio coniunctae sunt. Vicos praeterea Granatae proximos mense vno obiere duo Sacerdotes: tanto labore, tamq. continenti opera, audiendarum praesertim confessionum; vix vt curandis corporibus spatium daretur, cuius rei fructu ita delectatus est Archiepiscopus; vt si in eo opere perpetuo versari vellent, se illis ad vitae vsus insumptum suppeditaturum polliceretur. Sed in

vrbe

vrbe Alhama, vbi mensem commorati sunt, cum omnibus societatis ministeriis vsui fuerunt, tum illa maxime re operae pretium fecerunt, quod eo venerint. Agebant serio ciues, fortasse vt tota reliqua vrbs expurgaretur, sordibus omnibus in sentinam vnam corriuatis, de meretricia domo, quod esset quasi publicum Lupanar, aedificanda. Nostrorum aduentu, non modo insanum consilium, sed obscenae etiam Lupae ex vrbe exturbatae.

MONTELLANVM, & reliqua collegia, sedesq.

E Montellano collegio, cui adiuncta est probationis domus, decessit P. Petrus Velascus; qui studiorum cursum emensus tertio probationis anno tirocinij exercitationes repetierat. Is peregrinatione ad Malacense templum B. Virgini dicatũ, & concursu aduenarum celebre, suscepta, mendicato victitans, pedibus iter fecit. ita multa incommoda perpessus, cum Malacam venit, voto persoluto, in morbum incidit. quo in dies ingraueſcente, in Malacensi collegio vitam finiuit. Extinctus est item Montellae Iacobus Elisanus rarae probitatis adolescens: qui breui spatio multorum annorum cursum contentione compensauit.

Ad scholam de quaestionibus conscientiae, quoniam a magno Sacerdotum numero frequentatur, placuit addi etiam psalmorum interpretationem. Excursionibus, ad prauam per ea loca temere iurandi consuetudinem abolendam, instituta sodalitas est, in quam vniuersi fere opidi vnius incolae nomen dedere: institutumq. inter eos, vt, cum tur-

turmatim exeunt ad opus, communi suffragio legatur vnus, qui multam exigat ab eo, qui vel imprudens in eam culpam inciderit, affirmauitq. is cui id munus datum erat; e viginti quinque operis, qui multis diebus vna opus fecerant, a se quatuor tantum nota censoria affectos esse. Alicubi Vicarij iussu Sacerdotes omnes in locum vnum coactos, & suae curae officium docuerunt, & ad vigilem curam sui muneris suscipiendam excitarunt.

BAEZANI Collegij aedificatio priore anno vrgebatur sane strenue, cum ciuium benignitate, tum prolixa in nos Giennensis Episcopi liberalitate, qui nunquam de nobis bene merendi cogitationem ponit. Atque vt commodius aedificatio promoueretur, intermissa est tantisper de conscientiae casibus disputatio. Ceterum in vrbe magni sedati rerum motus, discordiaeq. periculosae magno labore compositae. Duo praesertim reconciliati, quos inter tantum inimicitiarum ex acerbissimis iniuriis incendium exarserat; vt si iudicio deciderent, detrimentum ingens & rei, & existimationis immineret. rem fusius narrare nihil est necesse. Posteriore anno tandem mense Iunio in nouum est collegium facta immigratio. Maior & domicilij, & templi laxitas maiores etiam concursus facit nostram concionem, & nostra sacra frequentantium.

MALACENSES socij tum erga omnes, tum praecipue circa nauticam turbam, mancipiaq. remigio addicta hoc biennio societatis munia exercuerunt: eorum enim magnus numerus in maritimo extruendo propugnaculo versabatur. graues inter eos vulgati morbi multos extinxerunt: in his ad rectum salutis iter erigendis, aegrotisq. lecto, veste,

veste, opportuno cibo reficiendis multa opera posita. Suscepta est etiam cura, vt qui diem sibi legum paena praestitutam expleuerunt, emittantur.

GADIBVS CIVES aliqui, repentino mortui, terrore ciuitatem compleuerunt: vt multi suae animi saluti serio prospicerent. ita confessionum magna cura peractarum ingens numerus. In ijs vnus valens, & validus diuino vtique instinctu sentiebat se ad confessionem excitari. eius rei caussa Sacerdotem vnum adit, item alterum, & tertium, a singulis repellitur. Tristis tam inopinata repulsa, ac ruboris plenus, vnum e nostris adit Sacerdotibus: ab eo comiter acceptus, confitetur; confessione peracta, repente & ipse concidens subito vita functorum auxit numerum.

XERAE GRAVE dissidium inter Praetorē vrbis, & primores ciuitatis ita exarserat, vt ad illud sedandum diuturnum Ecclesiastici tribunalis interdictum non satis esset. & iam vltimum quasi fulmen timebatur, Cessatio a diuinis. Sed, diuina fauente ope, nostrorum opera sedata omnia. Reorum quorundam magna gratia ciuitatis suppliciuni impetratum. Quae res non illorum modo cognatis, sed vniuersae quoque ciuitati, cui valde grati erant, accidit gratissima. Femina falso veneficij crimine, quod viro venenum miscuisset, accusata, in magno vitae, famaeq. discrimine versabatur. adit virum iam morti proximum noster Sacerdos: obtestatur innocentiae coniugis conscium, vt insontem miseram, falso crimine circumuentam, veritate patefacienda, periculo liberet. Mira res. qui loquendi facultate iam esset destitutus, ea tantum, quae ad innocentis liberationem opus essent, corā testibus plane, diserteq. pronunciauit, vsu iterum

loquendi destitutus. Scolae & numero, & fructu floruere. quatuor e nostris auditoribus se ad Carthusienses, vnus ad Societatem nostram contulere. Quod ad rem familiarem attinet, P. N. Generalis beneficio mille & quingentorum aureorum aere alieno leuati sumus.

MARCENAE MIGRARVNT ad superos duo: priore anno P. Balthasar Sanctophimius, vir magna doctrina, prudentia, integritate, multos annos vixerat in Societate; impiger dominicae vineae colonus, & industrius magister in hominibus a praua ad rectam viuendi rationem traducendis. Posteriore P. Alfonsus Camara, gente Castellanus, domo Ianguensis. Societatis ministeriorum indefessus administer qui cum imbecilla esset valetudine, & senio cõfectus, vigore animi languentis vires corporis ad labores excitabat. multae in eo enituere virtutes, de quibus etiã librum conscripsit; quem ex suae officina experientiae totum exprompserat. eas tamen mira simplicitate, & sui ipsius despicientia contegebat. illud vero obtegere non potuit. quod cum de diuinis beneficiis sermo haberetur; ita emolliebatur, vbertim vt lacrymae defluerent. eius industria potissimum factum est, vt amplissimum templi habeamus aedificium. Procurator etiam collegij rem familiarem auxit. octo & triginta annis actis in societate, ad parata illi praemia translatus est. Ceterum cum opidum egregie in nostrum ordinem sit animatum; omnia tamen studia superat Illustrissimae Ducissae assiduitas, vt si quando occupationum mole praepedita concioni interesse minus potest, vehementer doleat, eamq. quoad eius fieri possit, sibi referendam curet. In opidum vicinorum montium profecti

Ati menſem totum morati ſunt Sacerdotes duo, tanta cum opidi vtilitate, vt non ipſi modo; ſed aliorum etiam circa opidorum incolae in Aduentum, & Quadrageſimam eoſdem flagitarint. Impetrauit in Aduentum magno ſuo cum bono opidum vnum.

NON MAGNVM OPIDVM TRIGVERA, magnos tamen tulit fructus. nam, vt ex cenſu conijcere licet, non intra menia, ſeu vici fines ſe continuit vtilitas: ſed foras etiam porrexit ad vicinos, nongenti enim cenſentur opidani: mille vno die in templo noſtro ſacram Euchariſtiam percepere. Excurrere ad Andeualenſem campum per autumnum duo: opida ſeptem diuini verbi facibus incenderunt. Eſt hoc collegium inter duas Nebulenſem, & Gibraleonenſem Dominicanorum familias ad ſanciēdam cum illis amicitiam noſtri die feſto S. Hyacinthi in eorum templo, illi viciſſim in noſtro ſolemni S. Catherinae die, collegij tutelaris, concionem habuere.

ASTIGITANVM COLLEGIVM, quod in aliquibus annuis Eccizenſe mihi videtur nominari, paucas licet alat operas: inſtar tamen eae fuerunt non paucarum. Scholae enim variis religionibus priori anno dedere duodecim, Societati vnum. Addita eſt priore anno de philoſophia ſchola vna, auditores initio numerauit ſexaginta: nec poſteriore anno numerus eſt imminutus; ſi quatuor excipias, qui ad arctiſſimum Franciſcanorum ordinem, qui nudipedes nominantur; & tres, qui ad alias ſe religiones poſteriore anno contulere. Templi noſtri laxitudo aucta eſt octo & ſexaginta pedes in longum, in latum quatuor, & quinquaginta. Auctum quoque domicilij noſtri aedificium; &

ita in commodiorem formam redactum, vt acceſſu nunc interiorum aedium externi excludantur: quibus ante aditus patebat. Aucta item ſacra veſtis peripetaſmatis duobus ad altare veſtiendum, caſulis aliquibus, & minutis rebus aliis, quae aureis bis mille aeſtimantur. eorum magna pars piorum liberalitate ciuium collata. Ad collegij quoque vectigal quadraginta numi aurei acceſſere annui.

CAZORLAE & ſi loci aſperitas aſpera quoque educat ingenia: noſtro tamen cultu ita miteſcere incipiunt; vt vbi non niſi ſemel in anno confeſſio eſſet in vſu, nunc mirum ſit, quanta ſacramẽtorum ſit frequentia. Ad ſcholas vero non incolae modo, ſed e circumiectis etiam remotis opidis multi conueniunt, domeſticis commodis poſthabitis, & contempta, vbi commode inſtituerentur, ſcholarum aliarum opportunitate. minutae merces adhuc, & herbeſcentes plantulae: ſed ex ſinapis granibus arbores exiſtent aliquando. ducenti enim grammaticis inſtituuntur, trecenti litterarum elementis. neque vſque eo ſeges eſt infelix, vt non aliqui gloriolae fructus ſint collecti. prima enim ingenij lumina, micantia in tenebris, lux eſſe viſa eſt. Inuitatu enim Vbedenſis, & opidi alterius ſenatus, hinc miſſi diſcipuli ad S. Hyacinthum ſoluta oratione, & carmine laudandum Cazorlani gymnaſij nomen eo, quo tenera potuit aetas, fulgore illuſtrarunt. Eſt inter eos poſteriore anno inſtitutũ ſodalicium B. Virgini a Gabriele ſalutatae dicatũ, in id triginta lecti adoleſcentes nomen dedere. Hi ſacro illo celebri die, accenſos manu cereos tenẽtes Miſſae ſacrificio interſunt. Aduentu, & Quadrageſima bis hebdomada quaque ad flagellationem conueniunt. Acceſſere praeter alia ad ſacrum templi

templi instrumentum tabula pulcherrime depicta Virginis Annunciationis, Marchioniſſae de Camarasa fundatricis donum: & ſignum S. Vrſulae formatum eleganter. in quo ſanctarum Virginum ex eius comitatu reliquiae aſſeruantur. id totum ex eleemoſinis beneuolorum. ſacrae reliquiae a P. N. Generali huc tranſmiſſae. Non defuere ſolemnes & ſolito cum fructu in vicina loca excurſiones.

EX VBEDANO Collegio diuerſum nihil à ſuperioribus annis habemus, niſi magnũ hic quoque fieri bis hebdomada per Quadrageſimam ciuium concurſum ad noſtrum templum flagellationis cauſſa. Doctrinae Chriſtianae agmen magno virorum nobilium comitatu per vrbem duci: virumq. e prima nobilitate vexillũ crucis praeferre iam ante ſcriptum eſt.

PROVINCIA TOTETANA.

IN Toletana prouincia priore anno (nam posterioris nullae mihi litterae apparent) numerati socij sunt omnino quingenti quinquaginta quatuor, quindecim distributi domiciliis. Toletana professorũ domo quinquaginta, collegio quindecim: collegio Matridiano septuaginta: tres plures complutensi: Murciensi sexaginta: octo & viginti Placentino: Ocanensi vnus & viginti: vnus & viginti Belmontensi: Septemdecim Talauerano: totidem Securensi: Carauacensi viginti: quadraginta quatuor Optensi: tres & triginta Oropesano: quatuordecim Conchensi: Probationis domo Villaregiensi, nouiciis adiunctis ad septuaginta. Vnus & viginti ex horum numero desiderati sunt: allecti quatuordecim.

TOLETANA PROFESSORVM domus, & reliqua Collegia.

TOLETI matrimonium longo multorum annorum litigio dissociatum Sacerdos professae domus, rebus inter coniuges compositis, mutuo beneuolentiae vinculo reconciliauit. SCHOLAE, quadringentos instituunt adolescentes. Sodalitas B. Vir-

B. Virgini dicata non eorum numero tantum augetur, qui noſtrum gymnaſium, ſed etiam eorum, qui publicam Academiam frequentant. ex iis aliqui in tutum ſe religionis portum receperunt.

MATRIDII duo ex hac vita emigrarunt, P. Fonſeca, Braſiliae Procurator. Is Roma a generali Patrum conuentu rediens, grauiter in itinere conflictatus, cum contra vim morbi contenderet, poſtridie quam huc peruenit, extinctus eſt. & Bartholomaeus Sanctius. qui cum primum ſua in hoc collegio exercere miniſteria coepiſſet, vehementi febri ſublatus eſt.

COMPLVTI fame laboratum eſt. eo impenſior data eſt opera, nequid decumbentibus in Xenodochiis, carcere detentis, & magno reliquorum inopum numero ad victum deeſſet. conquiſitae in id eleemoſinae: ſtatiſq. diebus e noſtris aedibus ad eos allata prandia. Tantus nihilominus fuit illorum numerus, qui ſecretis ſe commentationibus erudiendos praebuerunt, vt numerum eorum quotquot vel intra, vel extra Hiſpaniam hoc anno eam religionem obiuere, excedere prouinciales litterae teſtentur. Sodalitas Virgini Annunciatae dicata Compluti quoque illorum augetur numero, qui publicas frequentant ſcholas. Ita non gymnaſium modo noſtrum pietate floret, ſed ſodalium opera, conſuetudineq. in omnem Academiam pietas dimanat. Quod quantae ſit vtilitatis nemo peritus rerum aeſtimator non intelligit.

MVRCIENSI GYMNASIO ad humanitatis, Theologiae & cauſſarum conſcientiae, acceſſit hoc anno etiam philoſophiae ſchola, petente ciuitate, & ſacrarum cauſarum Quaeſitoribus. Creſcit noſtri domicilij aedificatio. Ciuitas ad

scholarum aedificium aureos mille numos contulit. Mula est opidum Murcia distans triginta prope milliariis: ab eo facta potestas materiae caeduae e sylua pinea ad mille arborum. spes est magna praeterea magnorum subsidiorum a priuatis amicis. Murcia abest vrbs quadraginta millibus passuum, Lorca nomine: eam esse dicunt, quae in Augusti itinerario Eliocrota nominatur, antiqua sedes Episcopalis, Gothis regnantibus. Eius ciues a Societate postularunt, deprecatore praesertim Carthaginensi Episcopo, vt statis anni temporibus homines ad se mitterent, tum concionum caussa, tum maxime, vt ipsorum publicae, priuataeq. actiones, negotiationes, contractus omnes Societatis praescripto regantur. id se optare maxime, non consilij inopia, habent enim in ipso vrbis sinu omnium paene religionum familias, sed pro suo in Societatem amore. Est adhuc illorum voto satisfactum.

PLACENTIAE DIEM suum obiere Sacerdotes duo. OCANIAE discipulorum numerus cẽtenario factus est auctior. BELLOMONTI morbi frequentes vrbem infestam, nostros bene exercitos habuerunt.

TALABRICAE anni sterilitas & nostros, & inopes reliquos in eas angustias redegit; vt nisi piorum amicorum benignitas nobis, & pauperum egestati sodalitas nobilium copiose subuenisset, arcta fuerit fames toleranda. Prodest eadem sodalitas etiam ad pietatem in vrbem totam sensim infundendam. iuuentus corrigitur, mores reformantur, frequens sacramentorum vsus inducitur. Sacra Sanctorum ossa huc a P. N. Generali transmissa ipso die obitus B. P. N. Ignatij communi totius ciuitatis laetitia, magnifica pompa, solemniq. ce-

rimo-

rimonia templo nostro sunt illata, comitante agmine tum clericorum, tum religiosorum omnium, Decano Capituli sacris operante.

CARAVACAE vixit P. Iacobus a Sancta Cruce, quatuor votorum professus. & qui in Societate primum & quadragesimum agebat annũ. Excurrere Sacerdotes duo Oscam vsque, vrbem in Beticae finibus, & Oretanorum sitã, nobilitate ciuium, & agri bonitate cum maioribus Hispaniae vrbibus comparandam. Fructus ij collecti sunt, qui e laboriosa diligentium colonorũ cultura ferri solent. Eadem vtilitas ad opida alia Murciensis ditionis Lumellam & Ciezam comportata.

Luctuosum annũ hunc OPTENSIBVS tria nostrorum funera fecerunt, P. Ioannis Brauij, qui diu, multaq. cum laude vixerat in Societate. quatuor vota professus erat, & praedicator non ignobilis: diuinae gloriae certe, & salutis animarum studio valde fuit incensus. eius, & duorum reliquorum mors consentanea vitae fuit: ea scilicet pietate obita, quae pia quadam dulcedine merorem ex illorum desiderio absterserit. Conuictorum collegiũ floruit magis, magisq. pietate. eorum ad sexaginta toto Quadragesimae tempore ter hebdomade ad flagellationem conuenerunt. Inter coniuges discordiae grauissimae sedatae: missae a ciuibus duobus concubinae. auctum annuum collegij vectigal ducenorum aureorum haereditate pij Sacerdotis, etiam dũ viueret, nostri ordinis beneuoli.

OROPESAE P. Alfonsus Guillermus, post multos ad Mexicanos terra, mariq. toleratos labores, procurator eius prouinciae missus ad Regiam, cum confectis ex sententia negotiis rediret, ex itinere substitit, grauiq. pressus morbo, magna laetitia

tia mortis nuncium excepit, Deo grates agens, quod in Societate moreretur. peracta igitur totius vitae confessione ipso die Purificationi Virginis sacro decessit. cum & in morbo, & antequã in morbum incideret, quotidie bis confiteri ei solenne esset. Narrauit se, cum veniret e Prouincia in Hispaniam, B. Virginis ope seruatum, quominus in Anglorum piratarum manus veniret. & cum iam parum abesset, quin sua nauis caperetur, ita sibi amictum composuisse, & tonsuram capitis detexisse, vt a religionis hostibus facili negotio Societatis Sacerdos agnosceretur. quo vel crudeliter interficeretur, vel arctissima custodia teneretur.

SECVRAE noui tẽpli structura magna opidanos hoc anno laetitia affecit. quocirca & studiosius & frequentiores confluunt ad nos.

Virgo magnum periculum adierat
astu callidi adolescentis: sed per
nostros, fallacia detecta,
praesenti periculo
subducta
est.

PROVINCIA CASTELLA.

VOTENOS in quoque domicilio prouincia Castella recenseat, quia in multis omissus est numerus, sciri ad amussim non potuit. Sed vniuersè tantum illa summa indicatur prouinciae litteris, priore anno quingentorum & triginta duorum: e quibus ducenti quinquaginta duo sunt Sacerdotes. decessere ex eo numero ad vitam tutiorem quatuordecim: accessere ad nostrum ordinem sex & viginti. posteriore anno summatim proferuntur quingenti & quinquaginta. e quibus octo humanis concessere: octo & viginti ad nostrum numerum accessere.

VALLISOLETANA professorum domus.

IN professorum domo Vallisoletana posteriore anno naturae munus expleuit P. Franciscus Morales, vir septuagenarius, & multarum virtutũ specimẽ egregium. laborum, dolorumq. quibus ob afflictam valetudinem assidue vexabatur durus perpessor. vt etiam extrema aetate, & male affecto corpore, tanquam delicias illa respueret, quae non tam ad commoditatem, quam ad sustentandam im-

imbecillitatem illi parabantur. strenuus admodum fuit, & industrius audiendarum confessionum administer: domesticis, externisq. apprime carus. tanta apud omnes opinione Sanctitatis, vt elato rosaria, tanquam homini caelo iam donato, ad con tactum applicarentur. stranguria extremo, quo consumptus est, morbo laborauit. cuius acerbos cruciatus ea, quam è caelesti vita praecipiebat, laetitia solabatur. Concio in aede nostra tam fuit frequens, vt templi, quamuis ampli laxitudo multitudinem excluderet. Sacerdos idem, qui tantam fecit audientiam, per Quadragesimam tribus nobilibus in locis concionem habuit, in Principi templo, in aede S. Petri, quae est Inquisitorum sedes, & in Regia Cancellaria. cum interim Dominicis diebus pomeridiano tempore diceret in nostro templo. in aliis vrbis templis nostri multi accersiti, conciones habuerunt. Meretrices quinque e prostibulo eductae, & honesto, tutoq. in loco tantisper collocatae, dum de vitae genere deliberant. Sed in carcere infigniter nostrorum opera perspecta est. Multi patratae caedis rei, patrocinio destituti, nostrorum opera defensi: vt vel omnino soluerentur, vel de illorum caussa, vt illi optabant, decideretur. Grauis, & magna bonorum offensione inter ecclesiam & profanum tribunal, ob violata contumaciter Ecclesiastica iura, cõtrouersia exarserat. Maleficus legum poenam metuens, Ecclesiae parietibus se texerat. inde extractus violenter a lictoribus, suspendio damnatur. Iudex Ecclesiasticus Ecclesiae iura reposcit: contemptus contumaciter, spiritualia arma expediuit. cum vtrique neq; illi de sua pertinacia in iniuria, neque hic de constantia in optima caussa remitteret; ciuitas Ecclesiastica

siastica censura grauata perturbabatur. Enimuero indignum videbatur in catholica ciuitate tam fede Ecclesiae auctoritatem proculcari; cẽsuras pro nihilo haberi. Ventum erat ad vltimum exterminium; vt vrbe tota cessaretur a diuinis. Sedem habet in eadem vrbe superioris iurisdictionis alterum iudicum Collegium; qui Regij Praetores nominãtur. Hi appellati a reo, supplicem, si nulla alia possent ratione, ui eripere cogitarant. Res erat periculi, & tumultuorum pleniſſima. Nostri ea de re Regij tribunalis Præsidem adeunt: docent, quanto malo sit obuiam eundum: orant, vt tantisper miseri supplicium differatur, donec Regij Praetores, cum vrbanis iudicibus, qui vinctum damnarant de tota re consentiant. Tandem vtriusque cõsensu tribunalis & vrbani, & Regij iudicium de tota re supremo Madritiensi Regio Senatui committitur. Ita eadem opera & miseri saluti consultum, & Ecclesia vindicata, & grande in ciuitate incendium restinctum. Attinebatur per idem tempus in regio carcere homo in vtramque partem rari admodum exempli, & maximorum facinorum, & summae post poenitentiam ad admirationem pietatis. Fuerat hic duarum desertor religionum: & in vtraque solemnia vota professus erat; peruenerat q. ad Sacerdotium. sed, vt est hominum malitia; quae nisi labans reprimatur, ruit semper in deterius; miser ille quotidie se ipso peior, claustrum tandem, & habitũ reliquit. proculcatoq. Sacerdotio in ignota regione mercaturam exercere coepit: adulterino etiam sacrilegoq. matrimonio vxorem duxit. Et vt ad tantam molem scelerum altiorem adhuc in se abyssum reuolueret impietatis, in consuetudinem se, & consortium dedit hominis fortasse non

ipso

ipso melioris, nefariae, & adulterinae pecuniae percussoris. vnaq. sparserunt exsecrandae numos officinae; donec fallacia detecta, vterque in carcerem compingitur. Hispanicis legibus damnatos sequi poenam oportebat, vt igni viui cremarentur. Hic constrictus ferro nostrum accersit Sacerdotem, eius consilio primum summa cura totius vitae confessionē instituit: deinde etiam nostris spiritualibus se exercuit meditationibus. quod vt cōmodius, & maiore cum animi sensu faceret, in infimum carcerem se intrusit: altare ibidem sibi instruxit, Lychnumq. perpetuo cum lumine appendit, tantum diuinae lucis ijs meditationibus hausit, tantumq. & scelerum suorum, & sui ipsius concepit odium; vt statuta sibi legibus supplicia culparū grauitati duceret leuissima. Ergo vt aliquo saltem pretio male actae vitae seditatem ante mortem redimeret, confessarij praecepto ita vitam instituit; primum vt statas horarias preces applicitus in genua quotidie recitaret: neque interim preces alias omitteret, ad quas proprio sensu pietatis mouebatur, psalmodium in B. Virginis laudem, & defunctorum auxilium institutum, aliaq. Deinde vt secunda noctis hora, quae altera post mediam noctem est, cubitu surgeret: semihoram flagris acriter se cederet; inde sesquihoram tacitae precationi daret; quam etiam saepe in horam alteram trahere ei licebat. his perfunctus rursus modicae quieti sese redderet: bis in die, Societatis more admissorum conscientiam reuolueret. Vespere rursus horam diuinis rebus cogitandis; menteq. cum Deo, & caelestibus colloquendo insumeret. Quod ab his rebus, à Missae sacro spectando, à cibo, à somno supereſſet temporis, id totum legēdis Gra-

naten-

natensis libris traduceret. neque id oscitanter, aut cursim; sed & cunctanter, & accurate. Ad haec ipse, sui puniendi caussa, etiam illa adiecit. tibias, pedesq. nudauit. aduersus ferri duritiam, quo crura stringebantur, nullum vnquam munimentum adhibuit, quo minus rigide cutim exulceraret. cilicino sacco se induit, & fune sparteo praecinxit, ter quaque hebdomada aqua tantum, & pane ieiunia finiuit. De fundo carceris nunquam ascendit, nisi aut aliorum vtilitatis, aut sacrae rei caussa, aut euocatus. Cum prodiret, à consorte criminis, pecuniae mendacis architecto, horrēdis conuiciis proscindebatur, quae ille ita non reformidabat, vt māsuetissimo animo perferret. De hac mutatione dexterae excelsi vulgata fama multos exciuit ad studiū rei tam nouae cognoscendae. ita multi carcerem adibant, vt famosum ante hominem, tot scelerum nominibus notatum, nunc tam mirabili catastrophe conuersum viderent, alloquerentur, audirēt. Ille ipse Sacerdos, qui illi ad pietatem ductor fuit, & magister, iam sui fructus caussa miscebat cum illo sermones. Quem tamen ille persaepe de peccati feditate, de diuini iudicij seueritate, de supplicijs inferorum disputantem cum audiret, ita excādescebat, ita in sui vltionem exardebat, vt optaret quamprimū exquisitissimis suppliciis in se animaduerti. neque quidquam magis timuit, quam ne, cū rem trahi videret, poenis sibi debitis eriperetur. Et sane iudices tanto permoti exemplo, tanta victi paenitentia eum morti eximere decreuerant. Manauerat enim iam ad vniuersi carceris vtilitatem illius opera: sacras imagines carceris clausstris affixas, seu pictas a squalore, situq. purgatas exornauit; varijsq. versuum, sacrarumq sententiarū mo

nu

numentis muniuit, vt carcer oratorium videretur. iurandi licentiam cohibuit: rosarij recitandi, & frequentis confessionis vsum eduxit, quo fiebat; vt, cũ de more singulis hebdomadis nostri custodias, inuiserent, multo pluribus, quam ante confitentibus operam darent. extremo supplicio damnatis aderat pepetuo; cum ijs vigil pernoctabat; ad extremum conflictum confirmabat: vinctorum notoria delicta nostris Sacerdotibus indicabat; vt opportunam remediorũ inuenirent medicinam. Hoc vitae genere sesquiannum iam egerat in carcere; cum tandem trium Praetorum sententia Ecclesiastico iudici iudicandus traditur. Is hominem triremibus compingere statuerat; cum ille interim obnixe Deum precaretur, ne se tam leui defungi supplicio permitteret. Inter haec febri correptus paucis diebus, natura deficiente, legis supplicium praeuertit. Eius funus magni clericorum, religiosorum, ac nobilium virorum concursus cohonestarũt: cum mutuo ijs sese vocibus inuitarent singuli: Eamus, & honore prosequamur paenitentiam. multiq. Sacerdotes ipsius manibus purgandis illo die sponte sacrificia fecerunt.

Laxatum est nostrorum habitationi domicilium adiectione continentis domus, quae coempta est ad nostrorũ vsum accomoda: quater mille & nongentis constat aureis. Matrona pia de hac domo aliis nominibus benemerita, ad eum sumptũ mille & quingentos contulit aureos.

VAL-

VALLISOLETANVM COLLEG. & Seminarium Anglicanum.

LATIVS porrecta est Vallisoletani collegij habitatio coemptis aedibus vicinis.

Anglicanum seminariũ sex & triginta numerauit alumnos. e quibus duo Societatem nostrã sunt amplexi. Theologiæ alter, alter philosophiæ studia emensi. Reliqui vt ad doctrinam, ita etiam ad pietatem maiores faciunt in dies accessiones: vigetq. in ijs studium, quotidieq. magis feruet, patriae ruinas subleuandi; ac per omnia pericula, & diros cruciatus catholicae religionis in sua gente reuocandae. Est autem Hispanorum omnium incredibilis in hanc iuuentutem beneuolentia: summaq. amoris significatione viri primarij hoc collegium inuisunt. Ex alumnis vnus post septem annorum in Anglia labores, post duram custodiam, & equulei contentionem, in Hispaniam solo studio consequendi ritu catholico sacerdotij venerat. Is priore anno ad eum ordinẽ promotus, statim in Angliam renauigauit; nullo viatico, nullo iumenti auxilio tantum iter, tam periculosum terra, mariq. & pedibus, & mendicato ingressus. Posteriore anno venit ex Anglia insignis adolescens Ioannes Hallus nomine, cum litteris P. Guilielmi Vestonij Angli è Societate, ex Anglicano carcere datis; quo tertio iam fortissimus Christi athleta ob fidem catholicã coercetur, quibus litteris amplissimum testimoniũ dabatur adolescenti integerrimo, & catholicae fidei, & summae probitatis. Valuit tum ipsa candidi adolescentis indoles, tum illustre tanti viri, ex stre-

nui confessoris testimonium, cuius auctoritas tanti fuit, vt nullus relinqueretur ambigendi locus; omnisq. deliberatio tolleretur. Reuerentia igitur tantae commendationis, & solo Vestonij nomine permotus P. Rector in collegium admisit. Fuerat hic e tredecim aliorum numero, de quibus ante scriptum esse litterae anni nonagesimi quincti indicant. Hi ex Anglia in Hiberniam traiecerant, quo commodius, ac tutius e Dublicensi portu in Hispaniam ad hoc Seminarium se conferrent. Sed cum in Hiberniam veniissent, comprehensi, ad summum totius insulae pro Regina Praesidem adducti; ac de fide interrogati, responderũt se esse catholicos. Quamobrem indigne habiti; contumeliis, verberibusq. affecti, Londinum retrahuntur. In itinere, & in vrbibus per vias, dum ducerentur contenta voce litanias, aliasq. pias preces concinebant. Et cum plerique puerili adhuc aetate essent, vere in eos illud Dauidicum, Christi Domini ore confirmatum congruebat: *Ex ore infantium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Londini in carcerem truduntur: sed amicorum, & propinquorum opera aliquibus inde exemptis, Hallus cum paucis, qui auctores, & duces itineris fuerunt retentus; tandemq. diuino beneficio elapsus, opportuno propinquorum auxilio ex Anglia huc naufgauit.

SALMATICENSE Collegium.

SAlmanticae priore anno multi ad spiritales sese exercuere meditationes. multi item e nostrae alumnis disciplinae ad varias se religiones, posteriore

steriore anno ex ijs, qui celeberrimam hanc frequentant Academiam septemdecim se ad Societatem contulere: plerique nobiles, & qui de se omnia summa pollicentur. sed vnius omnium natu minimi est, praeter ceteros summa ciuitatis admiratione spectata constantia. Erat hic suis omnibus apprime carus, auo praesertim viro primario. Hic cum primum nepotis factum cognouit, vt erat pollens opibus, a Rege impetrat edictum, vt adolescens quamprimum emissus, eo loco collocetur, vbi ei liberum sit, de toto suae vitae genere iterum statuere. Eius rei caussa duos adolescentis fratres, quorum alter honesto in Regia munere fungebatur, Salmanticam cum Regiis litteris mittit. Adolescens vix octauo die, quam venerat illis permissus fidissimo amico commẽdatur; triduiq. spatium ad eum redhibendum praefinitur. Solitae in eo genere machinae adhibitae solita constãtia repelluntur. Generis nobilitatem proponunt: aui hominis copiosi, & potentis auctoritatem commemorant: temeritatem consilij, aetatem imbecillam, credulitatem puerilem, & specie pietatis ad deceptionem quamlibet facile procliuem opprobrant: dedecus futurae paenitudinis, si, cognito errore, postmodum à consilio resiliat, obijciunt; labemq. non ipsius vitae solum inhaesuram, sed ad omnis nobilissimae familiae dedecus emanaturam. proinde quod aliquando cum dedecore ei necessario faciendum foret, id nunc sapienti suorum cõsilio facere anteuerteret; cum & temporis breuitas alte maculam imprimere non posset, & aetatis imprudentia culpam alleuare, & propinquorum auctoritas ignominiam obruere. Haec ille in bona caussa, diuina firmatus ope, facile elusit, quinetiam

fortior in disputando, strenue fratres eo aggressus est, vnde ipsum deducere volebant, adhortari: ita vt hospes, cuius haec domi fiebant, non potuerit, quin exclamarit: *Digitus Dei est hic.* Sic victor certaminis honestissimo Praetoris Vrbani, aliorumq. honoratorum virorum comitatu ad collegium reducitur. Affirmauit idem postea, sibi videre visum esse B. P. N. Ignatium in eo certamine adesse; &, quae differentibus fratribus responsurus esset, praecipere.

Aedibus incommodis ad inhabitandum, & parum salubribus adhuc vsi sumus; ita ut hoc collegium studiosorum sepulchrum diceretur. templi etiam angustiis antea laborabamus; vt non ea, qua opus esset, commoditate Societatis nostrae munera exerceremus. vtrumque incommodum magna ex parte iam leuatum est. nam & suscepta iampridem domicilij aedificatio dimidia parte absoluta, tria & quadraginta commoda cubicula iam praebet: & in parte nouae fabricae temporarium templum sex mensibus absolutum spiritalibus nostris functionibus nobis aperit spatia laxiora. Augustius templum propria & accurata descriptione a fundamentis excitare est quidem consilium; sed domicilij aedificandi impensa grauatos oportuit supersedere. Ipsum porro domicilium, altius extructum & apertius, non ad salubritatem modo vtile, sed ad prospectum etiam amenius delectat. Sed noui templi encenia ipso S. Luciae sacro die, quamuis sacrae alibi feriae haberentur, magno tamen omnium ordinum hominum concursu celebrata sunt. S. Lucam Euangelistam patronum adoptauimus. Haec posteriore anno: quo item anno Sacerdos vnus, fratres duo hominem exuerunt.

COL-

COLLEGIVM Abulense.

BEnignam de more se nobis praebuit Abulensis ciuitas. nam praeter cetera, sacras quoque sanctorum caelitum reliquias, quae in aede nostra asseruantur, ornatius, magnificentiusq; collocauimus, pecunia a beneuolis amicis, pijsq. hominibus collata. Eiusdem beneficentia ciuitatis, per nos multorum indigentiae subuentum est. Et cum S. Secundi, primi Abulensis Episcopi corpus transferretur, placuit Senatui, magistratibusq. nostris negotium dari exornandi forum, per quod sacra põpa traducenda, & sacellum, quo sacrae reliquiae excipiendae erant. Est abunde omnium votis satisfactum. sumptuosum sacellũ, & in eo altaria quinque excitata: aurea tela parietes conuestiti: omniaq. Latinis, Graecis, Hispanicis versibus ornata. res omnium iudicio dignitatis plena visa est: gratiae nobis à Senatu actae. Super haec omnia nobilis ciuis bis mille & sexcentos nobis aureos attribuit post obitum possidendos.

Quod attinet ad operam: ex instituta iampridem consuetudine pias historias & sanctorum virorum exempla cum suorum momentorum ponderatione enarrandi, tum alij fructus exstitere, tum illa duo narratu non indigna contigere. Quidam, audita historia, repente e media concione Sacerdotem, cui confiteretur coepit inclamare. neque ante sedari potuit, quam ad confessarij pedes se abiecit. Alter è vestigio recta ad templum Dominicanorum. fratrum trium, in quos primos incidit

pedibus se abijcit; vt sibi opem ferrent, postulauit: habere se, quae confessionis sacramento aperire velit; quae multis confessionibus transactis reticuerit: exemplo rei, quam in aede nostra narrari audisset, perterritum, velle eo se peccati onere leuari. id postridie illi ipsi Patres euulgarunt.

COLLEGIVM Villagarsiense.

VIllagarsiae rei frumentariae inopia valde laboratum est: & ex inopia frumenti caritas, & fames consequuta. quo malo vt egenorum multitudo, quoad eius fieri posset, leuaretur; data est opera, vt quotidie per nostros magnus carnium numerus coqueretur; & cum ijs panis, quantum opus esset, bis diebus singulis distribueretur. Quo genere leuaminis magnus egenorum numerus, qui alioqui periissent, famem sustentarunt. Latinae linguae scholae quadringentos, vt alias perscriptum est, habent auditores, ea modestia, & in suos magistros obseruantia, qua maiorem omnino optare non est. ex his multi adulti, & robusta iam aetate, ita disciplinae, & correctionis tolerantes, vt cum molli compares aetate pueris. Tam late diffusa est integra huius gymnasij fama, castaeq. odor disciplinae; vt multi a licentia viuendi, fluctibusq. vitae perturbatae, in hunc, quasi portum tranquillissimum, Christianaeq. disciplinae scholam se recipiant. ab aula, a militia, a foro fama tanti boni ad colenda literarum studia se conferunt. Ex ijs vnus & validus, & ferox, & ipsa militari consuetudine ad audendum promptus, ita paucis mensibus est immutatus;

tatus; vt, cum eius patruelis ab altero in iurgio verbis laceſſitus, ictu lapidis etiam violaretur, ipſo praeſente, ſurgentem iracundiam compreſſerit: teſtatuſq. ſit; ſe noſtrae contineri religione diſciplinae, ne iuſtam eius vltionem iniuriae exigeret. Ex omni auditorum numero, qui aetate, prudentiaq. ceteris praecellunt, magno cum animi ſui fructu ſeſe diuinis meditationibus exercuerunt. Eſt non ita pridem conuictorum inſtitutum contubernium. triginta honoratorum parentum liberi inſtituuntur. domum incolunt collegio coniunctam. & huius quoque inſtitutionis fama multos ad eãdem diſciplinam allicit in dies.

COLLEGIVM Palentinum,

PAlentiae priore anno vitam cum morte commutarunt Sacerdotes duo, & frater vnus. poſteriore circa mediam Quadrageſimam & concionum, & vitae curſum praecidit vir doctrina eximius, illuſtrae religionis exemplum, & odore ſanctitatis in primis clarus P. Ioannes Fernandius. Profeſſus in Societate quartum votum iam inde P. Euerardo Praepoſito Generali. Quadraginta egerat in Societate annos. ſacras litteras tum in hac prouincia, tum in Romano collegio magna nominis claritate multos annos docuerat. Sed plus operae temporiſq. maturiore aetate in concionibus & in Italia, & poſtmodum in Hiſpania multo cũ fructu poſuerat. Haec ſummatim ita dicta ſint, vt viri clariſſimi, & Italis, quibus bene notus fuit, & Hiſpanis ſtatim memoria renouetur. Sed non

sunt tam breui compendio sinceriſſimae animae laudes glomerandae. Proferamus in lucem, quantum epiſtolae patitur breuitas perfecti ſocietatis alumni exemplar clariſſimum. Hic iam inde primos emenſus annos pueritiae a patre, cui vnicus erat, a ſtudiis humanitatis ad mercaturam vocabatur. cum maerens amore ſtudiorum Toleti, in ſua patria ante imaginem B. Virginis fuſus in preces a caeleſti matre flagitabat, ne rei augendae cauſſa a litterarum ſtudio auelleretur. Aliquandiu perſtiterat in precibus; cum leui ſomno occupatus ſibi viſus eſt audire diuinam matrem, ex ipſa imagine loquentem; ſibiq. perennem, quem petebat ſtudiorum curſum pollicentem: inſuper Societatis Ieſu alumnum futurum praedicere: a qua tamen voluntate erat ille in praeſens alienus. Experrectus, magna concepta animo laetitia Sanctiſſimae Matri perpetuam virginitatem vouit; quam ad finem, vſque & corpore, & animo ſeruauit. Ita progreſſus in ſtudijs duodeuigeſimo aetatis anno in Societatem eſt admiſſus: ſtatoq. tempore inchoata ſtudia abſoluit. Clarum igitur & doctrinae, & virtutum ſpecimen cum edidiſſet, tanquam vir omnibus numeris abſolutus, Romam mittitur ſacrorum voluminum interpres. Multis annis eo munere perfunctus, & ſtrenue concionibus habendis occupatus, miſſus eſt in Belgium ad operam in caſtris catholicis militibus praeſtandam. Ibi quinquennio verſatus eos pertulit labores, eaq. pericula adiuit, quae illi vitae comitari ſolent. Accidit non ſemel, vt ex imminenti, certaq. pernicie non ſine miraculo liberaretur. Campeſtri aliquando in loco exſcenderat ex equo, cum haereticorum copiae ſuperuenerunt. is partim repentino pauore perculſus, partim imbe-

imbecillitate virium impos erat omnino equi repetendi. neque erat in solo loco, qui illi opem ferret. tũ praesidis Angeli ope magna fiducia inuocata, repente, quasi validi hominis brachijs sublatus, ne attacta quidem ante staffa, se sensit in equi sui sella collocatum, cuius vsus celeritate mature se periculo subduxit. Alio die cum iter solus faceret, incidit in equitem haereticum, qui statim intenta hasta equum celeriter in ipsum incitat. Vbi ad ipsum peruenit, impetum cohibuit; rogauitq. esset ne Iesuita. cum ille forti animo annuisset, mox eques, ad mansuetudinem ferocia conuersa, blande hominem compellans, dari sibi manum osculandam petijt; ac sine vlla iniuria discessit. E Belgio reuersus in Hispaniam annos quindecim vtilissimis concionibus consumpsit. extrema vero aetate cum ita esset imbecillus, vt inter aliorum manus ad suggestum duceretur; cum ad dicendum consediſſet, ita validus, & ardens apparebat, vt iuuentam in eo nõ desiderares. Creditur mortem sibi prouidisse. nam biduo ante, quam vltimum incideret in morbum, insolita noctis hora, P. Rectorem adijt: rogauit, vt suam vitae totius exciperet confessionem: breui enim sibi esse de vita decedendum. id quod ei vitae reliquum datum est, diuinorum beneficiorum memoria, diuinisq. laudibus reuoluendis, hymnis, psalmisq. recitandis traduxit. Corpore solutis sanctis eius manibus multi se commendauere; rosariaq. tanquam perspectae sanctitatis viri illius cõtingendo corpori admouere. Vir fuit, praeter alia, simplicitate admirabili: in quo tamen prudentiam non desiderares. paupertatis egregius amator: vt non nisi vestibus ijs, quas alij despicerent, libenter vteretur. interulae vero eius ita detritae erant, ac

lace-

lacerae, vt ne mendicis quidem vestiendis praeberentur : eas viri primarij inuitis nobis extorserunt; frustatimq. inter se diuiserunt. Sex totos annos humi decubuit, storea tantum, aut subereo cortice substrato, nulla alia, nisi suorum indumentorum stragula veste vsus. ac per idem tempus singulis se noctibus verberabat; binasq. ac ternas horas in diuina precatione continuabat. orandi assiduitate miram adeptus erat contemplationis facultatem: opinioq. de eo est, multa ei visa diuinitus obiecta esse. repertus certe post mortem eius commentariolus cursum illius meditationum indicat ab anno eius saeculi octogesimo septimo ad nonagesimũ. in eo est, B.P.N. Ignatium bis ei se visendum praebuisse: Angelorum choros, quorum etiam adscripti cantus: tum B. Virginem cum sancto caelestiũ virginum comitatu; Sanctum quoque Mauritium cum socijs illi sese ostendisse. Fuit illius differenda sepultura, quo multorum piorum voto satisfieret. Primaria Ecclesia publice ei parentauit, vno è nostris ad concionem dicente, & admiratione dignas de eo narrationes explicante. Hactenus ne viri eximiae pietatis memoria intercidat.

Est incredibilis, tum vrbanorum tum paganorum huius dioecesis liberalitas in nos. nam cum vectigal nullum certum, quo se sustentent, hoc collegium habeat: bene magnum tamen nostrorũ numerum vtrorumque eleemosinis copiose aluit. compensata sunt eorundem merita multa, & assidua nostrorum opera. & quidem vrbanorum primum tum alijs Societatis muneribus, tum maxime studij cursu philosophici, priore anno institutis; quem nouem e nostris capessere instituerunt. his alumni quatuordecim Palentini Seminarij accessere, multiq.

tiq. alij ex vrbe. Paganorum deinde benignitas aequata excursionibus, catechesibus, sacramentorum administratione, aliisq. Societatis ministeriis, maxime etiam pacificationibus. In nobili enim opido turbulentiae grauissimae compositae, factionesq. sublatae; vnde magnum otium, tranquillitasq. consequuta: vt interim vulgares alias praeteream reconciliationes. Sed in vrbe pacificationes duae clarae in primis fuere. Viri primarij duo, germani fratres, eo erant odio inter se, vt alter alterum aliquando quaesierit ad necem. eos multi viri graues reconciliare conati erant, itrito conatu; vt necesse fuerit per magistratus, obiecto legum metu, eos cohiberi. sed occulebatur vlcus, non sanabatur. vnius tamen nostri Sacerdotis opera, saniae emissa, suppurauit. Vterque igitur in nostro templo, praesente, & gratulante magna ciuitatis parte, fraternam beneuolentiam resarserunt. Duos item alios propinquos e prima nobilitate controuersia de pecunia ita distraxerat, vt palam conuiciis, contumeliisq. mutuo se prosciderint. ergo, quòd in tali re fieri solet, vt dignitas verbo violata cruore sanetur, hic quoque vehementer timebatur. biennium tenuit inimicum dissidium; neque vlla reconciliationis aura afflabat. Erat vterque dignitate conspicuus; alter senator, alter Ecclesiae sacerdotio insignis. Igitur laicus vni e nostris confessus sumpta Eucharistia, Sacerdoti in platea factus obuiam, aperto capite hominem reuerenter salutauit: tum ad sacrae manus osculum accessit. & cum constaret, subductis rationibus omnibus, sexcentos numos aureos liquido sibi deberi, consilio tamen litis in perpetuum tollendae, eam summam omnem Sacerdoti remisit. Ille, re tam subita, tamq.

ino-

inopinata permotus, ea qua par fuit comitate propinquum amplexatus, illius gratiae satisfecit.

SEGOBIENSE, & reliqua collegia.

SEgobiae diem suum obijt priore anno P. Roterius Illanes, antiquus in Societate, & vir ad homines iuuandos apprime factus. E scholis posteriore anno adolescentes octo varias religiones iniuere; talesq. in sua quisque palestra se praebent, vt illorum praesides non nouicios, sed veteranos moribus esse testentur. Est posteriore item anno in nostra domo Dominicis diebus pius conuentus pomeridianis horis institutus, quo de studio pietatis, deq. Christiani hominis officiis disputatur, praeside vno de nostris. cui multi sẽper incredibili intersunt alacritate; vt ne aestiuis quidem caloribus frequentia minuatur. Commune fuit posteriore anno tota fere Hispania; vt nouo quasi federe concordia & mutuae consensus caritatis cum Dominicanis Patribus, nouis beneuolẽtiae officiis sanciretur. Templum vtrorumque & concio vicissim ab alterius ordinis Praedicatore, magna probatione ciuitatis cohonestata. nam in illorum aede noster die S. Thomae Aquinatis sacro, in nostra calendis Maijs, quae Sanctorum Iacobi, & Philippi nostri templi tutelarium anniuersaria memoria religiosae sunt, Dominicanus Sacerdos ad concionem verba fecit: ea nostrarum laudum testificatione, quae nobis modestiam incuteret. atque vtriusque familiae proceres altera, suo vtraque die, familia conuiuio excepit. Magnus praeterea est omnium ordi-

ordinum hominum amor erga nos. testantur id eleemosinae. Loculus sacrosanctae Eucharistiae asseruandae pretij non modici donatus est. Crux etiam in supplicatione praeferenda, cum gemino limbo hastae obtendendo; pullo altero ad funera, altero rubro ad festam laetitiam accessere. Matrona moriens bis mille & quingentos aureos collegio legauit; post mortem sui fratris possidendos, millie item alios, si contingat fratrē suum sine prole decedere. Vir primarius decem aureorum millium collegium fecit haeredem, vxore defuncta. Vtrique N.P. Generalis permissu sepultura in templo nostro data est.

IN LEGIONENSI COLLEGIO Latinae linguae scholas, duasq. alias, Philosophiae alteram, moralis alteram Theologiae septingenti discipuli frequentant. ex eorum numero multi ad varias se religiones contulere, multos quoque regendis parecijs eaedem scholae Ecclesiae dedere. Vrbis Antistes, vir, & doctrina, & pietate singulari illustrioribus quotidie testimoniis suam declarat in nos beneuolentiam. Hic, cum primum ex Accitana Ecclesia in hanc translatus est, nihil sibi gratius accidere potuisse testatus est, quam in eius Ecclesiae venire administrationem, cuius ciuitas Societatem in sinu suo foueret. A. P. Rectore inuitatus, & libenter, & magna cum animi sui voluptate drama, quod discipuli nostri dederunt, spectauit. Argumentum fuit de Christi connubio cum anima. cuius opportunitate Legionensis Ecclesia sibi tam dignum Antistitem gratulabatur. Defensiones philosophicarum, Theologicarumq. positionum in nostro gymnasio sua ptaesentia cohonestauit; suumq. de nostrorum doctrina iudicium

mul-

multis audientibus amplissimis verbis declarauit: Idem ipso Circumcisionis die sacro in nostro templo concionem habuit. Quin etiam graui aduersus vnius nostri scholam de humani arbitrij libertate excitata cõtrouersia, perhonorifice de nobis scriptas litteras dedit ad Summum Pontificem, ad supremum fidei cõsilium, ad Cardinalem Albertum, alioſq. sacra purpura ornatos.

METINAE SEMINARVM nostrorum alumnorum, qui studijs humanitatis exercentur, biennio toto ab optimo magistro excultum est. quatuordecim delecti adolescentes, Graecis, latinisq. litteris prima Seminarij fundatione instituendi traditi sunt: etsi posteriore anno duodecim tãtum numerati sunt. scholae vero externorum, aliis religionibus quatuor discipulos, nostrae vnum protulere. Nosttorum opera multos e carcere emisit, qui aere alieno tenebantur; pecunia mendicato corrogata, qua creditoribus fieret satis. Meretrices tres e lupanari extractae: quarum duae coenobiũ Conuersarum iniuerunt: tertia honesto in domicilio collocata est. Pernicioſa gliscebat in ciuitate discordia; quae nisi sedaretur, magnum erat incendium suscitatura. orta lis erat de priuilegio nobilitatis: multiq. ea iura cum subtilius disquirerent, multis malam perniciem cum ignominia creabãt: nostri ne malum altius insurgeret, interposuere sese ita, vt serpentem pestem latius manare prohibuerint. Cuius tanti beneficij memoriam ciuitas perpetuo monumento conseruandam duxit. Ceterum ciues tum priuatim, tum publice se valde nobis liberales praebuerunt. Priore anno senatus reip. difficilimo tempore frumenti mensuras centum (fanecas vocant) nobis donauit. quae res nos solli-

sollicitudine liberauit aut mutuae pecuniae adiecto fenore conquirendae, aut numeri nostrorum minuendi: posteriore anno aureos bis mille nobis dedit, ad aram templi principem signis, & columnis exornandam: & iam eius magna pars confecta erat. Vir primarius nostrae inopiae leuandae aureos trecentos eleemosina nobis dedit.

IN MONTEREGALENSI collegio priore anno Philosophiae studia sex Societatis alumni, viginti adiunctis opidanis decurrere. posteriore è Societate duo tantum iniuere, tenui collegij censu plures alere non valente. scholam tamen externi compleuere. quorum & maior est numerus, quam superiore cursu fuit, & speratur in dies auctum iri, multarum rerum facta mutatione; sed maxime ob caeli salubritatem. Latinae linguae scholas quatuor habemus: duas praeterea elementariorũ: in vtrisque discipulos centum supra mille. in omnibus, praeter litteras, studium viget pietatis. testantur flagra, & cilicia, quae Quadragesima bis hebdomada vsurpant omnes. Parthenij vero anno toto. Lustrati praeterea sunt excursionibus nostrorum Montani, rude genus hominum, & asperum. ad quos nemo adhuc doctrina cultus penetrarat. ergo quam alta fuerit inscitiae rubigo deterenda, quilibet vel mediocriter sapiens coniiciat.

NVMANTINI collegii census auctus priore anno a Maria Mendocia fundatrice bis mille aureis. tenuitas praeterea rei domesticae eiusdem benignitate sustentata. Alius praeterea mille & septingentos aureos collegio attribuit, post ipsius obitum fruendos. Eodem iure suum censum vniuersum duo alij nobis donauere. Templo in praesens argenteam pateram cum geminis guttulis

dede-

dederunt. aliorum praeterea piorum amicorum liberalitate tres proximae domus coemptae, ad. iunctaeq. nostris aedibus, nostras domicilij angustias laxarunt. Sed in primis perillustris Ferdinandi Padillae Oxomensis Ecclesiae Prioris, cum alias saepe, tum hoc maxime tempore, beneficentia eluxit. qui non ad soli tantum, domorumq. coemptionē ingentem pecuniam suppeditauit; sed illius quoque sumptu, octo extructis cubiculis nostra domus aucta est. Oxomum ante miseramus, qui in illa nobili Ecclesia conciones haberent, & confessiones audirent. quorum tam grata fuit opera, vt eos iterum Ecclesia postularit.

E BELLIMARENSI collegio montanae aditae sunt regiones, quae septentrionem spectāt; & Antistiti Burgensi parent. Incolae eadem asperitate, & rerum ignoratione, qua qui a Monteregalensibus adici sunt montani homines. Accedit ad loci, incolarumq. asperitatem etiam inopia: vt terni vici aegre curiones singulos sustentent. Hinc summa rerum omniū ignoratio: vt non pueri modo, sed adulti etiam, & grandes rudimenta fidei docendi fuerint. densi vepres inscitiae, hebetudinis, vitiorum, densiores multo, quam in incultis diu agris, diuini verbi falce fuere perpurgandi. veteres stuprorum consuetudines, diuturni illegitimi concubitus pro licitis habebantur. Affecta iam aetate senibus, morbo aliis grauiter afflictis, vitam corrigendi, peccata detestandi, nulla cura. nec vitium sentiebatur, tā altae tenebrae obductae erant. Quasi tum primum ad nostrae fidei lumen vocarentur ita propemodum nostris, qui eo penetrarant, laborandum fuit. & haec quoque sylua solertem colonorum fortium manum sensit, squaloreq. detersō,

detersо, ad cultum, nitoremq. reuocata est. In opido eiusdem tractus monasterium est sanctimonialium, cuius regimen ad Archiepiscopum Burgensem spectat. ei nouas leges, ad veterem compescendam licentiam, dare instituerat Antistes: eas virgines omnino recusabant, veterem viuendi morem adamantes. quoq. ille in incepto constantius persisteret, eo ferocius muliebris contumacia aduersabatur. itaque domi nulla pax, nulla tranquillitas: discordiarum, ac rixarum plena omnia. Nostrorum tandem concionibus, priuatisq. colloquutionibus, cum Deo iuuante, perfectum est, vt illae se Praelato suo praebuerint obtemperantes; collapsamq. disciplinam restitui aequo animo paterentur. & nunc ita viuunt, vt specimen inde constituendae coenobiticae disciplinae sumi possit. In nobili opido maritimo tanta facta est ad nostrorũ aduentum commotio, vt nemo fere fuerit supra vicesimum annum, qui non omnium erratorum suorum seriem confessione explicarit. mira omnibus corrigendae vitae alacritas iniecta: vt ad sacerdotis pedes abiecti negarent se, cum diu reluctati essent, Deo trahenti non obtemperare potuisse. Senex a decimo aetatis anno ad octogesimum solute vixerat; saepiusq. diuino monitu ad vitam corrigendam inuitatus contempserat. is piscabatur aliquando, cum excitata procella lembum, quo vehebatur, absorpsit; submersisq. sex eius comitibus, ipse vnus enatãs seruatus est: nec tamẽ resipuit. hic tandem ad nostrorum aduentum se respexit; prudenterq. ac pie animi saluti consuluit. Mulier ibidem quadraginta annos in turpi vita transegerat. haec iter mari faciens cum socia vtique e fornice, pari deprehensa periculo, comite in undis extin-

cta, arrepta tabula aegre seruata eandem salutis ancoram apprehendit. Mutatio vitae vtriusque indicat, eorum salutem Diuinae prouidentiae curae esse. Profuit vtique his nonnulla erga Diuinam matrem vmbra pietatis. siquidem vterque non vsque eo fuit religionis contemptor, vt non aliquando B. Virginis rosarium percurrerit.

POMPEIOPOLI ingens periculum, quod ad multorum perniciem simul & ignominiam pertineret, Deo bonorum innocentiam protegente, discussum est. Fama vulgauerat, montanos omnes circa vicos, pagosq. maleficis viris, mulieribusq. refertos esse. Dimissi iussu Regiorum Auditorum lictores, omnes, qui infamia notabantur, comprehensos Pompeiopolim contraxerant. interrogati rei crimen fassi erant. causa ad Quaesitores Fidei delata. Ac ne sic quidem crimen tam sincerae gentis credebatur; nec tantae vitae innocentiae tanta macula adhaerere posse videbatur. Rogatu ergo Episcopi, & Vicarij tribunalis, sacerdos e nostris eius linguae peritus (Cantabria enim tota proprio vtitur idiomate) missus in eos montes, homines simplici praeditos ingenio, & insita bonitate rudes multarum quidem reperit rerum ignaros; ita concionibus & cathechesibus errores multos ex eorũ mentibus abstersit. sed illud praecipue, cuius rei causa missus erat, certis vestigiis indagauit: inanem esse, & comenticiũ rumorem veneficorũ, & veneficarũ. Puellas tantum aliquot ab animi seu leuitate seu malitia, temere certe rumorẽ sparsisse in vulg', lamias esse sese, & lamiarum filias, aut discipulas: seq. ex certo oris, oculorumq. signo certo deprehendere, qui essent & venefici, & veneficae. ita multos illa infamia notauerant. & vulgo ijs fides habe-

habebatur; vt feminae praecipue, quas illae notassent, passim & lamiae, & carnium puerorum voratrices haberentur, sed tam viros, quam feminas, quas illae in suspicionem vocauerant, expertes esse eius culpae. Reos porro ab insita bonitate, & imperitia, credidisse, quod ijs persuasum erat; confessionem criminis expeditiorem esse ad veniam impetrandam viam. ita miseri inexpiabili se crimine obstrinxerant. Haec noster illa excursione a se cognita cum testatus esset; & res a sacri Iudicij Quaestore certissimis testimoniis rite perquisita explorata esset, qui se inscienter horrendi sceleris arguissent, integri declarati sunt, & omni maleficij suspicione liberati. Restituta est in coenobio quodam vnius maxime Sacerdotis nostri adiumento pax, & tranquillitas, multis, quae omnia turbauerant, diffidiis sedatis.

OVETI priore anno primicias morientium persoluit nouicius vnus Sacerdos. neque his annis septemdecim, quibus initium collegio huic factum est, vllius nostrum funus fuit. hic igitur primus sepulchri encenias est auspicatus. Schola de quaestionibus moralibus, ad conscientiam pertinentibus, iam dudum instituta bonam idoneorũ Sacerdotum segetem vniuersae Asturum regioni suppeditat. quare, Episcopo petente, ad eam priore anno altera est addita: vtraque bene, feliciterq, procedit. nam praeter docentium explicationes, quotidiana quoque excutienda quaesita proponuntur, octauo quoque die, scholarum more, quae ab vno defendantur, a multis oppugnentur, proponuntur: & statis anni temporibus celebriores habentur concertationes. Anno qui huic biennio antecessit, Latinae linguae scholas aperire coepimus, eae feliciter

liciter progrediuntur, multi licet adhuc ex vrbanis priores adeant magistros. Sed declamationes, dialogi, aliaq. dramata magnam gymnasio nostro cóciliant existimationem. Auxit in primis nomen Parthenia sodalitas priore anno instituta magna laetitia candidatorum. Missiones permultae fuere vtroque anno solito cum fructu: labores vero in ijs,& aerumnae ob hiemis asperitatem,& itinerum difficultates solito etiam maiores: nec minus operae, temporisue peregre propemodum, quam in vrbe positum est. muniaq. Societatis incredibile est, quanto studio in opidis, vicisq. exciperentur, quin ipsi parochi nostros certatim ad suas quisque Ecclesias inuitabant; ita vt fructus agrorum vrbanum & fructum & operā aequasse videatur. Rem nō vulgariter promouit aeque religiosissima, atque generis claritate nobilissima Magdalena Vlloa. quae non ijs contenta, quae contulit, atque in dies confert in Societatem, tanquam spiritu feruens Apostolico, quidquid potest, ad rem Christianam prouehendam, Ecclesias ornandas, viam salutis hominibus expediendam, confert. Ipsa enim Ecclesijs singulis sui Principatus sacrum ligneum pegma inauratum, & argenteam pixidem ad sacram decenter Eucharistiam asseruandam facienda curauit.

AREVALENSES socij aere alieno mille aureorum, pro quo annuam pensionem pensitabāt, priore anno liberati sunt. posteriore magistri duo Latinae linguae ludum cum Deo propicio aperuerunt. Grata erga id officium ciuitas domum nobis percommodam coemptam, & quidquid vacui soli circa nos esset, collegio attribuit. ita nostrae domus angustiae iam laxari poterunt. Alimenta insuper

per magistrorum tantisper, dum gymnasium totum e fundationis lege constitutum sit, se daturam pollicetur. & iam ad scholas aedificandas, cementa lapides, materia comportantur. Ara quoque princeps piae matronae liberalitate multis rebus ornata.

BVRGIS IN Societatem duo sunt admissi, alter seminarij ab Archiepiscopo instituti alũnus, & scholarum nostrarum discipulus; sed ita in litteris exercitatus; vt cum opus esset, magistris absentibus, illorum expleret vices: alter ad domesticos idoneus labores. Scholae frequentiam habent bene magnam, licet perantiquum, & celebre gymnasium in vrbe sit; & a magistris regatur a publico conductis. Modestia discipulorum, & obseruantia est, quam volumus: nobilium filij multi. In ijs copiosissimi parentis filius, & haeres vnicus annuorum vectigalium decem millium aureorum, ita aliis obedientiae, mansuetudinis, submissionisq. exemplo praelucet, vt parem se faciat cuilibet tenuiorum. Schola porro de conscientiae causis auditores habet sexaginta. Renouata est cum Patrum Praedicatorum familia in hac quoque vrbe coniunctio cum aliis officiis, tum mutua concione, vt in aliis collegiis dictum est, nostro, & ipsorum tutelari die festo; & mutuae symbolo caritatis vtraque familia mensa viciſſim ab altera excepta. cohonestatae viciſſim primariorum praesentia vtrorumque disputationes. salutandi quoque causſa nos ab illis, viciſſimq. a nobis illi familiariter aditi. Experti sumus & piorum amicorum prolixam admodum benignitatem. Septingenti enim aurei priore anno ad nostram inopiam leuãdam partim repraesentati, partim testamento assignati. Oleum

insuper ad sacrum lumen, & pretiosum peripetasma ad ornatum arae ab aliis oblata. Coemptam esse suburbanam domum animi remissioni, superiorum annorum litteris scriptum esse, indicant huius biennij priores litterae, impensa duorum millium aureorum. pecunia a duobus ciuibus suppeditata, qui mira nostrum ordinem prosequuntur pietate. Tota est ad nostros vsus accomodata; vt non honesta solum oblectatione laxare animos possimus; sed parata etiam opportuna commoratio sit, ad secretum diuinarum meditationum, exercitationemq. eorum, qui subinde a strepitu quotidianarū curarum ad tranquillum illud otium se recipiunt. Et iam rei opportunitas multis vsui fuit, tum Ecclesiasticis, tum laicis, domicilij nouitate, &, si placet, etiam amenitate ad illud inuitante. Coemptae praeterea aedes nonnullae, & nostro cum domicilio continuatae habitationem nobis reddidere aliquanto laxiorem: nam vt amplius laxemus, laborandum non est; cum domicilium in optimo vrbis loco situm, vtrinque vicis duobus coarctetur, vt ne digitum quidem fines proferre valeamus.

LVCRONII posteriore anno magistri tres litterarium gymnasium aperuere, Latina de more otatione praeeunte. Sed cum inueniam in litteris superioribus, quinquēnio ante eadem in vrbe apertas esse scholas, coniectura ducor ad suspicandum, fuisse aliquando intermissas, & hoc anno repetitas. vt ut est, non putaui illa esse omittenda, quae vt omnia huius anni litterae proponunt. Discipuli plus ducenti numerantur: & maiora in dies expectantur incremēta. Domus aedificatio procedit. ad eam trecenti aurei a ciue vno sunt collati. Ciuitatis magistratus, & ipsi proceres Ecclesiae nobis valde sunt be-

beneuoli. Declararunt proxime, cum in cathedrali Ecclesia per quadragesimam dies, quibus habentur conciones, quos in varias mos est distribuere religiones, eos omnes priore huius biennij anno Patribus Societatis assignarunt.

COMPOSTELLAE quoque, vt in plerisque iam Hispaniae locis, Quadragesima bis hebdomada magni fiunt concursus ad enarrationem exẽplorum, quae e sanctorum virorum historiis petuntur. Narrationem sequitur diuerberatio: qua non alumni modo gymnasij vtuntur, sed e totius ciuitatis iam nobilitate viri primarij tum Ecclesiastici, tum ciuilis ordinis. Compostellanus Antistes binas nobis aedes coemit; vt in earum alteris elementarij pueri legere doceantur, & scribere: eiusq. rei caussa cẽtum quinquaginta annuos aureos magistris alendis assignauit. idem etiam eius gymnasij aedificationem suscepit. Haec priore anno: posteriore P. Prouincialis Seminarium alterum hic constituit humanitatis. octo ingenioſi adolescentes egregio magistro traditi.

NOVVM AD MONTEM FORTEM collegium priore huius biennij anno fundatum est, & habitari coeptum. Fundatorem habet Illustrissimũ Hispalensem Archiepiscopum Rotericum a Castro S. R. E. Cardinalem. qui vt Montem Fortem, celebre opidum, & in suae clarissimae familiae ditione constitutum, redderet illustriorem, hoc collegij ornamento voluit augere. Locus est Callecitani soli optimus; situs & amenus, & saluber; aedificatio & ampla, & speciosa; descriptio plane digna Rege. Plura de huius collegij origine & progressione in horum duorum annorum litteris scripta non erant: sed plenam totius rei seriem trien-

nio ab hinc insequentis anni nonagesimi sexti litteris me scripsisse memini. quare ne immota mouerem; neue duobus in locis inutiliter eadem narrentur, omnem eius rei cognitionem in insequentem annum nonagesimum sextum reiiciendã censui. Scholae igitur non latinae linguae solum, sed etiam abecedariorum, cum primum constitutum est collegium, apertae quadringentos numerarunt auditores, praeter pueros elementarios. & eo vsque creuit res, vt posteriore anno ad sexcẽtos peruenerint: & qui ad litteras legendas, & formandas instituuntur trecenti iam fuerint. Illustrissimus Antistes ad vrgendum aedificationis opus octo millia aureorum adiecerat. Reliqua planius insequentis anni litteris cognoscentur.

ONNATE vixit frater vnus domestici operis adiutor, tum primum biennio sui expleto tirocinij. Adiuti egentes, corrogatis per nostros eleemosinis, Conciones, & sanctorum exemplorum narrationes ab honestissimis quibusque, & magno popularium numero celebratae: aliqui diuinis cõmentationibus exculti: & circumiecti vici nostrorum excursionibus lustrati.

APPARET ET VERGARENSE collegium non ita pridem esse institutum. siquidem superiorum annorum litterae de eo nihil indicant. Est in ea Cantabriae parte, quae Guipuzcoa ipsorum lingua nominatur: eadem, quae optimum, ac sanctissimum parentem nostrũ peperit Ignatium. nouum fuit in hac ciuitate crebritatem inducere nostrarũ exercitationum, tum ipsarum rerum insolentia, tum nonnulla (sic enim dicere prouinciales litterae nõ verentur) hominum duritia. Ingenia tamen suapte natura docilia; & ad omnem propensa probi-

tatem,

tatem, se Christianae pietatis excoli officiis facili negotio permittunt. Ita iam priore anno frequentem admiserant sacramentorum vsum. concionibus intererant frequentes. & iam ad quadraginta confessionem vitae totius retexuerant. qui numerus in inculta adhuc ciuitate, & studiosae pietatis insolente, magnus est. Sed, quod mirere magis (tanta est recens diuini cultus susceptа reuerentia) puerorum agmina, catechismum per vrbem concinentium, quibus & scholarum nostrarum se discipuli adiungunt, viri & aetate graues, & e prima nobilitate suae alioqui dignitatis retinentes, per plateas prosequi non verentur: neque pueriles cantus, diuinas laudes celebrantes erubescunt. Catechismus Cantabrica lingua explicatur, & concinitur. Neque vrbani tantum, sed & ex pagis circa vrbem multi quotidie confluunt ad nos institutionis, & sacramentorum causa. quibus hiemis asperitas, & itinerum difficultates leues sunt, cum tanta comitate a nostris excipi se sentiunt. Interim tamen vitia multa, quae tanquam in inculta diu sylua ex rerum inscitia excreuerant, fuere perpurganda. Matrimonia inter arctioris gradus propinquos coniuncta nostrorum monitu, nulla offensione ciuitatis dirempta sunt. A nocturnis sacrorum temporum vigiliis, quae in sacris aedibus traducebantur, sensim longo tempore in absurdam prauitatem consuetudo lapsa erat. Viri feminaeq. misti in sacris coemeteriis, atque adeo intra ipsas templi valuas lasciuos cetus celebrabant, choreasq. & saltationes, religionis nulla reuerentia exercebant. Data est opera, vt tam feda absurditas omnino tolleretur, quod ita difficile non fuit (tanta est, veritate cognita, religio susceptа) vt ne in profanis quidem locis iam

salta-

saltationum signa sentiantur. Quin etiam nostrorum hortatu Rosarij sodalitas est instituta. quae ne quo tempore deficiat, datur opera, vt corrogatis eleemosinis constituatur. Cetera nostrae Societatis munia strenue, & cum fructu opere digno exercentur.

EST S. ANDREAE nomine opidum maritimum cum portu nobili, nauigationibus in Oceanum peropportunum. Hanc sedem montanis Burgensibus erudiendis Illustrissima Magdalena Vlloa delegit, in qua nouum collegium fundaret, trium iam nostrorum collegiorum inclyta fundatrix. Institutum est collegium anno nonagesimo quincto IV. idus Martias: ipso die S. Gregorio Papae dicato. Nostrorum in opidum aduentus, vt magna populi laetitia, ita pari clericorum maerore exceptus est. rati enim illi, quantum nobis accederet, de suis tantundem emolumentis decessurum, non sane hospitali animo nouos aduenas intuebantur. sed experientia docti suum iam errorem confitentur. onera enim & labores, quibus ipsi premerentur, cum in nostrorum vident humeros deuolui, nullo suorum emolumentorum detrimento, non possunt non tantam sibi opportunitatem gratulari. Laetantur etiam suis templis ex nostrorum concionibus ornamenti non modicum accedere. Et quamuis templum nostris muneribus satis opportunum habeamus: certa tamen nobis domicilio sedes nondum est. ea tamen sedulo curatur. Magni statim ad nos e vicinis pagis fieri concursus coepti sunt: vt si duplo plures essent operae, messis tamen superesset omnibus. Excursum est item in externos pagos solito cum fructu; illudq. tum opidanis, tum paganis ex rerum insolentia

lentia nouum visum, & admirandum: facta nostrorum hominum cum dictis consentire: neque ab oratione vitam ipsorum discrepare.

PROVINCIA MEXICANA.

INSIGNIS fuit Mexicanae prouinciae annus nonagesimus quartus & aduētu P. Stephani Paezij Prouincialis, Patrisq. Petri Moralis, qui a Generali Cōgregatione, cui Romae interfuerat, nostrorum Patrum canones & decreta attulit: & nouorum accessione Sociorum ex Europa, qui nostrorum laboribus supplemento missi orant. octo & triginta omnino fuerunt, non paruū tantae prouinciae additamentum. Omnes eadem vecti naui: & si angustiis locorum pressi, eandem tamen inrer nauigandum operam, operaeq. statam perdici tempora distributionem, tum spiritualium rerum, tum scholarum, aliarumq. exercitationum tenuerunt: vt, si studium omnium spectes, & operam, non vectores mare iter facientes, sed in fixa bene constituti collegij statione homines haerentes te dicas intueri. Nauigatione vsi sunt, & si non nihil intempestiua, & sera, vt in tam immenso tamen maris spatio, non incommoda, vnum si periculum excipias: quo in vadosa illati, imminenti procella absorberi potuissent; nisi maximae Matris ope implorata, ad uota confugissent. concepta vota statim sequuta serenitas; & secundae flatus aurae nauim e vadis, & syrtibus euulsam tandem benignitate numinis in portum intulit. Profuere

ijs

ijs haud dubie communia ſodalium ſupplicia ; quibus paſſim Societate vniuerſa ob eiuſmodi pericula Diuina bonitas propiciatur. ſed praecipue in eos Beticae prouinciae caritas liberalis fuit ; quae vna plus mille Miſſarum ſacrificia , plus bis mille roſaria, ac totidem prope flagellationes, ad eorum detulit incolumitatem. Fieri non potuit, quin ex longa maris iactatione , & inſueti caeli natura multorum valetudo tentaretur : vnuſq. ex numero felici obitu deceſſerit: ſed de ſingulis dicetur locis ſuis.

Fuere in hac prouincia priore anno Socij omnino ducenti ſexaginta, centum Sacerdotes : e quibus triginta quatuor , votorum quatuor profeſſi; trium tantum tres : formati coadiutores ad ſpiritualia ſex : ſcholaſtici quinquaginta vnus ; nouem Theologi , Philoſophi triginta duo ; humanitatis ſtudioſi decem: Latinarum litterarum magiſtri ſeptem : domeſticae operae adiutores octoginta, Reliquum explent numerum nouicij . Hi omnes domo vna profeſſa , collegiis ſeptem , & variis ſedibus, miſſionibuſq. diſtributi. Aucta eſt prouincia collegiis duobus , quae eum explent numerum , quem prodidi, Paſquarenſe,& Tepotzotlano, quae antea Reſidentiae fuere . Erant huic prouinciae adiunctae Philippinae inſulae. eae hoc anno,quod in ijs tria iam ſint conſtituta domicilia, & vtilitate cognita Societatis , noua ſubinde aliorum fundamenta iaciantur , in prouinciae formam redactae ſunt, & ſi nondum plane prouinciae, ſed quaſi prouinciae nomine affectae; Praeſes illis tantum Proprouinciali datus. Eo Sacerdotes octo cum adiutore vno hinc profecti . Poſteriore anno viginti : e quibus Sacerdotes vndecim , quinque ſcholaſtici, quatuor ſunt coadiutores : in hac prouincia reliqui

fuere

fuere ducenti quadraginta duo. ad quos si quadraginta adiungantur, qui in Philippinis semiprouincia degunt, numerum efficiunt ducentorum octoginta duorum: in quibus centum & quindecim sunt sacerdotes: votorum quatuor professi quadraginta nouem; quatuor trium tantum: formati spiritualium muniorum adiutores septem: sex & quinquaginta litterarum studiis: domesticae operae addicti, & nouicij reliqui. Ex eo numero priore anno martirij corona donatus vnus: alij nouem humanitatis persoluere debitum: posteriore anno septem, de quibus singulis dicetur suis locis. Admissi in Societatem sunt Sacerdos vnus, quinque additis coadiutoribus.

DOMVS PROFESSA Mexicana.

MEXICANAE professorum domus initia, & exortae in ipsam tempestates; tum quibus artibus Societas aduersis fluctibus resistat, & quam felici cursu spiritalis res progrediatur, copiose & differte anno nonagesimo tertio perscriptum est. huius biennij priore anno tempestas desæuire, posteriore prope considere coepit. A Nuncio Apostolico, cui in Hispania totius causſae cognitio data est, potestate nobis facta aedificationé prosequendi: & ijs, qui nos ante oppugnabant, summa nobiscum iam beneuolentia coniunctis. Fuere in ea priore anno Socij quindecim. Sacerdotes octo, sex coadiutores, & nouicius vnus: posteriore adiecti Sacerdotes duo. Ita auctus operarum numerus auxit etiam aduentantium frequentiam:

ex

ex quo maior in dies exsurgit seges animarum. Angustijs loci in veteri templo premebamur; vt neq; concioni, nec sacrorum administrationi spatia sufficerent. nunc tandem priore anno in nouum & laxius, & speciosius est transmigratum. Inde maiores ad nos piorum hominum fieri concursus, & maior etiam eorum in nos exerceri coepta liberalitas est. Argentea lampas templo donata: eleemosinae eae fuerunr, quae & aedificationi, & aucto Sociorum numero alendo satis essent. E socius vnus vita functus, sui corporis deposito huius nouae domus quasi primicias posteriore anno consecrauit. Is fuit P. Iacobus Herrera, votorum quatuor professus. totum se magno bono paenitentium audiendis confessionibus addixerat. fructus operae, praeter cetera, trecentae virgines illius institutione, humanis rebus spretis, vt cum caelesti sponso se coniungerent, variis sese clausere Monasteriis. Magno verae humilitatis documento, & imminente zelo animarum magnam sibi reuerentiam conciliarat; neque obscuram opinionem sanctimoniae. quidquid ab opere confessionum vacui temporis supererat, ferme Deo supplicandi studio impendebatur. Egregiam in annuo morbo, quo decubuit, praestitit patientiam: cum interim nunquam audiendarũ confessionum operam intermiserit: & mortis interim ingenti teneretur desiderio: de qua & saepe, & cũ voluptate loquebatur. Exstitit & aliorum opera non segnis. Nam, praeter ea quae superiorum annorum litteris sunt cognita, multi ob aes alienum, quod soluendo non essent, carcere detenti, vnius e nostris industria, conciliata piorum miseratione, exempti sunt. Vnus praecone praeeunte raptus erat ad patibulum; antequam laqueum collo induisset,

duisset, tempestiua eiusdem Sacerdotis opera supplicio subtractus est. Virgo nobilis & opulẽta cum serio de honestissimo matrimonio ageretur, nostrum ad se accitum Sacerdotem consuluit. a consultatione nullum domesticorum alloquuta, voto religionis concepto, maxima admiratione,& probatione ciuitatis sacrarum virginum coenobio se abdidit. Eius exemplum aliae duae item nobiles sequutae eandem animi magnitudinem praestitere. Est aucta domus sacris sanctorum reliquiis; quas P. Petrus Morales aduexit Roma: his accessere aliae a Mexicano collegio domui concessae. Eae argenteis thecis perhonorifice inclusae anno nonagesimo quincto primum ipso Sanctorum omniũ die festo in templo propositae ciuitatis vniuersae venerationem habuere. Per eam occasionem priuata, & nostrae Societati familiaris religio menstruas aduocationes sanctorum codicillis distribuendi, publice ad vniuersam ciuitatem deriuata. Ita ipso die festo, secundum Vesperas in nostro tẽplo frequẽtia ingenti, & summa significatione pietatis, in annum facta sortitio est; primariis quibusque summa veneratione ad suos accipiendos codicillos accedentibus; eumq. diem, qui cuique obtigerit, magna veneratione ieiuniis, eleemosinis, totiusq. familiae per sacramenta expiatione celebrandum susceperunt. Pari veneratione, ac totius consensu ciuitatis postero die celebrata est anniuersaria piarum animarum expiatio. nam praeter solemnes ad templa concursus, praeter statas sacrificiorum, sacrorumq. officiorum supplicationes, ingens accessit cumulus ieiuniorum, eleemosinarum, praecationum, poenarumq. aliarum, sponte susceptarum, quod hominum studium tantum

P. Pe-

P. Petrus Sancius, notae, diuturnaeq. in hac vrbe venerationis iam ante excitarat. Habuit eandem religionem, & frequentiam & sacer dies alius, quo primum tabula diuinae Matris sacra cerimonia nostri templi arae imposita est. Eam R. P. Generalis gratiae causſa nostro fundatori ex vrbe venerabile donum, & plenum pietatis miserat, quam ille priuatis teneri parietibus passus non est, sed magnifice ornatam nostro suoq. templo addidit. Auxit eius diei solemnis trium nostrorum Sacerdotum professio, & concio de nostrae Societatis, praecipueq. professarum familiarum instituto. disputatio vt ante minus nota, & tali tempore necessaria, sic ciuitati vniuersae apprime grata.

MEXICANVM. collegium.

SEPTVAGINTA ferme in Mexicano collegio versari soliti, hoc biennio, aduentu P. Prouincialis ex Hispania, cum supplemento Sociorum prius, post etiam conuentu Patrum ad Prouincialem congregationem, centenarium prope numerum expleuerunt. Ex eo numero priore anno decessit P. Andreas a Carriedo, vir religiosae vitae, religiosorumq. institutorum, obedientiae in primis perquam studiosus. munus audiendarum confessionum viginti ferme annis magna cum laude in his regionibus exercuerat; cum graui correptus morbo triennio toto conflictatus nullum diem intermisit, quo non conscientiam per confessionem expurgarit. quin ipso obitus die ad extremũ chrisma suscipiẽdum se per confessionem comparauit.

Hunc sequutus est Sacerdos alter Iosephus Cauiatus, domo Italus. hic cum aliis virtutibus, tum patientia praecipue eluxit. septem enim annis, quibus in hac prouincia versatus est, molesto conflictatus morbo, semper summa aequitate animi diuinae se attemperauit voluntati. Nouissime cum medicorum consilio,& R. P. N. iussu se ad europeã nauigationem repetendam compararet, in medio profectionis apparatu, ne merito longinquae peregrinationis fraudaretur, gliscente vi morbi, patriũ solum cum caelesti, aeternaq. vita commutauit. Ingenti ille extremum vitae diem laetitia praestolabatur: quoq. propius ad finem accedebat;eo votis ardentioribus incitabatur ad cursum. Praedixit sibi die S. Ildefonso sacro e corporis statione esse excedendum. quod re contigit. sub ipsum mortis discrimen,tribus se maxime ad exitum rebus communiuit : fidei professione, confessionis sacramento, & votorum renouatione. Inde sanctorum patronorum, quos sibi viuens aduocarat, catalogum decurrens, extremum exhalauit spiritum. Horum vtrumque anteceſſit eximiae virtutis frater Theophilus Ciottus, item natione Italus. Decem ipsos annos & hic in hac prouincia continentibus vexatus morbis, inter graues tamen corporis dolores, nunquam a proximis strenue iuuandis destitit; vt multi illius monitis, & institutione, a prauo viuendi more ad pias, sanctasq. consuetudines se transtulerint. multi item humanis rebus abdicatis, varia religiosae vitae instituta sint complexi. Tanta de eo erat opinio sanctitatis; vt ipse Prorex,audita eius morte, indoluerit; seq. si mature id resciſſet, illius funeri interfuturum affirmauerit, cuius etiam rosarium sibi delatum magna reuerentia excepit.

Non

Non minus pia funera & insequentem annum decorarunt. P. Garsia Paciecus reliquis praeiuit. vir cum virtutum aliarum, tum praecipue humilitatis insignibus ornatus. quam ita studiose coluit, alteq. animo impressit; vt non modo intimis sensibus teneret; sed in omni etiam sermone, & actione magna cum aliorum admiratione, & nonnunquam etiam pudore praeseferret. Procurator erat prouinciae totius; & non modo inter summas occupationes nunquam communibus domesticis defuit laboribus, sed extra ordinem etiam ad vilissima quaeque obeunda ministeria diligens erat, & assiduus. Obedientiae vero ita studiosus; vt & praefidibus magno leuamini, & ceteris exẽplo esset admirabili. & cum incredibili mansuetudine ad extremũ vsque tempus fuisset; tum admirabili alacritate diem obitus excepit. qui placido somno simillimus, cõsentaneus tranquillissimae illius vitae fuit. Subsequuti sunt e scholasticis duo: prior logicae tantum, posterior etiam Philosophiae studiis decursis. Ille & cum se à seculari vita abstraxit, & sex annis, quibus in Societate vixit, magno rerum humanarum despectu, humilitatis, & obedientiae exempla reliquit; & hic, ex desiderio aeternae vitae, in diuturno morbo, ita mortis appetens; vt tristaretur, si quando spes fieret morbi superandi. Natali Christi Domini adueniente, quod mira pietate mysterium prosequebatur, futurum dixit, vt matutinas eius diei preces in caelo decantaret. nõ minus rata haec, quam Cauiati praedictio fuit. nam pridie eius diei inter pia de diuinis colloquia, precesq. purissimum spiritum suo conditori reddidit.

Quae ad studia & pietatis, & doctrinarum per-

nent, ea superiorum annorum litteris cognita sunt. illud huius proprium biennij. Studium iuuandi miseros, ac decumbentes inter sordes valetudinariorum, oratione alleuandi, opera recreandi, & eleemosinis sustentandi, intentius a nostris discipulis, Partheniis praesertim susceptum. cuius rei sibi poteſtatem fieri ita enixe a magistris contenderunt; vt saepius denegari non potuerit. quo filiorum studio, ita parentes delectantur, vt omnem ijs explendi vota copiam suppeditent. Triginta ex ijs iuuenes anno posteriore, ingenio, & virtute praecipui, variarum familiarum religionem susceperè: e quibus octo Partheniani fuere; teſtatusq. est e Dominicana familia non futilis auctor, sexaginta suae familiae homines in hac Mexicana prouincia conseri, quos sciret adolescentes in scholis nostris institutos. Ex ijs, qui in Societatem nostram se admitti postularunt, voti compos factus est vnus, ingenio & virtute longe ceteris anteponendus. qui in Philosophia, & Theologia laurea donatus, Sacerdotio, praeter cetera insignitus, magnarum opū spe abiecta, Christi paupertatem, & tutum Religionis portum adamauit.

Sed duorum iam natu grandium, magnaeq. existimationis admirationi vocatio fuit. Prior in Regio senatu aduocatus, cum semper ante in Societatem intimo fuisset animi affectu, viduatus coniugio, se ipsum illius obsequio addixit. Alter bene litteris instructus, cum in Hispania in Xerensi ciuitate Senatoris munere functus esset, in hac noua Hispania negotiabatur. hic quoque caelestis amore tactus negotiationis, rebus omnibus abiectis, ad caelestem thesaurum agro abditum animum adiecit.

AE-

ÆDES SANCTI Gregorij.

MEXICANI collegij pars est S. Gregorij cum templo domicilium. de cuius institutione multa litteris anni nonagesimi, & nonnulla anni octogesimi octaui, non pauca etiam litteris anni sequentis narrantur. Degunt in ea domo indigenis iuuandis, ipsorum linguae periti Sacerdotes quatuor, qui quotidiana opera tenui plebeculae praesto sunt. Iis diebus festis e collegio magistri auxilio accurrunt. Non defuere qui huic indigenarum institutioni oblatrarent; eosq. etiam animaduersionis loco accessu nostri templi prohiberent. idq. non tam vt nostros conatus impedirent, quam ne rudes homines a suis pareciis abducerentur. sed peruicit indigenarum constantia, & amor erga nos, vt a nostro pabulo se auerti non permitterent. cognita tãdem vtilitate, parochi se & ipsis, & nobis aequos praebuerunt. ac non modo suae curae traditos ad nos venire patiuntur, sed vltro etiam magna cum beneuolentiae significatione deducunt. Et cum vulgatis in gente morbis multi laborarent, ad eorum confessiones excipiendas ipsi parochi nostros inuitarunt. Fructus quotidie augetur, & religio sensim ipsorum animis altius imprimitur. Quae vt ex cõsuetudine vertatur quodam modo in naturam, eadem, quae inter Christianos veteres, etiam inter ipsos studia dissem-inantur. Nam & eorum mulieres sacrarum virginũ coenobiis Christianae vitae praeceptis duntaxat imbuendae accipiuntur: & virorum est in hac aede

institutum sodalicium : qui eadem, quae Hispani, & studiosissimi quique, pietatis, caritatis officia exercent. aegrotos in nosocomiis inuisunt, cibos afferunt, adiuuant, solantur; & magna pietate omnia in eos humanitatis, commiserationisq. exhibent obsequia. Bis priore anno plus ducentis quinquaginta suae gentis pauperibus epulum dedere: vestem elcemosinasq. multas magna spectantium voluptate, & intimo sensu pietatis diuisere. Ex ijs quidam liberiori vitae affuetus, cum diu monitis, & internis motionibus vt resipisceret, peccataq. nostro Sacerdoti confessione patefaceret refragatus esset, tandem graui accepto vulnere, Patrem ad se accersit; eaq. diligentia, ac sensu animi omnem vitae suae statũ explicauit; vt appareret, fidé in eius animo alte insedisse. Quatuor & viginti Illustriorum virorum filij in hoc collegio ex ea gente educantur. ij litteras docentur, musicenq. & cantu vocum, & instrumentorum quo in studio ita excellunt, vt ad Ecclesias alias diebus festis illustrandis euocentur. Et cum in morbum omnes fere incidissent, recreandae valetudini missi in vicinum opidum, incredibile est, quam libentibus animis excepti sint a suis, quantaq. habiti humanitate. & nimirum iam intelligunt, quanti sit, vere ac serio Christianam pietatem colere. Nec desiderata est laus feminarum. E vico non hinc longe dissito aegrota mulier accessit: certum expetiit Sacerdotem, quem nocturno viso indicatum sibi esse diceret; monitamq se a formoso adolescẽte, vt animi, qua angebatur, aegritudini ab eo remedium quaereret confessione peccatorum. Sed & aliarum, quae verum imbibere sensum pietatis, est operae pretium in tuenda praesertim pudicitia, constantiam cognos-

gnoscere. Quaedam ex ijs, quae conuentus sacros frequentant in hoc templo, in itinere sola ab iniurioso homine deprehensa, lacessitaq. & exagitata diu restitit viriliter, donec longa prece, diuino implorato auxilio, duobus e Societate superuenientibus, ab importuno vexatore liberata est. Virgines aliquot ab ijs, qui illis & terrori, & veneration i esse solent, magna contentione impugnatae, paratas se potius ad cruciatus, & mortem oppetendam praestiterunt, quam vt pudoris minui integritatem paterentur. Alia viri grauis, qui eam deperibat, preces, contentiones, munera, promissa, minas, insidias etiam humanis artibus insuperabiles, duodecim prope annos aspernata, victrix improbitatis integra euasit, & persistit adhuc. Virgo alia tenera aetate, forma praestanti sollicitata se sacramentorum in nostro templo consortem, & diuinorum monitorum memorem, negauit quidquam tota vita admissuram, quo spe deiiceretur aeternae haereditatis: ferrum etiam pectori admotum magno animi robore contempsit, certa mori potius, quam animum polluere. Multae eleganti forma, ne cui sint incitamento, & ab impuris se vindicent interpellatoribus, neglecto cultu, industriosisq. sordibus faciei decus dehonestant.

SEMINARIVM S. Ildefonsi Mexicanum.

SEMINARIVM adolescentium S. Ildefonsi inuocatione in vrbe Mexico excitatum inuenio anno octogesimo octauo. progressionem, & vtrorumque studiorum fructum in litteris anni nona-

gesimi lego : causſam illius inſtitutionis, alumnorũ genus, & nominis illius rationem nuſquam lego. indagine tantum quadam, & quaſi rerum odore ducor ad coniiciendum; adoleſcentes Hiſpanorum filios, non ad Eccleſiae certa miniſteria, aliumue vſum reip. ſed ad Chriſtianam, honeſtamq. diſciplinam educari, eorum more, qui in Europa ſuis alti penſionibus bonis litteris imbuti, & honeſtis conformati moribus, parentibus redduntur: quae conuictorum collegia, ſeu contubernia vocamus. Satis conſtat huius biennij litteris florem Hiſpanicae iuuentutis in id contubernium adlectum eſſe: neque Mexico tantum; ſed ex omnibus etiam remotiſſimis huius terrae partibus, quidquid lectae iuuentutis nobiliſſimi quique, & opulentiſſimi recte educatum volunt, in hanc mitti diſciplinam. Et quidem priore anno viginti ſupra centum numerati ſunt. his praefuere e Societate duodecim: Sacerdotes tres, ſcholaſtici ſeptem, adiutores duo. etſi vterque numerus poſteriore anno imminutus eſt, ita tamen vt alumnorum centenarium exceſſerit; noſtrorum vno capite decreuerit. Alumni variis ſtudiorum ordinibus tenentur, latinarum litterarum, Humanitatis, Rhetoricae, Logicaeq. plerique, in Philoſophiae ſcholis quatuordecim, in Theologiae octo verſantur. Studia, & exercitationes ex conſuetudine Societatis nota ſunt: fructus operae, cuius neminem paeniteat. documento ſunt crebro ſuſceptae ſcholarum more concertationes, & varia ſtatis temporibus ingeniorum capta experimenta. E Theologis vnus in B. Matris laudem ſcholam e ſacris litteris palam ſuſcepit explicandam, ea eruditione, & elegantia, vt Ilaſchalenſis Epiſcopus, ſacrae fidei ſenatores, Religioſi plurt-

plurimi, publicaeq. Academiae doctores inuitati mirarentur: studioseq. affirmarent omnes, se libentibus animis semper ad id genus epularum aduenturos. Ac praeter ceteras concertationes, quae quotidianae sunt, insignis illa fuit maximae spei adolescentis. qui non quincto decimo anno grandior, praestantis senatoris filius, positiones de Logica, Physicaq. scientia, in multorum aequae doctissimorum, ac clarissimorum virorum conuentu tanta cum laude. defendit; vt cum summa venustate, modestiaq. omnes ingenij praesentiam, acrimoniamq. mirarentur. Addidit ad rei spectaculum praecipuam quandam voluptatem, ac laetitiam parens; qui grandi natu, magnae vir auctoritatis, primus ad oppugnandum in arenam se demisit: idq. se non tam filij, quam Societatis, ac collegij amore facere professus est. Neque inter tot fausta tepescit ardor pietatis. Est & inter ipsos sodalicium excitatum, tutelae sacrae virginis commissum. Hi praeter assiduum sacramentorum vsum, religiosae etiam vitae studia susceperе: aliqui etiam institutas; & nonnulli ad nostram quoque adspirant Societatem.

COLLEGIVM. Angelopolitanum.

QVI nostrorum hominum ordines collegium teneant Angelopolitanum, superiorum annorum litterae, satis superq. docent. Fuere in eo priore anno socij octo supra quinquaginta, Sacerdotes tredecim, quindecim scholastici: quorum Philosophiae quinque, reliqui humanitatis studiis tenen-

tenentur; grammaticae magistri tres; duodecim coadiutores; quindecim nouicij. Auxit magno numero familiam, simul ac laetitiam aduentus ex Hispania nouo cum supplemento sociorum Patris Prouincialis, ac P. Moralis, qui huic collegio Rector datus est. de quorum aduentu initio satis est dictum. Sed licet laetitiam infesti morbi interturbarint, qui ex aduenis multos afflixerunt; alacritatem tamen animorum ad omnia ijs officia praestãda magis excitarunt; & cotem quasi quendam ad aegrorum virtutem acuendam admouerunt. Ex eo numero nouicius vnus Sebastianus a S. Martino, qui in Complutensi Academia Philosophiae studia emensus, se & Societati, & transmarinis iuuandis nationibus addixerat, ante initum laboris cursum felici fine ad palmam properauit. Hunc paucis diebus sequutus est nouicius alter, e Seminario S. Hieronymi, quod est cum hoc collegio coniunctum, vna cum fratre in nostram Societatem paullo ante cooptatus. Hic cum parentum voluntate a patribus suo consilio supersedere tantisper iuberetur, dum philosophici stadij spatia decurreret, contentione, & momentis rationum impetrauit, vt mora illa tolleretur. posse enim fieri, vt ante praestitutam diem moreretur. euentus vaticinium sequutus. tertio enim, quam ad tirocinium mense admissus est, ingenti sua cum laetitia, ad eum, cuius caussa cursum praeciderat studiorum, euolauit. Tertius item nouicius accessit, qui nouem ante menses è Mexicano S. Ildefonsi Seminario huc venerat; multis singularis modestiae, & pietatis, atque in longo morbo patientiae datis documentis, caelestium numerum, vt spem non dubiam ipsius animi fecit tranquillitas, auxit. Hunc prioris anni

nume-

numerum annus posterior imminuit. quadraginta enim nouem tantum censi sunt: Sacerdotes decem, tredecim scholastici, quatuordecim coadiutores, duodecim nouicij. Funerum tamen numerum aequauit. Siquidem hoc quoque anno decesserunt tres: sed veterani omnes. Primus fuit Sacerdos; qui triginta, quos in Societate vixit annos, in grammaticae regenda schola, magno humilitatis exemplo, & discipulorum bono consumpserat. Alter e Philosophiae studiis in morbum lapsus, magno cum vitae contemptu, & caelestium amore, longa phthisi consumptus est. Tertius multa rerum humanarum despicientia, & grata consuetudine omnibus apprime carus coadiutor, laudabiliter actam vitam laudabili item fine terminauit.

Ad quotidianas gymnasij scholas Ilaschalensis Episcopi rogatu, schola accessit alia de conscientiae quaestionibus, copiosa auditorum multitudine. Iam quanta nostrorum cura indigenae instituãtur, tum liberi, tum serui; quantaq. eorum sit erga nos beneuolentia, superiorum annorum litterae copiose satis docuerunt. Illa huius biennij propria videntur. Quater hebdomada quaque per Quadragesimam ipsorum lingua concio est habita magna frequentia; maiore adhuc anno toto quincta quaque feria, in foro mercatorio. quas sodales B. Virginis, & S. Michaelis memoriam retentas, postea in suo cetu referunt, cum conueniunt ad oratorium. Iam sextae feriae per totum annum hortationes in oratorio, & verberationes tum extremae hebdomadae flagellantium supplicatio per noctem e superioribus item litteris, & sodalitatum aliarum consuetudine, non ignota sunt. Sacra agni cerei, & piacularium globorum munuscula Roma a Patre Rectore

ctore allata; ijsq. viritim distributa, incredibiliter eorum acuere pietatem. Sed posteriore anno, vt tristitia laetus attexantur, saeua lues trium ferme mensium spatio miseros afflixit: nostrorumq. Sacerdotum opera paene priuauit: cum & ipsi, eodem capti morbo, commouere se non possent. Vnus integer a morbo cum tantae multitudini satis non esset, grauissime quenque aegrotantium, quamuis locorum spatio valde disiunctos, iumento vectus, ceteris praeteritis, obibat. Fuere & ad longe positos solemnes excursiones solito cum fructu. quarum vna cũ resciisset Sacerdos in Monte quodam, abstruso in recessu magnas adhuc antiquae superstitionis reliquias supereſſe, labore omni superato, illuc cum parocho se penetrauit. ingentem idolorum, variorumq. figillorum numerũ repertum comminuit. quorum etiam partem ad ipsum detulit Episcopum; eumq. de re tota fecit certiorem.

GVAXAQVENSE collegium.

GVAXAQVENSE, siue vt alij scribunt amanuenses Guaxacense collegium priore anno quatuordecim, posteriore duodeuiginti socij incoluere. Vrbs neque ampla, neque opulenta; prolixa tamẽ in nos benignitate. nam in magna ciuium paucitate cum tres aliae religiosorum familiae alantur, nobis tamen in sumptum suppeditauit copiose. quin etiam priore anno plus mille numis aureis piorum liberalitate aucta res familiaris est.

Valetudo omnium fuit integerrima, cum tamen mo-

molesti quidam morbi priore anno menses multos vrbem infestassent; quo maior nostris caussa daretur multum in nos ciuium benignitatem promptiore opera compensandi. Indigenae quoque, vt vbique, magno fere tenentur pietatis studio, magna nostrorum hominum reuerentia. Ingens eorum ad nos sacramentorum caussa concursus. & quos a nostra consuetudine, aut pudor, aut metus retardabat, eos communis morborum immissa calamitas ad auxilia Societatis respicere coegit. ita & quos morbus abstulit, salutaribus instructi praeceptis, & sacramentis muniti decesserunt; & qui periculo perfuncti sunt, vtilitate perspecta, nostrorũ consuetudine ita delectari coeperunt, vt omnem animi sui salutem nostrorum hominum consiliis tuto committi iudicarent.

Fuit & foeminarum pietas egregia: quarum in integritate retinenda constantia admirationi fuit. Sexdecim annos vna blandiciis, minis, & omni illecebrarum genere sollicitata, nunquam de tuendae sentẽtia castitatis demoueri potuit. Alia quinquennium totum importunissimis duobus procis, & quorum videretur auctoritate posse peccatum leue damnum existimare, fortissime restitit. Omnino vnius, praeter ceteras inuicta constantia fuit, & omni robur admirandum. Haec cum diuino instinctu a turpi vitae genere se abduxisset: mali demonis inuidia, & veteris consuetudinis memoria ita coepit impugnari; & omissae delectationis cupiditate nonnunquam inflammari, vt persaepe nõ animi solum, sed etiam corporis veniret in discrimen, eae interdum libidinum faces animo admouebantur, vt prope mentis impos ad manus sibi inferendas adigeretur; sed horum omnium atrocitatem

tatem praeliorum vna infixa menti sententia superabat: nihil esse vnquam admittendum, quod diuinae aduersetur voluntati, nihil illa intentatum reliquit, quo posset infestum sedare aduersarium; cum in dies acriores eius impetus experiretur. Sed pectus diuina gratia firmatum, quo maiore hostiũ insultu petebatur, eo maiore diuini spiritus copia roborabatur. vt, cum saepe, vrgentibus praeliis, in ancipiti salus versari videretur, momenti semper aliquid accederet, quod lancem alteram in bonã partem deprimeret. Saepe nudis pedibus grãdem crucem excelsum in montem subuehebat, vt laboris duritia rebellantes lasciuiae spiritus comprimerat: tamen nulla ei dabatur a bello quies. nec, nisi cum tentatione fieret prouentus, in acie stare potuisset. Aegrotis, & pauperibus in valetudinario inseruire instituit, ac ne sic quidem pugnarum finis inuentus, sordida illorum vlcera coepit exsugere: quod cum saepius repetiisset, illa de se ipsa victoria spectatorem certaminis Diuinum flexit iudicẽ, quo tandem imperãte, reddita sua est animo tranquillitas, vt si nulla corporis contagione teneretur.

COLLEGIA GVADALAXARENSE, Pasquarense, & Vallesoletanum.

DECEM in Guadalaxarensi collegio versati sunt, Sacerdotes quatuor, fratres sex. E Sacerdotibus vnus controuersias explicat de iure conscientiae. grammaticam docet alter. Tertius e fratribus vnus magnum puerorum numerum primis grammaticae rudimentis imbuit. Schola de conscientiae iure quo die primum susce-

suscepta est, praesentia Praesidis Regij Senatus Regiorum Consiliariorum, Cleri totius, atque aliarum religionum cohonestata est. Iide etiam interfuerunt, cum quaestiones pertractatae publice discutiendae proponerentur. Scholarum pueri, Christianam doctrinam egregie edocti, adiumento sunt ad vrbem omnem catechismo imbuendam; vel cum diebus festis eorum agmina in forum educuntur; vel cum ea, quae in scholis didicerunt, intra priuatos lares edocent domesticos. Episcopo & ciuitate vniuersa vtimur beneuolis. illi testis est quotidiana nobiscum familiaritas, & nostrae vsus operae; quam fere adhibet ad res grauissimas: illis magni ad nos concursus pietatis caussa. Ingens in hac vrbe Aetiopicorum est numerus: non magnus indigenarum. Aetiopici accurate a nobis Christiana pietate excoluntur. eorum dudũ est instituta sodalitas; quae colitur & frequentia, & studio. Sacellum est iis attributum, quo conueniũt, ad suos cetus frequentandos, consilia habenda, & reliqua pietatis officia praestanda. Ex hoc collegio suscepta profectio est ad argenti fodinas magna cum indigenarum, tum etiam Hispanorum vtilitate.

IN PASQVARENSI collegio ne scripturae diuersitas dubitationem afferat: nomen illud anni insequentis litteris Pascuacense mihi scriptum excidit, ambigua amanuensis nota vna decepto. & quanquam secundae syllabae scriptio eius anni litterarum mihi magis arridebat: constantia tamen aliarum annuarum scripturam hanc putaui veriorem: sed non fuit integrum, quod iam emissum erat, corrigere. Ideo volui, quod ibi Pasquacense legitur idem intelligi quod in aliis Pasquarense. In

hoc

hoc collegio Hiſpanorum, & indigenarum ſalutem ſuperioribus annis Sacerdotes quinque ſex fratres procurarunt: priore huius biennij abundante animarum ſegete, duo ex ijs, qui recentes ex Hiſpania venerunt multiplicato operi Sacerdotes additi ſunt. quanquam video poſteriore anno familiam ad eundem numerum rediiſſe. Eadem, quae alibi, eſt & in his finibus indigenarum in nos beneuolétia: neque quidquam eſt, quod non noſtrae fidei recte commiſſum putent. non fere ad quenlibet alium pari fiducia ad vitae ſuae maculas omnes detegendas, atque ad nos confugiunt: quos nullius rei, niſi ſuae ſalutis ſtudio teneri iam compertum habent. Sacramentorum ita ſunt ſtudioſi; vt ſi quis non ſaepius anno ad Euchariſtiam accedat, id propiaculo habeant. Ne in his quidem terris mulierũ conſtantia in tuenda pudicitia deſiderata eſt. ac ne ſimilitudine taedum ſit, pauca e multis carptim delibabimus.

Femina, poſt longam moleſtiam, pugnis, alapiſq. procum male acceptum viriliter abegit. Virgines multae etiam admoto ferro contempto, victrices euaſerunt. Neque ad tenera fidei germina firmanda, diuina abfuere beneficia. Mulier indigena longo afflicta morbo, iuſſit ſe ad templum ſuorum deportari manibus, certa ſpe concepta; ſe, ſi ibi per confeſſionem animae quaeſierit ſalutem, corporis quoque recepturam. Vni e noſtris confeſſa, ſuis nixa pedibus, & ad altare gratias actura acceſſit, &, magna cum omnium admiratione, ac laetitia, domum incolumis repetiit. Alius morbo oculorum prope iam caecus erat: recitari ſuper ſe à noſtro Sacerdote petiit Euangelium: atque inter recitandum diuinam quaſi manum ſenſit

ſibi

sibi interna capitis tenere; eaq. quae luci obstabant, ab oculis reuellere: statimq. magna sua, suorumq. laetitia, pristinum vsum recepit oculorum. Eodem remedio aliquot dierum interuallo, grauem, qui se lecto commouere non poterat, morbum depulit. Virgo viri primarij filia, & vitae integritate, & in pauperes beneficentia in primis clari, ex graui morbo ita rigerat; vt stare nullo modo posset. hanc parens, remedia expertus artis inutilia, ad templum nostrum deferri, atque ad B. Virginis imaginem sisti iussit: neque inde amoueri voluit, antequam optatae valetudinis facta est compos. ipsa tanti beneficij gratia virginitatem suam Deo vouit, neque ab eo se, cum multae & graues rationes alio auerterent, abduci permisit. Hinc orta eius imaginis vrbe tota reuerentia tantam piorum religionem excitauit; vt eam puerorum morbis praesens remedium esse sibi persuaserint. Suscepta excursiones plures ad loca circumiecta: sed vna in primis magnae vtilitatis fuit, ad gentem Cicimecis finitimam, qua in gente obeunda quatuor mensibus positis, quantum illius temporis continenti diurna, nocturnaq. opera licuit, ingentem hominum multitudinem paenitentiae sacramento Sacerdos vnus cum Deo reconciliauit. quae res eo fuit opportunior; quod plerique bello impliciti, aliquot annis eo beneficio caruerant, tam libentibus animis nostri Sacerdotis operam exceperunt; vt, quocunque eum venturum cognoscerent, homines eiiciendis pellicibus, pacificationibus, inueteratisq. quibus assueuerant vitiis abiiciendis, ipsius aduentum anteuerterent: quo proniora, expeditioraq. omnia ad rite sacramenta obeunda redderentur. Et cum in frequenti eorum

opido populum ebrietati valde deditum accepisset, postquam eo venit, piis aliquot sermonibus ad sobriae vitae praecepta excipienda eorum animos comparauit. Cumq. in id maxime intentus esset: ecce tibi primores opidi lasciuientes ebrietate in forum veniunt. tanta rei indignitate Sacerdos offensus, nullius adhuc confessione audita, statuit inde alio abire. Tum ad eius pedes maerentes cum lacrymis abiecti, rogarunt, vt sententiã mutaret: ille se ea condicione mutaturum respondit, si ipsi a corruptis moribus, & ebrietate desisterent. Laeto animo condicionem acceperunt: vasaq. vinaria omnia collecta, ex arbore, quae templi foribus obtenditur, suspenderunt; publicoq. cauerunt edicto, nequis in posterum facticium vinũ conficiat. Quod vsque eo religiose seruauerunt, vt ne ad arbusculas quidem, e quarũ fructibus liquor ad vinum exprimitur, accedere auderent. quo facto se ingenti beneficio cumulatos esse professi sunt. Siquidem tum primum more hominum viuere coepisse, cum adhuc belluarum vixisse se animaduerterent.

TRES IN VALLISOLETANO collegio Sacerdotes, cum fratribus quinque Christianam rem procurant. Ad scholam de conscientiae officiis altera est addita de lingua regionis huius. e qua speratur vtilitas non modica. Schola item litterarum, & grammaticae sua quoque in dies habet incrementa. Institutum posteriore anno, vt indigenarum pueri quotidie ad erudiendum conueniant in nostram domum. Aliqui praeterea a nobis intra ipsas aedes educantur, instituunturq. tanta gratia totius gentis, vt multi e remotis locis, audita rei fama, parentibus relictis, ad hanc confugiant di-

scipli-

sciplinam. Monasterium sacris virginibus ab Episcopo institutum, eius morte inchoatum, nostrorũ opera perfectum est. Aedium aedificatio laxata; & collegij census auctus. Ita & qui hic versantur, & qui huc se recipiunt, in oras alias mittendi, iam commodius alentur.

COLLEGIVM Tepozotlanum.

TEPOZOTLANA sedes antehac partim Hispanorum liberalitate, partim collegij Mexicani sumptibus substentabatur. Hoc demum anno nonagesimo quarto supra millesimum & quingentesimũ. Vir primarius indigena a P. Visitatore impetrauit, vt fundus pistrino aedificãdo percommodus, & alia vicina praedia, ad iustum sociorum numerum alendum idonea, fundationis loco acciperentur. Ita diuina ope cõstitutum est collegium. Septem in eo occupantur Sacerdotes, coadiutores tres, e Sacerdotibus sex trium linguarum Otomitanae, quae est gentis propria, Mexicanae, & Mazaguanae bene periti multas gentes obiere; magnosq. e multiplici, diligentiq. cultura animorum, frugum manipulos in horreum Domini comportarunt, idq. non semel, sed perpetuo paene biennij totius opere. Annum totum in multis obeundis & excolendis opidis Sacerdos vnus insumpsit: quae huius gentis vitiis ita expurgauit, vt a moderatis, ac bene moratis ciuitatibus non differrent. Multi vniuersa totius vitae confessione expiarunt animum: quibus ea data videtur facultas, tantum vt Christiane morerentur. nisi enim ad eos Sa-

cerdos peruenisset, paenitentiae munimento caruissent. nam confessione obita, vitae quoque munere perfuncti sunt, Alterius peregrinatione tum eadem praestita munia Societatis, exstirpata vitia, sanctae consuetudines inductae; tum femina indigena, & opulenta, audito nostro Sacerdote de religione disputante, tantum diuini spiritus hausit ardorem; vt cum eum retinere diutius non posset, Mexicum ipsa P. Prouincialem adierit; tantumq. de suis opibus detulerit, quantum ad collegium in suo opido fundandum satis esset, neque adhuc contentionem postulandi, cum haec in prouincia scribebantur, remiserat. sed videbatur ea fundatio nō magnis incommodis caritura. Ita tum in vrbe, tum in omnibus circa populis tanta morum facta mutatio, vt admirationi sit. Possent & hic egregia constantiae, ac pietatis ad miraculum vsque documenta feminarum proferri; sed ne in similibus mora diutius trahatur, por r sit condicio eorum, qui primi in litteras veneru Vulgati quidam morbi hic maxime saeuierunt, quo tempore ita nostri assidua ope ferenda grauabantur; vt necesse fuerit a Mexicano collegio opem implorare. non enim spiritalia tantum, sed quotidiana etiam domestica munera, ministrorum penuria, nostris erant obeunda: cum multi ne frigidam quidem, qui praeberet, haberent. Multos morbus extinxit, quos omnes diuina ope sacramentis Ecclesiae nostrorū opera ita communiit, vt magnam spem reliquerint aeternae felicitatis consequendae. alij melioribus conceptis votis periculum euaserunt. In iis, qui sublati sunt, alumnus fuit e Seminario indigenarum S. Martini, iam ante in hac vrbe instituto, adolescens duodecim circiter annorum, viri principis filius;

filius; qui nunc Ciapam (prouinciae id nomen) administrat. cuius auus, ante imperium Hispanorum, in ea gente Regnum obtinuerat. ea fuit morum compositione, ac modestia, vt & facile generis nobilitatem praeseferret, & in tenera adhuc aetate a sanctimonia nomē sortiretur: vulgo enim Puer sanctus, vocabatur. octiduum tantum aegrotauit: quo tempore quinquies confessionis repetiit sacramentum. Sub mortem memor calculi piacularis rosario inserti, ad indulgentiam postremum consequendam, illum postulauit: intimaq. pietate IESV, ac MARIAE nomen iterum, ac tertio pronunciato, inter pia cū Christo cruci suffixo colloquia puram animam emisit. Fuit qui illo ipso tēpore narrauit, eum a se in suo cubiculo visum, & valentem, & fulgentibus auro vestibus ornatum: percunctantiq. sibi, qui tam cito conualuisset, & quid sibi tanta species ornatus vellet: se quidem respondit aegrotasse: sed nunc recepta valetudine, coelum conscendere: parentum se tamen misereri, eorumq. qui calamitosa in hac vita remanserunt: his dictis ex oculis euanuisse. Testatur suis litteris P. Prouincialis, visum & morientis virtuti consentaneum; & auctoris fide digni testimonio, se dignum iudicasse, quod his litteris insereretur. Io eodem seminario Hispanus puer eiusdem ferme aetatis tanta pietate uixit; vt dormientibus ceteris, intempesta nocte ad flagellationes, piasq. commentationes expergisceretur. is eodem morbo pressus, pridie quam vitam commutauit, vni e nostris narrauit; candida veste sibi visum, qui nocte proxima, certa hora sibi moriendum esse denunciarit. denunciationem res sequuta est.

RESIDENTIA verae Crucis.

IN vrbe Vera cruce, quo classis ex Hispania solet appellere, sedem habent è Societate nouem. priore anno fuere Sacerdotes quatuor, cum quinque fratribus: posteriore vtriusque numeri est quasi facta commutatio, summa eadem manente. nam ad Sacerdotes vnus accreuit; vnus vicissim de fratrum numero decreuit. Est contra vrbem insula S. Ioannis, in cuius portu classis in statione esse solet. hic magnam anni partem e Sacerdotum numero duo esse solent iuuandis classiariis, nautis, multitudiniq. indiscretae, ac paene innumerabili: idq. eo maxime tempore, quo classis, vel appellitur, vel ornatur. & cum opus est, alij quoque ex vrbe facili traiectu eo se ad ferendam opem conferunt. Ac cum sub ipsam profectionem promulgatum esset Iubileum, tantas in omnium ordinum hominibus factus est motus animorum, Ducibus praesertim & hortantibus & praeeuntibus, vt nocte totam ad nostrarum aedium fores excubarent, qui mane primi vellent confessione expiari. In vrbe indigenae nulli iam reliqui sunt: sed illorum circa opida, viciq. obeuntur. Virgines aliquae in solitudine, & locis ab hominum frequentia remotis educatae, nostrorum eo peregrinantium sermonibus edoctae, quid boni sit in vita ab humanis tumultibus remota, & in religione sub obedientia transacta, coenobij se clausstris addiderũt. Aetiopici homines quoque, aliiq. misto genere ex Hispanis procreati, eadem Sociorum industria ex-

colun-

coluntur. Ex vtroque genere addicti multi seruitutem seruiebant. eorum multi, secessione facta, sumptis armis, montes occuparant. ad eos profectus Sacerdos, obuios habuit orantes, vt se confessionis sacramento dignaretur. Data fide, se ad heros ea lege redituros, qua Mexicani Societatis Patres sibi dederint, voti compotes facti sunt. Obiit in vrbe diem suum P. Carolus Villalta senex, & aetate grauis, & assiduis fractus laboribus, in omnium hominum generibus iuuandis. Is omnes humanarum rerum vmbras ita despicatui habuit, vt sexagenarius ad Societatem venerit: quatuordecim annos, quibus superuixit, operam nauauerit. Cum ad ipsum multo ante mortem a fratre litterae e Peruuio perlatae essent, nunquam adduci potuit, vt eas vel legeret, vel sibi legi pateretur: cum illud vsurparet Apostoli: *Nostra conuersatio in caelis est.* In Societate ita vixit, vt immaculatam illam tirocinij aetatem ad finem vsque vitae continuarit; & omnium hominum assidua, promptaq. opera, beneuolentiam, venerationemq. conciliarit quod omnes frequenti ad illius funus concursu declararunt.

ZACATECANA Sedes.

AD Zacatecas vrbem nobiles sunt argenti fodinae. quarum fama magna hominum colluuies, suis sedibus excita, eo se conferunt: alij mercimoniorum causa; alij locandae operae argento fodiendo; mercede alij conducti; abducti alij in seruitutem: alij deportati in exsilium; alij poenas

legum metuentes, cum eo patrium vertere solum. Nostri ante annos quatuor, missionis nomine illuc profecti, ita omnium ordinum hominibus suam operam probarunt; vt inde eos abire ciues, conuenaeq. non permiserint. eiusq. rei causſa non modo ad victum omnia suppeditarint; verum etiam, potestate facta ab Episcopo, templum satis laxum suis sumptibus extruxerint. Tres hic priore huius biennij anno Sacerdotes cum fratre vno; posteriore Sacerdotes duo cũ ftatribus duobus in quatuor hominum generibus excolendis occupantur, Hispanis, Mexicanis, Tarascis: & Aetiopicis; qui fere seruitutem seruiunt. Rogatu ciuitatis iuuentuti scholae Magister vnus datus est; qui lectos e tota iuuentute adolescentes litteris instituat, quoad P. Generalis permissu concedetur. Ea res non modo grata ciuitati fuit: sed vt in luxuriantibus terris diligentis coloni manu purgata seges adolescit, & nitet magis: ita iuuentus haec exsectis vitiis, humanae modestiae, & verae fructu pietatis reuirescens, & ad praesens ciuitatis ornamentum excrescit; & spem futurae vtilitatis in dies facit meliorem. Eorum aspectu, modestia, pietateq. atque in litteris processibus non modo ciues, sed ipse etiam Episcopus Guadalaxarensis, cum dioecesim perspecturus, hac iter faceret, mirifice recreatus est. Is cum primum in hanc vrbem venit, nullo alio, quam nostrorum hospitio vti voluit. & cum Pontificali ritu sacrum faceret in nostro tẽplo, magno sui animi fructu lectissimis adolescẽtibus sacrosanctum vitae epulum sua manu praebuit. In rebus deinde omnibus nostrorum consilio, ad res Ecclesiae ordinandas plurimum est vsus. Incidit in grauem morbum: quo tempore Religiosorum omniũ con-

contentione aegre se transferri passus est in supremi magistratus domum: vbi multo & commodius diuersari, & facilius curari posset: cum quotidie a nostris salutaretur. Ac cum primum melius habere coepit, inde omnino in nostras voluit sedes remigrare. quod si sibi moriendum esset; non alibi, quam domi nostrae se in tranquillo moriturum: sin adhuc recipienda valetudo,& facilius sanari,& citius posse conualescere. Placuit diuinae voluntati Antistitem optimum incolumen adhuc suae Ecclesiae seruare. Ita enim diuina conualuit ope, vt dioecesim obiret vniuersam. Multae praeterea, & periculosae inter Magistratus, & Religiosos, atque adeo inter primarios viros nostrorum opera sedatae controuersiae, vt vel ex hoc ipso fructus operae vel magnus ex nostro in hanc vrbem extiterit aduentu.

Qua cura porro indigenae colantur, Mexicani, Tarasci, & Aetiopica seruitia, & ex locorum aliorum similitudine intelligi, & ex sequentis anni litteris cognosci poterit. Illud fuit in primis vel maximum, quod a furiosa lapidatione, qua per dies festos turba ebriorum in duas diuisa factiones,cum multorum vulnere, & caede concurrebant inter se, vnius nostri hominis, qui illis excolendis praeest, reuerentia,quod armati milites antea non potuerant, prorsus auocati sunt. Totam rem plenius insequentis anni litterae quo tota penitus euulsa est, copiose persequutae sunt. Sed quoniam res ad aliquam huius quoque biennij partem pertinet, fuit a longe saltem indicanda.

MIS-

MISSIO CINALOENSIS.

DE Cinaloensibus quae quatuor ab hinc annis scripta sunt, cum primum in hãc gentem ianuis duabus nostri penetrarunt, ab ijs, quae anno nonagesimo sexto sequente scribuntur, valde videntur dissidere. nam superiores litterae eos campestrem tenere regionem, circa fluminum ripas, agrorum vbertate felicem; homines miti esse ingenio, & pacis amatores: sequentes vero, barbara feritate immanes, & intractabiles; e montium, ac praeruptarum vallium antris, specubusq. ad plana, & feracia loca nũc primum euocatos: aliaq. multa dissimilia vtrorumq. temporum comparari possent. Sed, si vtriusque temporis attente litterae dispiciuntur, intelligetur nullam inesse inter ipsas discrepantiam. Nam & quae de soli bonitate, caeliq. clementia superioribus litteris scribuntur, vera sunt de ipsa vrbe Cinaloa, aliisq. circa vicis. opidisq. inter quae praesidium est Hispanorum, opidum Sancti Iacobus, & Philippus: sed quoniam regio longe, lateq. protenta, montana, asperaq. iuga, & longe plurimas gentes, populosq. comprehendit, vt lingua inter se, ita etiam moribus, institutisq. diuersos; hos ex asperis locis in planos, ac mitis soli tractus; & à feritate ad humanitatem traductos sequentes annuae significant. Quanquam quae de instabilitate, facilitateq. ingenij ad subita consilia dicuntur; si quae narrantur, spectentur; intelligemus ad vtrunque genus pertinere; & ad eos, qui asperis in montibus, & qui miti in solo, benignoq. caelo nati sunt. Tum non omnia primis tem-

temporibus eius gentis uitia se prodiderunt: quae postea longa suo cursu dies patefecit. Nec, si cui Christianam religionem amplexi sunt, faciles se ad omnem humanitatem praebuerunt, reliqui ab insita feritate recesserunt. Compertum est etiam eos, qui infra tricesimum aetatis annum sunt, multo esse, quam seniores, ad omnem probitatem proniores: grandiores vero non facile a vetere consuetudine recedere. Neque mirum fuit, in gente religionis insolente, ac diuini numinis ignara, sermones de diuina potentia, de immortalitate animorum, de aeternae felicitatis promissione, rerum magnitudine, & nouitate, summa cum admiratione exceptos magnam spem feciſſe copiosae messis animorum: homines postmodum, alio vitae genere institutos, aliis moribus assuetos, nondum alte concepta religionis opinione, leui momento ad ingenium, & pristinos se mores retuliſſe. Primi e Societate Apostoli anno nonagesimo primo ad hos profecti sunt P. Martinus Peresius, & P. Gundisaluus Tapia, felici hic sorte, & diuina Dei bonitate ad vitam pro religione fundendam, ad eam gentem vocatus. Cognita deinde messis magnitudine, & facilitate ad Christianam in ea gente pietatem propagandam, missi superiore anno Sacerdotes duo, P. Ioannes Baptista Velascus, fratre comite vno adiuncto, quem Castrium nominatum inuenio (alterius Sacerdotis nomen nusquam lego) eam sementi euangelicae accessionem fecere, quam ex litteris anni nonagesimi tertij cognoscimus. Anno demum nonagesimo quarto religionis propagatio manabat in dies latius. mense Iulio capitum baptismo renatorum sex millia centum

censa

censa sunt. hi omnes in viginti quatuor Ecclesias distributi. Loca in quibus Ecclesiae extructae sunt, omni veteri superstitione expurgata, a Christianis tantum incoluntur. Ita ad fines Euangelicae legis proferendos maius nullum est impedimentum, quam paucitas operarum. Est enim patribus quatuor in adultis iam segetibus excolendis immorandum: & neophyti iam abunde Christianis praeceptis instructi, confessione expiandi. Quam in rem opida, vicosq. obeuntes, Quadragesimam totam, & laetos Paschae dies ad aliquot hebdomadas insumpserunt. Sacra Passionis Dominicae mysteria solemni superiorum annorum celebritate & apparatu, concentu adhibito symphoniaco, magna neophytorum voluptate peracta. Inde obita mõtana, ac neophyti iisdem exculti Societatis ministeriis; & infideles non inani opera ad fidem inuitati. Tam laetis successibus animosiores facti Socij, ad sementem Euangelij in vlteriores terras prolatandam, anno nonagesimo quarto, Mexico duo Sacerdotes alij, P. Petrus Mendius, & P. Andreas Santurenius auxilio missi, multis perfuncti laboribus, periculisq. in fines iam prouinciae venerunt; cum ex itinere multis saluti fuissent, multorum audita confessione, qui nondum illud sacramentum vsurpauerant. Culhuacani, quod est opidum prouinciae, diebus paucis concionum caussa substiterunt. Ibi obuiũ habuere Castrium fratrẽ, ad se deducẽdos a P. Gundisaluo missus. laetus enim tali subsidio Gundisaluus, sibi gratulatus dixerat: sperare se tenebrarum Principem ex diuturna huius Regni possessione pulsum iri. Adhuc Christiana res maioribus in dies incrementis procedebat, cum felicem rerum cursum subitus turbo interrũpit.

pit. Nam Culhuacano profecti Patres, cum ad nobilis Hispani, nostri amantissimi argenti fodinas peruenissent, hominem graui maerore perturbatũ offenderunt. Percunctantibus causſam, litteras profert, quibus certior fiebat, P. Gundisaluum crudeliter a barbaris interfectum esse: iubebaturq. Patres, si ad se veniſſent, retinere; neque progredi permittere; quod barbari sumptis armis, in vniuersum Hispanorum nomen coniurasſent. Nostri tam tristi nuncio perculsi, nihilominus progredi constituere, donec magistratus Culhucanensis litteris tantisper subsistere iussi sunt, dum firma militum manus illis praesidio mitteretur. Sed triduo post, nunciis ab Hispanorum opido S. Iacobo & Philippo superuenientibus, certiora de P. Gundisalui nece acceperunt; & rumorem de conspiratione barbarorum falso esse dissipatum. Tota autẽ tam atrocis facinoris series ita se habet.

CAEDES PATRIS GVNDISALVI Tapiae a Cinaloensibus illata.

TAPORAVA vicus est neophytorum ab opido S. Philippo & Iacobo spatio leucae vnius dissitus. huc frequens Occorone, vbi residebat, commeabat Tapia: vt, & tenera Ecclesiae germina nouis subinde aquis irrigaret; & ethnicos, qui circa erant, ad lucem intuendam Euangelij inuitaret. domum sacrae aediculae coniunctam sibi diuersorio exstruxerat. Huc vi. id. Iulias die Sabbatho Pater, comitibus Petro Occoronensium Caciquio, & Francisco, altero viro nobili, venit; vt postridie Taporauanis neophytis sacra mysteria

expo-

exponeret. Erat Taporauae libidinosae admodum ac profligatae vitae senex, qui olim quidem puer à Franciscanis patribus Christianis sacris initiatus erat: sed nulla religionis cura ad illam vsque aetatem vitam per omnia flagitiorum genera traduxerat. Hunc neque Patris hortamenta, neque diuinae legis reuerentia, nec suorum exempla popularium; neque tandem ipsa attriti corporis senecta a flagitiosa viuendi licentia vnquam non modo reuocare, sed ne retardare quidem potuerunt. populariibus enim Missae sacrificio, cõcionibus, aliisq. sacris rebus occupatis, ipse solitudines, & latebras captabat: vt compotationibus, aliisq. indignis voluptatibus turpissime indulgeret. Nullum non mouebat lapidem Pater, quo perditum hominem in viam reuocaret; Quae res ei gratiam maximam conciliare debuit, peperit odium inexpiabile. Barbarus officiosa erga se Patris sollicitudine offensus, statuit quouis pretio eam molestiam redimere. ergo impium, & exsecrandum scelus animo concepit. hominem de sua salute laborantem e medio tollere constituit. Clam igitur multis e popularibus sollicitatis, & in odium Christianae religionis adductis, vt sunt ingenio mobili, & ad subita consilia praecipites, nõ magno labore in suam sententiam attraxit. Et, vt manabat ad multos sceleris contagio, non potuit consilium tam occulte agitari, quin aliqua suspicionis aura ad alios afflaret. Subolfecit insidias Caciquius Occoronensis, quem cum Patre Taporauam veniisse supra diximus. Is die Dominico peractis sacris, ac neophytis dimissis, Patri, quae sibi comperta essent, demonstrauit. Si se suis saluum esse vellet, primo quoque tẽpore inde abscederet. Pater fretus perspecta iam pridem

pridem multis rebus neophytorum beneuolentia erga se; & suae cum vnoquoque mansuetudinis conscius; qui neminem vnquam vllo inclementiore dicto, signoue offendisset; nunquam persuadere sibi potuit, in vllius animo tantum scelus insidere potuisse. Et quidem de neophytorum caritate non male coniiciebat, si, vt facili ad honesta consilia sunt ingenio, ita etiam essent in probitate retinenda constantes. Nam non ita multo ante Mexicum profectus, cum rediret, primores illi summa beneuolentiae significatione, ad triginta leucas obuiam processerant. quacunque iter fecerat, ab opidis, vicisq. aliis summa beneuolentia exceptus est. Ratus igitur Caciquium cupiditati discedendi suspicionem insidiarum obtendisse, hominem vera narrantem, vtiliaq. frustra suadentem omni verborum honore dimisit: sibi certum esse, ad quartam diem ibi manere. Ille tristis, ac de Patris salute sollicitus, quando aliud proficere non potuit, cum Francisco comite Occoronem repetiit. Pater die Dominico neophytis erudiendis insumpto, sub noctem domum se recipit; ac de more inambulans, B. Virginis rosarium percurrit: inde in cubiculum concessit. Quinque e coniuratis scelus patrandum susceperant. Hi silentio ad Patrem ingressi, ad cubiculi fores constitere. tum per speciem amicitiae duobus ad patrem ingressis, eorum alter quasi venerabundus ad manus osculum acclinat sese. quem dum Pater intentus excipit, alter exortam clauam, quam sub veste condiderat valido ictu in Patris caput adegit. is obstupefactus ac vix sui compos, perturbato, ac titubanti gressu IESVM inclamans prosilit e cubiculo: tres qui ad hostium substiterant, hominem impetu ad ter-

ram

ram affligunt, caput illi prius, mox etiam siniſtrum brachium ſecuri abſcindunt. Iam dextrae digitos in crucis figuram, vtpote ad oſculandam conformauerat; eam quoque abſcindere conati, ſecuri ſaepius adacta, crudelitatis ſuae veſtigia, vibicibus impreſſis relinquere; dexterã tamen crucis ſignum pertinaciter tenentem violare nequaquam potuerunt. Patre extincto, corpus omni veſte ſpoliatum impij percuſſores in ſuo cruore truncum, & exſangue reliquerunt. Inde ad praedam verſi, quidquid tenuis ſupellectilis in domo, & ſacri inſtrumenti in aedicula repertum eſt, inde cum venerando capite, & brachio abeuntes aſportarunt. Duo pueri erant in Patris comitatu: hi caedem conſpicati, & territi percuſſorum multitudine, per noctis tenebras clam elapſi, contento gradu ea ipſa nocte ad praeſidium Hiſpanorum trepidi acerbiſſimae iniuriae nuncij venerunt. Commouit in re ſubita praeſidiariorum animos facinoris atrocitas; iraſq. exſuſcitauit, ad ſceleratos latrones vlciſcendos: ſed ſuorum diffiſi paucitate, veriti gentis vniuerſae conſpirationem, iram ad ſepulturae & exſequiarum curam conuerterunt. Taporauam igitur profecti, Patris truncum in ſuo ſanguine iacentem, ac digitis in crucem adhuc iunctis inuenerunt. quem inde in ſuum opidum aſportatum, Patre Velaſco, qui Occorone tum agebat, accerſito, (nam Patres reliqui longius aberant) magno doloris ſenſu, & multa veneratione ſepulturae tradiderunt. Vir fuit ob ſingulares animi dotes, & vitae ſanctimoniam omnibus apprime carus: ingenio acuto, & perſpicaci: doctrina vero ea inſtructus, vt, cum in Mexicano gymnaſio multis laudibus floreret: quo tamẽ fuit humili de ſe ſenſu, ſcholarum lucem, plau-

plausumq;. discentium, vitae exercitae, & aerumnis animarum causſa perferendis posthabuerit. quo studio homines honores in rep. & speciosa munera consectantur, ille abiecta ministeria, & sui despicientiam captabat. hoc studio incensus, patria cognationeq. nobili relicta, in has oras traiecerat; vt inter ignotam barbariem ignotus & ipse diuina in causſa versaretur. ita in humillimae gentis salute procuranda laborabat; vt peregrinationibus ea causſa suscipiendis, rudibus instruendis, abiectissimi cuiusque, ac despicatissimi tuguriis adeundis illorum miseriis & monitis, & vitae praeceptis, & eleemosinarum saepe subsidiis, omniq. ope subleuandis, vnus ex ijs videretur. ad haec singulari comitate vnumquenque compellabat. minores, fratres; maiores natu, patres salutabat. quibus rebus incredibiliter omnium sibi animos deuinxerat. Accedebat assidua cum Deo familiaritas, intentumq. studium precandi Deum, & diuina cogitandi. quo fiebat vt & neophytis, & ethnicis admirationi esset. neophyti nihil non illum a Deo precibus impetrare posse existimabant. sterilis mulier se illius precibus fecunditatem a Deo impetrasse profitetur. ethnici hominem caelo delapsum dictitabant. Ita cognitum est e percussoribus vnum, postquam ille exanimatus est, quasi facti paenitens, dixisse: Quid tu, si Deus, vel Dei filius eras, & tam multa noueras, non imminentem mortem auertisti? Ethnici multi, cum terrae motu regio quateretur, ad eius sepulchrum cum muneribus venerunt, ad sanctos illius manes propiciandos, cuius ob caedem immissam calamitatem existimarent: pollicitiq. sunt, se Christi religionem, quam ille docuerat, suscepturos. Fama de tam in-

digna caede dissipata, etiam ad remotiores populos perlata magnum exciuit motum animorum. Venerant enim cum Patre ex Mecioacana prouincia aliqui, hi litteras Pasquarium ad suos dederunt: quibus eos & luctum suscipere, & ad alios prouinciae populos scribere iuberent; eosq. ad eundem lugendum Patrem inuitarent. Mexicanos nostros praesertim perculit hic nuncius, orbata Societate, tali tempore, tam strenuo diuini operis ministro. Et quamuis non liquido constaret, religionis caussa esse interfectum: constat tamen eo nomine sublatum esse, quod Christianae pietatis augendae, extirpandi vitia, & salutis animorum procurandae impense esset studiosus. Ita mortis genus in diuina caussa susceptum maerorem omnium leuauit. Sed omnium maxime vicini Occoronenses & Culhuacanenses commoti sunt. Hi infestis armis in coniuratorum fines impetum fecerunt: & cum sceleratos interfectores, ad necem conquisitos deprehendere non potuissent, multos sceleris conscios interfecerunt; illorum domos incenderunt; agros vastarunt; fines denique Taporauanorum multis detrimentis affecerunt: vt ipsi populares nefarios impij facinoris patratores exsecrarentur; quorum scelere tanta ipsi detrimenta paterentur. Nec finis caedibus & maleficio factus esset, nisi succensi ad vindictam animi nostrorum contentione reprimerentur. neque enim arma posuissent; nisi certa denunciatione illis interminati essent, fore vt ex eorum finibus ipsi se reciperent. Hoc metu tandem quieuere. Scelerati interim latrones, Patris nece nondum saturato odio, illius iumentum sagittis confixerunt. inde cum praeda se in fines ethnicorum receperunt. a quibus, tanquam praeclari facino-

cinoris patratores, honorifice excepti, & praeclaris laudibus ornati, agris etiam & vectigalibus donati sunt. Hi cum primum in tuto se positos viderunt, sacrum Patris caput vna proferant cum brachio: barbacoam facere constituunt: genus id est epularam diriſſimum. humanas carnes humo infodiunt, prunarum ingentem vim superiniiciunt, donec assatae, excoquantur: tum extractas ad honorem adhibent mẽsarum. hoc sapidiſſimum barbaris est genus epularum. huic teterrimae popinae veneranda membra semel, iterum, ac tertio tradita, cruda semper, & recentia extracta sunt: nec tanto rei miraculo commoti barbari a sua impietate destiterunt; quin inter epulas, & pocula per summam lasciuiam sacris vestibus induti, sanctis illis reliquiis illuderent. Sed non ibi diu improbi latrones substitere. nam cum tanti ob tam acerbã iniuriam inter Christianos rerum motus facti essent, inuisi omnibus, rebus suis diffisi, suam perfidiam detestantes, in montes, & loca syluestria longe refugerunt. Ac ne sic quidem tuti, cum suis familiis ad Theuecos, gentem immanem, atque armis ferocem profugerunt. a quibus ea lege in tutelam accepti sunt, si liberam ijs in suas coniuges, ac filias potestatem permitterent. hac flagitioſiſſima pactione sua pericula redemerunt. Inter haec neophyti, ad quos eius criminis contagio, seu suspicio pertinebat, maiora damna veriti, desertis sedibus, in montes & ipsi profugerunt. accessit ad metum etiam militũ manus praesidio nostris submissa. cuius perculsi metu neophyti reliqui, a scelere alieni, fuga dilapsi omnes sunt. ita opida multa, viciq. deserti: domicilia, templaq. euersa. nostri quoque subitae conspirationis metu in locum

vnum se receperant. Sed paucis diebus, diuina fauente ope, multo nostrorum labore diligentiaq. neophyti in suas sedes reuocati, diruta aedificia restituerunt. Interim cognitum est, Nacabeuam, principem eorum, qui Patrem interfeciſſe dicebãtur, certo in monte a Theuecis diſſito, cum suis consediſſe. eo immiſſi milites, viri quidem, cognito hostium aduentu, matura fuga periculo subduxere sese: eorum vero coniuges comprehensae: vxor etiam Nacabeuae a milite interfecta est. ita vna illa adhuc meritas sceleratae caedis poenas dedit. quae etiam solita erat impia sacram Sacerdotis casulam per risum, iocumq. induta choreas ducere, & inter epulas sacrum calicem ad pocula adhibere. Receptus tum est calix cum purificatorio linteolo. Zuaquenses, inter quos Nacabeua primo consederat, legatos miserunt, qui Hiſpanis satisfacerent, pacem, & fedus amicitiae postulantes; pollicentesq, se omnia, quae interfecti Patris apud se haberent, reddituros. Caput haſtae infixum reportatum, quod impij errones in ostentationem victoriae de Christianis circuntulerant. brachium dicunt a femina custodiri, in vltionem filij ab Hiſpanis interempti. Nostri hoc composito tumultu, neophytisq. reuocatis, pacatisq. templis, domibusq. restitutis, tantum abest vt morte P. Gundisalui animos deiecerint; vt se audentius quam ante ad propagandae fidei negotium forti animo capessendum excitarint. Nam vt placatos populos omittam circa flumina Eboracen, Petlatlanem, Occoronem, & Zinaloam, quos omnes etiam tranquillis temporibus obire solent; qui tertio loco superuenerunt, etsi in ipsum turbinem rebellionis inciderunt; maestiq. opidum fluminis Eborensis

rensis, aliaq. loca obiuerunt; maerorem tamen leuauit neophytorum pietas, quacunque iter facerent praelata cruce agmine obuiam illis prodeuntiũ. Alij alio dimissi remotiora loca inermes Euangelium circunferentes peragrarunt. Duo ad Theuecos se contulerunt; qui eos pacati acceperunt; libenterq. de diuinis rebus disputantes audierunt; probaruntq. nostrae legis omnia. duo tantum sibi difficilia videri affirmabant: non licere plures alere vxores, neque quenquam interficere. Est inter eos Princeps militari gloria insignis Lanzarotes nomine. is audito nostrorum aduentu, consilio Christianam fidem amplectendi, e quinque, quas habuit, vxoribus, quatuor dimissis, nouem passuum millibus nostris obuiam processit. Vnicus ei filius est, tenera adhuc aetate: eum statim, inuita coniuge, ac consanguineis, Christianis mysteriis imbuendum tradidit. Huius pater ab Hispanis quondam interfectus fuerat: tamẽ neque hac, neque aliis iniuriis exulceratus, se ab illorum amicitia, & federe seiunxit; quin semper Hispanum nomen tueretur; & consilio & armis, quocunque opus fuerit, illis opitularetur. Alij interiores, & gentes nostris nondum cognitas, adiuerunt: apud quos prona omnia ad Christianam religionem inferendam esse narrant. Nulla apud eos idola, & si qua sunt, non magno haberi in honore; nec difficile esse hominum animos ab ijs auocare: mansuetudine, ac docilitate ceteris praestare: perspicuaq. apparere in ijs Christianae vestigia religionis; etsi alta rerum inscitia, caligineq. obscurata. paruas cruces capillis alligatas demittunt ante frontem. Creditur id ijs remedium aduersus diaboli terrores a magnanimo Duce Capouacca demonstratum; qui olim per

varios casus errore viae ad eam gentẽ penetrarat. Antiquior adhuc est apud eos honor, qui Virgini habetur; quam illaeso pudore filiũ affirmant peperisse. Haec certis auctoribus cõperta. Venit e nostris vnus in prouinciam Nium, quae ad eam gentem pertinet. idolum ab ijs coli cognouit: ab eo nullo negotio eos abduxit; ipsorumq. voluntate illud igni tradidit. Pari facilitate multa ex eorum consuetudine vitia detraxit. Totas interdum noctes viri, feminaeq. mixti cõpotationibus, & choreis traducebant. quam lasciuientem licentiã consentanea flagitia, quae commemorare non est operae, sequebantur. A tam pernicioſa licentia facile abducti sunt: institutiq. ludi alij, quos viri feminaeq. seorsim agitent. Multi in hac gente baptismo expiati: multi idem diuinum beneficium efflagitant; templaq. & commoda concioni aedificia theatraq. se suis sumptibus extructuros pollicentur. sed non finit operarum paucitas nouas sementes facere, enatis iam segetibus relictis; nisi plures operarios messis dominus in messem suam miserit.

MISSIO, SEV RESIDENTIA Guadianensis.

LITTERIS anni superioris cognitum est Guadianam Hispanorum opidum missum esse Sacerdotem vnum. Is tanta cum vtilitate nostrae Societatis ministeria exercuit; vt opidani, cognita vtilitate, seriam de sede in opido Societati fundanda cogitationem susceperint; in eamq. rem idoneum vectigal constituerint. Rationes etiam, quibus

quibus id persuadeant, magni momenti proposuerunt. quod praeter vtilitatem, quae tum ad opidanos, tum ad alios circa populos proficiscí poterit; limen aperietur ad remotiores alias prouincias, opidis, populisq. bene frequentes, & praecipue ad vicinam Cinaloam, & Paludem maximam, quam vocant. Commoda igitur domo attributa, Sacerdotes quatuor cum duobus fratribus ibi hoc biennio consedere. Hi non modo Hispanis, & vniuersae circa regioni, quae noua Cantabria vocatur, praesto fuere: sed ad Paludem etiam maximam excurrere. Duo circa illã sunt hominum genera. ij copiose satis insequentis anni litteris describuntur. Regio, quam primam nostri adiere, fertilis est, & amena: melle, thure, frugiferis arboribus abundat. homines oris, corporisq. totius habitudine haud deformi. ij videntur esse, qui sequentibus litteris Tepeguani nominantur. de quorum humanitate, vicissimq, asperitate, seu belluina potius natura alterorum, qui proximi ipsam accolunt paludem, ibidem multa exponuntur; quae his litteris sit inutile praeuertere. Ad priores igitur, quos Tepeguanos esse coniicimus, nostri profecti, cum magno vbique Christianarum rerum desiderio tenerentur; quocunque venerunt, ad multa milliaria obuios habuere populos, viros, feminasq. publicam laetitiam praeferentes. hospitijs percommodis, & opipare, pro copia, ornatis excipiebantur. Ad catechismũ, diuinarumq. rerum explicationem summa auiditate populi accurrebant: nostrae religionis mysteria ita perceperunt; vt illa & animo repetentes, & crebris inter se sermonibus agitantes, altissime animo infigerét. Incredibili veneratione Sacerdotes nostros

illuc saepius euntes prosequuntur; caelestiq. numini grates agunt immortales: quod in suas terras e caelo Dei filios (sic enim Christianos appellant Sacerdotes) demiserit. Aegroti magno pietatis studio Sacerdotes accersunt: aqua benedicta se aspergi, recitari sibi ad caput petunt Euangelium. quidquid ijs melius fit, id totum sacris ministeriis attribuunt. pollicentur sese a libidinibus, aliisq. vitiis abstractum iri. tepentes, ac desides ad votum Christianae religionis ardenti studio concipiendũ adhortantur. Nihil denique ijs accidit molestius, quam cum ab ijs, vt ad loca alia se conferant, emigrant Sacerdotes. Prima tamen excursione nemi-
nem adhuc baptismi beneficio affecerũt, nisi pau-
cos moribundos, quos Christiana cerimonia, sa-
croq. funere sepulturae tradiderunt. quae res tum
ethnicos ad sacrum Christi baptisma exoptandum
vehementer incitauit. Multi per haec opida reper-
ti sunt indigenae Christiani; sed Christianae di-
sciplinae ita rudes, vt fuerint omnino quasi incude
refingendi. Neque populi solum, quos adibant,
hoc Christianae pietatis studio incitati, sed multi
etiam vbique alij ex circumiectis locis, suis sedi-
bus exciti, ad nostros confluebant, multis precibus
orantes, ne diuinis destituti beneficiis praeterirentur. sui caeli temperiem, soli bonitatem, hominum ingenia capacia, prona esse omnia ad diuinam Christi legem praedicandam commemorantes, parata domicilia, aedificata templa: nihil non esse promptum, quod ad fidei iacienda fundamenta opus esset. Legati, oratoresq. e terris aliis venere, viri Principes, summa contentione postulantes, vt quoniam vulgati quidam morbi tenerae aetatis pueros, infantesq. absumerent, ad se venire festi-
narent.

narent. non tam sibi esse luctuosum suos filios extingui, quam acerbum, quod sine baptismo morerentur. non dubitare se, quin Sacerdotes e caelo missi, non auri, argentiue conquirendi, sed homines ad caelum erigendi studiosi, ad suae quoque gentis vtilitatem, & salutem missi sint. Vltra hos alias cognitum est esse nationes, infinitamq. prope multitudinem, ad quas nulla adhuc Euangelij affulsit lux. sed tantae, ac tam late patenti segeti colendae quantus colonorum numerus est opus?

MISSIO AD OPIDVM S. Ludouicum a Pace.

DE opido S. Ludouico a pace, Cicimecis nuper in id opidum deductis, deq. ad eos Missione, etsi satis multa anno nonagesimo sexto insequente scripta sunt; tamen inutile non erit, ad maiorem gentis cognitionem, nonnulla his litteris vel anteuertere, vel supplere. Cicimecae barbari homines, & immites, & ipsa montium, in quibus habitant asperitate efferati, ad omnem crudelitatem sunt propensi; vt nihil ijs promptius sit, quam quemuis iniuria crudeliter lacessere. proinde etiam nulli mortalium ad bella proniores. in praelio feroces, & finitimis omnibus terrori. Ceterum natura desides, otio dediti, & operi auersi, uiri praesertim: feminae duntaxat vitam agunt operosam, aut colendis agris, aut caedendis lignis, fascibusq. comportandis, aliisq. muneribus obeundis, quae quotidianus vitae poscit vsus. Rara apud eos opida. Sedes fere fixas nullas habent: sed quocunque

cunque eos trahit occasio, vagantur. Regem Ducemue, aut Praefectum, nisi in bello, nullum habent: imo vero ne parentibus quidem filij obtemperant, suorum quisque morum, & actionum non rationem, sed libidinem sibi legem facit. ebrietas, venus, crudelitas non vitio, sed laudi ducitur. vestium vsus paene nullus: cibo vtuntur tenuissimo, maicio praesertim. summa gulae indulgentia, summa lautia ijs pocula sunt: quae e tuna, quod pomi genus est, sibi conficiunt. Linguarum tanta diuerbtas; vt in opido vno bene paruo, non plus triginta familiarum, quatuor inter se distinctis idiomatis loquantur. ingenij vero bonitate, & acumine omnes eius orae gentes facile superant. Hi superioribus tẽporibus Hispanis semper infensi, & implacabiles, magnis eos incommodis affecerunt; cum in Zacathecas euntes, ipsi occupatis saltibus ex editis locis sagittis impune configerent; itinera obsiderent; praedas ex ijs, quae vltro, citroque comportabantur, auerterent; captiuos persaepe etiam abducerent. Data est opera omni conatu, immissis copiis, vt inde pellerentur. sed illi opportunitate vsi montium, latibulorum peritia, & caprearum instar, praeruptis superciliorum assueti, quanuis saepius submoti, reductis copiis, ad eosdem tamen saltus insidendos vetere consuetudine redibant. ita neque pax cum ijs, neque omnino bellum esse poterat. Dei tandem beneficio in Hispanorum amicitiam pellecti, e praeruptis rupibus & latibulis in plana, & campestria deducti, in opidis collocati sunt. Ad eos Proregis iussu missi e Societate Sacerdotes duo Otomitani periti sermonis, adolescentes quatuor e seminario S. Martini Tepozotlano adduxerunt. qui familiari consuetudine

dine Cicimecarum liberos ipsi indigenae ad consuetudinem, modestiam disciplinamq. allicerent; fera illorum ingenia, & dura, sua pietate, modestia, aliarumq. virtutum exemplo ad aemulationē eandem inuitarent: litteras docerent & legere,& formare;& musicis quoque exercerent. Hi in opido S. Ludouico consedere. omnes communi omnium laetitia excepti, operi statim manus admouere. confestim gentis primiciae baptizati; sacro Ecclesiae alij matrimonio coniuncti;Catechismo reliqui instructi. sed quod in primis videbatur difficillimum, ebrietas ex eorum moribus depulsa, & animi ad mansuetudinem condocefacti. tanta porro religionis reuerentia inducta, vt vel solo verbo infernum hostem nominare, piaculum ingens reputetur. Et vt ebrietati occurratur, cum tempus aduenit tunae ad conficienda vina colligendi, quo tempore maxime solet poculorum lasciuia bacchari, non omnibus, sed lectis tantum datur facultas ad eam messem exeundi:totoq.illo tempore interest vnus e nostris; cuius praesentia qui colligunt, in officio contineantur. tantaq. est genti recens ad cultum traductae erga nostros reuerentia; vt non modo obtemperent, & haec & alia iussa omni mansuetudine capessant; sed etiam quicunque inter eos tumultus excitetur, solo nostrorum aspectu: aspectu autem? audito tantum nomine,irae, licentiaq. lasciuiens sedetur. Bis diebus singulis ad catechismum, diuiniq. verbi explicationem non inuiti conueniunt. Multa subinde multorum neophytorum baptismata magnifico apparatu celebrantur: connubia Christiano ritu multa pace coniunguntur. Sed in primis magnam spem facit diuturnae pacis, & perpetui in gente

asper-

asperrima cultus puerorum institutio. Martiniani alumni egregie suo munere funguntur. pueri non modo a parentibus libenter traditi; sed vltro etiam aliis ex opidis delati. Ita gens modo omni barbarie immanior, omni feritate dirior, ad tantam diuinae legis cultu mansuetudinem redacta; vt P Prouincialis illac in Zacatecas iter faciens, finem admirationis nullum faceret; cum qua comitate, laetitiaq. nostrorum hominum exciperent aduentum; quanta cum reuerentia iunctis manibus ad eos in genua acciderent, amiceq. amplecterentur, videret. Et, vt multa omittam, pueri iam non catechismum modo tenent optime; sed ritum etiam ministrandi sacro Missae, & latinas precationes ita emendate, legitimeq. pronunciant, vt si eius essent linguae peritissimi. Quin in musicis ita sunt exercitati; vt in sacro Missae sacrificio Gregoriano cantu concinendo peritorum cantorum praestent operam. Spectacula alia de se, deq. pietate, ingenioq. P. Prouinciali praebuere. in ijs puellae duae mutuis interrogationibus de catechismi praeceptis certamen suscepere: inde adolescentulus catechismum decantauit, cum illi hinc viri, hinc feminae viciſſim responderēt. Eum, tum cathecumenum, postmodum Pater baptizauit; eiq. Hieronymi nomen imposuit. Et res tum contigit admiratione digna. Nam cū facie esset paullo horridiore, & cultu truculentiore, sacris aquis ablutus, nouam induere faciem, & aspectum amabilem sumere, magna cum omnium admiratione visus est. Ita hi omnes piis hisce exercitationibus exculti, ea florent pietate, humanitate; vt remotiores quoque ad Christianam religionem suscipiendam alliciant; in ijsq. parricidas, & latrones

non

non paucos. Ex ijs vnus Hispanos plus triginta, indigenas plus centum interemerat. Is nunc tanta mansuetudine feroces spiritus compressit, vt positis genibus catechismum totum percurrat; & omnum studiosissime nostris patribus inseruiat. Per id tempus ex opido S. Marco venit nuncius Patres accersitum, duobus vt aegrotis baptismi beneficiũ conferrent. Profectus P. Prouincialis eos iam in ipso mortis limine haerentes comperit. agebat vterque annum quinctum & vicesimum supra centesimum: ad tam longam diem tantum reseruati, vt primam Ecclesiae ianuam ingressi, de vita decederent. Catechismo igitur imbuti, & baptismo lustrati, in primo renascentis vitae liminae, in vitam nunquam defuturam excesserunt. Antequam vero S. Ludouico P. Prouincialis discederet, tria ad eũ postulata neophyti detulerunt. primum vt nunquã a Patribus & sacrarum rerum magistris destituerentur: alterum vt templa sibi commoda ad sacros conuentus celebrandos extruerentur: tertium vt tubae, ad festam solemniorum dierum laetitiam cohonestandam, sibi concederentur. Est illis a P. Prouinciali multa gratia in omnibus assensum.

PHILIPPINAE Insulae.

IN Philippinis, quae dicuntur, insulis residentia multis ante annis fuit, quae adhuc ad Mexicanam prouinciam pertinuit. Sedes in vrbe Manila, quae Regni caput est, fuit. In ea socij decem versati, Sacerdotes quinque, fratres totidem, quo cursu rem Christianam administrarint, Mexicanae litterae

terae anni nonagesimi in Sede Manilana docuerunt. Sed quod longo Oceani tractu a prouincia Mexicana disiungatur; neque mature ocurri rebus, nisi magno posset incommodo, anno CIↃ IↃXCIV. R. P. Praepositi Generalis decreto, sui quodam modo iuris, & propriae administrationis facta est: etsi nondum Prouinciae nomine affecta: sed totum regimen administratioq. praesidi Proprouinciali demandata: magnis ex Europa in eam missionem supplementis destinatis. Cognita enim operarum vtilitate, Manila Socij ad opida alia, aliasq. insulas quotidie inuitabantur. Missi igitur priore huius biennij anno cum coadiutore fratre e Mexicana Sacerdotes octo, octo item coadiutores ex ipsa insula, in qua Manila est, in Societatem cooptati (quando in locis, vbi scholae nullae sunt, messis selectior esse non potest) Sociorum numerum auxerunt. Quo factum est, vt nostrae Societatis ministeria postmodum latius ad multo plures proferrentur. In vrbe non Hispanis modo, & insulanis, ad studia capessenda pietatis, profuere; sed & ad reip. saepe consilia magnis in rebus sunt adhibiti. Neque Manilae tantum, sed peregre etiam ad alios circa populos nostrorum ministeriorum est profecta vtilitas. Multae susceptae & priuato consilio, & Praetoris postulatu ad insulas alias, aliasq. gentes, & magno cum fructu peregrinationes. Vnus annum integrum peregrinatus, praeter vsitata illa, & quotidiana concionum, catecheseon, confessionum, trecentos iam grandes natu baptizauit: trecentos item alios in rupibus, ac montium recessibus, ferarum ritu viuentes, in campestria deductos, in ciuilem Societatem congregauit: conquisitisq. eleemosinis, ad vestem victumq.

ctumq. tantisper comparandum, dum agriculturae fructus responderent; multos alios & ad eandem societatem, & ad Christi fidem, ex ijsdem montium latibulis exciuit. Haec priore anno. Quo etiam tempore diem suum obiit P. Martinus Enriques; qui non ita pridem e Mexicana illuc missus tantum in insulanorum lingua profecit, vt tribus mensibus & confessiones audiret, & ad populum verba faceret non incommode. non leue in eo damnum factum est. Addidit se illi, vt in longa nauigatione fuerat, comitem Ioannes Prosperus, cũ grassante quadam lue & in ipsius Patris, & insulanorum morbis incõmoda multa ante passus esset.

Posteriore anno nostrorum ad quadraginta capitum numerus ascendit, multis iam ex Hispania eius rei caussa Mexicum appulsis. E quibus cum aliqui nondum studiorum suorum cursum expleuissent, expedire visum est, eos interim in Mexicana retinere, aliis ex eadem prouincia, qui eorum vicem expleant, submissis. Ab ijs litterae ad Mexicanos ordinariae nullae adhuc erant. Tantum P. Franciscus Maria Almericius Italus, nobilis Pisaurensis, eadem pene scribit in Apostolatu quoque suo contigisse, quae superiore anno annua illa excursione, quam diximus, contigerunt. Quadringentos infideles ad baptismum hoc anno accessisse: quinque populos ex excelsis montibus in plana, & opportuna loca exscendisse. Hos alios sequutos esse, quos Yitas nominant: qui imperium adhuc nullius subiuerant. de quibus etiam litteris sequentibus in residentia Antipolitana mentio est. Et est eorum, qui nostra sacra susceperunt, in suscepta religione constantia laudanda. Ingens illorum ad sacramenta percipienda ardor est animi; vt

ad

ad ipsam confessionem peccatorum cum voluptate trahantur: vota faciant, eaq. persoluant: ea denique viuant animi tranquillitate, vt non dubium perpetuae constantiae spem faciant.

Portus est in ora Mexicana Acapuleus, vnde traiectus est ad Philippinas: locus frequens, & multorum conuenarum e diuersis nationibus frequentia, Emporiine nobilitate, an opportunitate nauigandi? imprimis celeber. Multa circa opida, viciq. tum Hispanis, tum indigenis referta. Visum est e re Christiana, dum opportunum nauigandi tempus expectatur, duos ex ijs, qui traiecturi essent, qui bimestri spatio exscensionem anteuerterent, eo proficisci. Ii toto illo tempore, Quadragesima praesertim, non Acapulei modo, sed in oppidis etiam aliis, ad quae excurrerunt ad nonaginta milliaria, magnum rei Christianae emolumentum attulerunt. Eorum alter in Italico sermone exercitatus, Galliciq. idiomatis nonnullam consuetudinem assequutus, suspicatus externos multos Hispanici sermonis difficultate ab annua confessione retardari; pro concione edixit, se omnibus ijs praesto futurum, qui non Hispanice solum, aut Mexicanice, sed Italice quoque, Galliceq. confiteri vellent. Ingens ad eum aduenarum concursus factus est, Venetorum, Ienuensium, aliarumq. Italiae ciuitatum, Epidaurienſium, & Graecorum. Tanti animorum motus facti sunt, vt de collegio Societati in sua vrbe fundando Acapulenses admodum serio cogitarint. idoneoq. comparato vectigali de tota re ad P. Prouincialem litteras dederint. Sed placuit, rebus aliis interim dilatis, illud in praesens duntaxat instituere: vt quoties ad Philippinas nostri nauigaturi sint, menses aliquot ante, ad illorum

explenda

explenda vota aliqui proficiscantur. Erant in votis expeditiones aliquae, ad nouas gentes, Mexicum nouum, Californiam, quo nostri vocabantur: sed visum est earum Missionum maturum tempus nondum aduenisse.

PROVINCIA PERVVIVM.

PERVVIANAE litterae biénio reliquas huius annuae antecedunt. Datae enim sunt e Limano collegio prid. id. Martias anno nonagesimo quincto supra millesimum quingentesimum, & tres cõplectuntur annos a nonagesimo secundo. Venere quidem aliae priores VIII. idus Aprileis datae, quae biennium ab eodem nonagesimo secundo continent: sed neque maturius, quam posteriores: & quae sequenti datae sunt anno, promiscuae fere triennium totũ complectuntur. E posterioribus sumemus, quae his litteris erũt inserenda: nam fuse persequi omnia, longum opus esset; & reliquarum prope prouinciarum volumina aequaret. & quae suis annis distincta repererimus, distincta item fideliter reddemus. cauſſa autem eius triennij coniungendi nauigandi fuit difficultas, & mare praedonum excursionibus infestũ; vt non nisi instructissima classe illinc tuto Regiae expeditiones in orientem proficiscerentur. quae quoniam biennio tardius soluerunt, fuere duo prius iterum tres anni cõiungendi. cum praesertim metus esset, ne, quae prius datae erant, interirent. Ergo tota illa vastissima amplissimarum prouinciarum prouincia anno nonagesimo quincto ineunte, quo tempore litterae datae sunt, e Societate homines

mines recensuit supra ducētos quadraginta vnum. ex ijs nouem supra centum Sacerdotes: septem & triginta doctrinarum studiis addictos: reliquos partim nouicios, partim coadiutores: & hos omnes septem collegiis, vna probationis domo, residentiis duabus, & quinque Missionibus distributos. In collegio Limano, quod est Prouinciae totius Seminarium, septuaginta quinque numerati sunt: in Cusquiensi viginti sex: in Potosino, & Quitensi quinideni: duodeuiginti in Arequipano: in Pacensi vndecim: duo plures in Ciuquisacano: in Residentia S. Iacobi, quae est eadem probationis domus, viginti quatuor: in Panamana septem: octo in Iulidensi: duabus in Missionibus ad Tucumanes, & ad S. Crucem, in montanis, noueni vtrobique: in Chilensi totidem: ad nouū Regnum Granatense quod appellant, Sacerdos vnus cum comite. sed comes ad P. Prouincialem redierat, missus a ciuitate auxilia petitum. Duo alij, qui hoc numero non censentur, Sacerdos cum fratre anno nonagesimo auxilium & solamen proficiscentium nauim conscenderant, quae cum mandatis Regis in Sinas proficiscebatur. Ab ijs anno nonagesimo tertio litterae ad Mexicanos venerunt, se secundo cursu Machaum peruenisse: sed rebus difficilibus conflictari; & expectare adhuc difficiliora: sui consilij esse, quamprimum Goam nauigare. Ex Hispania postea litterae perlatae, quibus cognitum est, Goae nauis aduentum non maiori esse exspectationi, quam sollicitudini, ne perierit. Haec de numero nostrorum. Humanae debitum naturae septem triennio toto persoluerunt: sex & triginta admissi in Societatem eorum locum expleuerunt.

COLLEGIVM Limanum.

LIMAE solemnis nostrorum opera in iuuandis hominibus e superiorum annorum litteris nota satis est: & sequentis anni litterae multa continent. De scholis illa compendio dicentur. anno nonagesimo tertio octo e nostris fratribus, nonagesimo quarto tres, sua Theologiae stadia emensi, tertium repetiere probationis annum. minores scholae, & numero discipulorum, & laude maiore auctae sunt. Ipso octiduo Conceptionis Virginis, cui discipulorum sodalitas dicata est, viginti duae orationes de sacro illo mysterio in eius sacello dictae sunt. In seminario S. Martini, de cuius institutione multa in litteris sunt anni octogesimi noni, alumnorum numerus excreuit ad sexaginta. eorum aliqui Societatis vota concepere. & iam egregiae indolis adolescentes quatuor facti sunt voti compotes. Adhibetur praeterea Societatis opera ad sacri etiam tribunalis iudicia: duoq. e nostris consultores facti sunt. Quadraginta haereseos conuicti, vno iudicio, solenni apparatu habito, damnati sunt. in ijs Angli tres, qui cum piratis comprehensi erant, aliis cum Ecclesia reconciliatis, in sua haesere impietate peruicaces. quorum contumaciſſimus curae Societatis commissus est. cum integram cum eo noctem Sacerdos frustra posuisset; multaq. ille indigna in sacras imagines parieti depictas blasphema voce euomuisset; mane facto de repete lymphato similis iterū, & tertio se magno impetu in orbē rotans, procidit in genua:

&

& quasi excusso daemone, noua concepta mente, crucem de Sacerdotis nostri manu acceptam, saepius pio affectu exosculatus, vera esse professus est, quaecunque de catholica fide ab eo dicta essent: se adhuc in tenebris haesisse: proinde suam exciperet confessionem. Apparet, tum videlicet Diuini spiritus aura superueniente, insessorem illius animi diabolum fugatum esse: & quem infinita Dei prouidentia saluum esse decreuerat, ex inferni hostis dominatu esse exemptum. Satisfactum est misero paenitenti, quatenus angustiae temporum tulere: neque ab eius latere ad rogum vsque prosequutus noster Sacerdos toto se die disiunxit, donec magna paenitentiae significatione consumptus est. Sed laetis admiscenda tristitia iam sunt. P. Ioannes de Atienza, huius Praeses prouinciae praefinitum sibi viuendi munus exegit. Qui, cum clarum semper fuerit omnium virtutum exemplũ, tum illae maxime in eo elucebant, quibus instructum esse oportet eum, qui aliis regendis praeest: assidua, atque intima cum Deo familiaritas: quam frequens precandi vsus, qui ei vacuis horis solennis erat, testabatur: & internus in eos, quos regeret, humanitatis affectus: documento erat sincerus in ipsum amor priuatorum. Duo in Hispania collegia, eadem in suos vicissimq. suorum in se caritate Rector administrauerat. Duodecim annos in hac prouincia versatus, eorum sex Limano collegio Rector, reliquos sex Prouincialis munere omnibus praefuerat. quam gratus omnibus maeror ex eius obitu declarauit: Prudentia porro, & vitae sanctimonia tantam ei conciliarant reuerentiam, vt non domesticis tantum, sed externis etiam esset admirationi. Tanto praeterea animi robore, tamq. in-

uicta constantia fuit; vt nihil tam difficile, & arduum illi obiiceretur, quod non ille aggredi, & transigere feliciter auderet. neque secundae vnquam, neque aduersae res tranquillissimum illius animi statum perturbarunt: vt vel inclementi vultu aliquando cerneretur. Et quidem futurum ipsum aliquando magno in his terris adiumento, ostentum haud dubie diuinum declarauit. Nam cum Vallisoleti Rector esset, oranti aliquando, quod B. P. Xauerio quoque accidisse legimus, transmarini hominis species toto corporis pondere illi humeris incubuit, sibi opem ferri postulantis. quod ille P. Ioanni Soario Prouinciali, P. Soarius P. Didaco Samaniaco, qui nunc in Peruuio ad S. Crucem in montanis egregie in Domini vinea laborat, alijsq. narrauit. P. Samaniacus post eius obitum, ex vsque Sancta Cruce ad P. Ioannem Sebastianum, eius in prouincia regenda successorem, scripsit: eamq. causſam Soario fuisse illum in has oras transmittendi. Vna illi reliqua erat patientia, ad totum virtutum omnium orbem cõtexendum. huius etiam in diuturno molestoq. morbo, praeclarum nobis exhibuit exemplum. Perfunctus iam prouinciae regendae munere, calendis Nouembribus, ipso die sanctorum omnium memoriae dicato, sub auroram vitae quoque munus expleuit. Peruasit ilico vrbem vniuersam maeror; familiae cunctae religiosorum, nullius postulatu, vltro suis turribus funebri tinnitu campanarum maestitiam, beneuolentiamq. suam declararunt. Ipse Archiepiscopus, cum eo die diceret ad concionem multo doloris sensu, & perhonorifica commemoratione illius mortem prosequutus est. Eius desiderium leniuit aduentus P. Didaci de Zunica, qui per

eos

eos dies, multis praesertim, ac valde bonis ad hanc colendam vineam adductis auxiliis, redierat ex Europa. Sed nimirum vt sunt humana omnia incerta, solatium maiorem vertit in tristitiam. Vix dum enim obducto prioris vulneris dolore, alterius funere ferimur. Idem P. Zunica tam longis perfunctus itineribus, tot maria emensus, tot obitis terrarum spatiis, transactis magna cum omniũ probatione negotiis grauissimis, multis morborũ, periculorumq. difficultatibus ereptus, cum in hac prouincia, quasi in patria sede, quieturus videretur, hinc quoque ereptus, ad aeternam illam patriam enauigauit. Paucis enim post reditum diebus cum vna cum Prouinciali comes illi datus, prouinciam obiret, graui correptus morbo, ex itinere Guamangae subsistere coactus est. Ad hospitem diuertit Sacerdotem, hominem Societatis amicum, ac de ipsa bene meritum. ibi magno totius ciuitatis luctu diem clausit extremum. Est ea vrbs in tractu Cusquiensi. Multa de illius patientia, pietate, vitae sanctimonia narrauit, cũ Limam veniisset, hospes ipse, quae iactantiae vitandae caussa Limanae litterae reticuerunt. Duo illa miraculi specie non caruerunt: cuiusmodi alia de S. Anselmo, S. Thoma Aquinate leguntur. Cum iam deficiente natura, stomachi languore cibum aegre toleraret; rogatus quid ipsius stomacho blandiretur; respondit, videri sibi cuniculi carnes iucundas fore. cuniculos neque in vrbe illa, neque omnino in eius finibus hospes ne venales quidem, neue importatos vnquam viderat. studio tamen languenti patri obsequendi magis, quam spe vlla domo prodeunti praesto fuit puer, cuniculum manu tenens; qui etiam vltro hominem de illo emendo

compellauit. admiratus hoſpes diuinam prouidentiam, laetus quanti puer voluit coemptum, gratum munuſculum tulit aegrotanti. paucis poſt diebus de ipſius ſtomachi languore ſollicito, gratos ſibi fore dixit certi generis piſciculos. tunc ipſum intra ſuas aedes habuit officioſus hoſpes, qui id genus piſciculos venales detulerit. vt plane videatur Dei O. M. bonitas aegroti cupiditatem anteuertiſſe. nam ij quoque piſciculi ex ijs rebus ſunt, quae in ijs oris rarae ſunt inuentu. Venit per id tempus Guamangam, partim miſſionis nomine, partim vt adeſſet aegrotanti, P. Gregorius Giſnerus; qui in tanta ſolitudine quanto ſolatio laboranti fuerit, quilibet ex ſuo ſenſu facile intelliget. Is erat communis vniuerſae ciuitatis ſenſus, felicem eſſe vrbem hanc, quae id eſſet aſſequta, vt in ſuo complexu vir tantae ſanctimoniae extremum exhalaret ſpiritum; & ipſa ſuo ſinu illius oſſa contineret. Eius obitum tam amanter ciues omnes lacrymis proſequuti ſunt, quam ſi cum ijs ille vixiſſet. Religioſae familiae omnes vltro principem ſuae aedis cappellam eius ſepulchro detulerunt. Sed multa gratiae ſignificatione illorum ſtudiis remiſſum eſt: placuit enim P. Giſnerio vti hoſpitis benignitate. Elatus eſt ingenti proſequente comitatu: atque in ſacello conditus, quod in principe Eccleſia hoſpes ſuae ſibi ſepulturae adornarat. Eius exequiae a clericis & religioſis ſuo a quibuſque die in nundinum continuatae. Vltimo die concio funebris a P. Priore Dominicanorum habita: qui laborantis ad extremum vſque ſpiritum a lectulo nunquam diſceſſit. Narrabat eodem in ſermone hoſpes poſt illatum eius venerandum cadauer, magnos fieri concurſus, & magna ſignificatione pietatis ad id ſacellum.

His

His solatiis, & gratiis agendis Diuinae bonitati tantae iacturae leuauimus maerorem. Obiisse videtur extremo Aprili mense anni nonagesimi tertij. nam de eius morte pauca quaedam sunt in litteris P. Gisnerij vi. non. Maias Guamangae datis illo anno. cetera ex sermone hospitis beneuole cuncta enarrantis cognita sunt. Sed iam ad laetiora veniamus. Ricardus Aquinesius strenuus pirata Anglus, Ioannis Aquinesij filius eius, qui superioribus annis in portu Mexicano magna clade victus est: vt patri oblatam maculam insigni aliquo damno Hispanorum expurgaret, magno ausu, per angustas Magellanici euripi fauces, in Xurium mare penetrarat, magno tamen suorum militum, reiq; nauticae detrimento; altero e duobus, quos duxerat myoparonibus amisso, militibusq. multis cum toto apparatu mare mersis. Is naui vna omni apparatu instructissima Chilensem oram legens, nauibus quotquot nactus esset, vel in ipsis portubus, direptis, & combustis, ingentem praedam reportauerat. quae res tantos ventoso homini spiritus adiecit, vt Limam superbe scriptas litteras de condicionibus, quasi iam rerum potiretur, mittere non dubitaret. Aduersus tam temerariam contumaciã duo valida nauigia instructa. negotium superbiae frangendae Beltrano Castrio, Proregis propinquo datum est. cum eo de nostris profectus Sacerdos, cum fratre, milites antequam cum hoste congrederentur, confessione expiauit. vi. non. Iulias die Virginis visitationi sacro in conspectum hostium venerunt. illi explicatis velis omnibus secundo flatu feruntur in Hispanos. ad bombardae ictum cũ venerunt, displosis machinis aliquot quasi velitarunt. mox coniunctis nauibus, acriter vtrinque dimica-

micatum est: vsque eo, vt Dux Anglus in regium nostrum vexillum manum iniiceret; absfuliffetq. nisi egregia propugnatorum virtute defenderetur. Mox auulsi Angli a nostrorum congressu discesserunt. Nostri eos nocte tota insequuti, die postero iterum assequuntur. Erat Hispanorum consilium, cominus rem gerere, & missilium procellã, quoad eius fieri posset deuitare. nam pridie malum alterius rostratae globus ab Anglo impactus deiecerat: & metus erat, ne idem etiam praetoriae contingeret. Id tamen consequi non potuere. nam antequam naues admouerentur, disploſis eminus tormentis, multa vtrinque damna sunt illata. Erant in id Hispani maxime intenti; vt cum primũ congrederentur, ij quibus negotium datum erat, ignium quorum Angli artifices sunt peritissimi, apparatus, quos ad transilientes inflammandos composuerant, arte contraria disijcerent. illi impigre, feliciterq. mandata exsequuntur. sublato incendij periculo, coniunctis alueis impedita hostium agilitate quasi in solido res ageretur, nostri Hispanico robore, hostilem nauem aggressi, transcendere; breuiq. totam in potestatem redegere. Viui capti sunt Archipirata, aliiq. uiri praecipui: tum obscurae multitudinis non pauci. omnes ad tres & sexaginta peruenere. Quidquid auri, quidquid argenti corraserant ex praeda, receptum est. optimarum machinarũ cum toto apparatu, magna uis adempta. arma praeterea, & maximi pretij merces, quibus onusta nauis erat, ad lucra nostrorum accessere. Erant Anglis admisti Belgae nonnulli. hi quoque magistri, tum rei nauticae, tum militaris, & rerum aliarum peritissimi: & fere omnes in sua haeresi peruicacissimi: sed egregia in primis animi indole

indole Dux Anglus, prudentia & rerum peritia instructus multisq. animi dotibus ornatus. Fuit hic in pugna superioribus annis aduersus Metinensem Ducem, cum bello Belgico male pugnatum est ad Angliam: & cum in his oris noua Cartago expugnata est; maritimasq. multas de catholicis tulit victorias, quare non ad praesens tantũ decus, sed ad praeteritorum etiam tẽporum mala compensanda huius diei glorioſa victoria fuit. Confecto praelio, nauium reficiendarum cauſſa Panamam Hispani petiere. refartis nauibus Limam rediere. Tentauit inter nauigandum Pater multos ex ijs, qui peritiores videbantur; Ducem praesertim, paucosq. praeterea e primoribus multis rationibus ad veritatis lucem intuendam adducere: nonnulliq. assensere: hiq. cum Limam ducerentur, in itinere instituebantur. Ex ijs Panamae duo decesſere, extremo illo tempore cum Ecclesia reconciliati. Alius e prima nobilitate, cum acriter diu obstitisset: ad extremum tandem manus dedit. Sed quod essent in itinere, & reconciliatio Limam differenda erat, voluit ad id vsque tempus rem tacitam haberi. Dux ipse acri vir ingenio, ac perspicaci, nec expers doctrinae, cum omnium acerrime disputando restitisset, veritati saepe assensus est: sed iureiurando Reginae obstrictus, & metu perduellionis territus, illam amplecti recusauit. Est enim Anglis capitale, & maiestatis crimen summã Ecclesiae potestatem in Regina muliere nõ agnoscere. Limam ipse Archipirata cum primariis adducti: turba reliqua Carthaginem ad triremes destinata.

RE-

RESIDENTIA S. IACOBI, ET domus probationis ad Limam.

DE residentia S. Iacobi ad Limam, quoniam pauca superioribus annis scripta sunt: faciendum mihi putaui, vt, quae & hisce, & superioribus litteris scripta sunt, in vnum quasi corpus coacta, cognoscenda proponerem. In agro circa Limam ingens indigenarum numerus versabatur. Hos Hispani, quod suis mapalibus menia contingerent, & circumquaque vrbem cingerent, Vrbis circuitum sua lingua nominant. Docent anni nonagesimi litterae dissipatam illam, ac dispalatam multitudinē nostrorum opera in cetum vnum, atque vna menia coactam esse. opido nomen inditum S. Iacobi. Hic aliquanto ante, ad gentem Christiana pietate imbuendam, sedem habuit Societas. Templum amplum, magnifice extructum, cum Sacello B. Virgini dicato inuocatione eius, quae supra columnam Caesarauguſtae colitur in Aragonia: altarium magnificentia, tabulis, totoq. ornatu reliquo multis, in hisce Regnis, cathedralibus anteponendum: symphoniacorum praeterea harmonia instructum. asperi tibicines, quos Hispani ceremias nominant: Lenes cornicines, tubicinesq. artificiosum ad concentum compositi: tum uioli fidicines sacrarum ceremoniarum cultui addicti. Hi omnes & indigenae sunt; & in schola legendi, scribendiq. & artificiosae musicae exercitati. qua etiam in schola omnia instrumenta musica tractantur. Eaq. illorum ita floret compositio, vt non sine magna nostrorum Praesidem molestia Limanis

nis Ecclesiis ad festos dies celebrandos concedédi sint. cuius rei causſa trimestri spatio praeoccupata mercede conducuntur. Sunt in opido inquilini perpetui ad mille & sexcentos, qui ad confessionem admittuntur. sed toto hiemis tempore, quod sex mensium ferme solet esse, magnus operarum numerus ex locis aliis per suas quique vices Limam confluunt. qui omnes ad hunc populum se aggregant. In his iuuandis, Patres, qui hic ante residebant, occupabantur. Anno postmodum nonagesimo tertio, perspecta loci opportunitate (est enim opidum vrbi coniunctum) & caeli optima temperie, nouiciorum institutio e collegio Limano in hanc sedem translata est: & domus in ea probationis constituta. Quae res ad tironum vtilitatem fuit multis nominibus opportuna. nam & docendis indigenis magna cura sedulitateq. nostrorum muniorum rudimenta ponunt: & gentis linguam, ad disseminandam pietatem magnopere necessariam, facile condiscunt. Habemus praeterea nostrae domui nosocomium adiunctum. quo non opidani tantum, sed externi etiam curantur, nostrorum diligentia rebus omnibus ad leuamen aegrotantium instructum. Hic quoque multum tironum se exerit industria. neque in hoc solum, sed in aliis etiam intra vrbem: tum quibus Hispani, tum quibus indigenae excipiuntur, fuit illorum opera perutilis. Iam exercitationes aliae ad gentis institutionem, catecheses, conciones, vt locis omnibus solennes, commemorandae non sunt. Illud non omittendum: puellas omnes, a sexto aetatis anno, ad nubilem aetatem, quotidie pomeridiano tempore in templum conuenire ad catechismum. eas honestae feminae,

iam

iam grandi natu, in eo munere valde exercitatae, instituunt. Anno nonagesimo quarto sex lecti adolescentes, qui praeclara indole magnam spem faciunt, futuros se dignos Societatis alumnos, in hanc probationem sunt admissi. Tertiani aliqui, sua obita probatione ad talentum expendendum sunt dimissi. eorum locum suppleuerunt alij.

COLLEGIVM Cusquiense.

CVSQVIENSE collegium multis emolumentis auctum est, liberalitate maxime Episcopi; cuius in nos paternus animus non magnis modo beneuolentiae officiis, sed dulci etiam amoris sensu, ad extremum vsque spiritum, luculentis quotidie signis perspectus est. vt cum habitu, & instituto e S. Dominici esset familia, pari tamen animo, beneuolentiaq. Societatem complecteretur. duabus enim rebus expleri nunquam posse videbatur, sermone de nostris laudibus; & officiis, quibus res nostras promoueret. Ad templum quadriennio ante absolutum speciosam ipse turrim sacro aeri suspendendo exstruxit. Quartam noui aedificij nostri partem absoluit: patresq. quotidie ad reliquam aedificationem vrgẽdam excitabat. Sed mors eius, nostraq. consilia interrupit. Haeredem domestici totius instrumenti scripserat collegium; eiusq. rei caussa collegij Ministrum ad se accitum singularum rerum iussit indicem conficere: sed non in rebus omnibus rata fuit post eius obitum ipsius vltima voluntas.

Iam quae nostrae sint & in vrbe & in omnibus circa

circa populis occupationes, notum satis, superq. est. Est enim, scholis omissis precipua occupatio cum indigenis: quorum hic maxime abundat multitudo. In vrbe enim eorum confessionum audiendarum quotidiana continens est opera. In agro vero cum populi multi, ac bene frequentes sint, ita sunt opera distributa, vt religiosioribus temporibus suus cuique populo dies assignetur ad confessionem: ad quos audiendos statis temporibus exeunt Sacerdotes. illi vero ita diligenter suum quique diem obeunt, nullius vt feruens pietas desideretur.

Pares fuere fructus Missionum. quae & continentes, & quod ad remotiora loca essent, diuturnae fuere. bini enim perpetuo Sacerdotes peregrinantur: quibus domum reuersis, bini alij proficiscuntur. Mendicos aliquot caecos nostri alunt excellenti memoria. qui non modo Christianam doctrinam: sed etiam copiosam rerum singularum explicationem optime tenent: & in docendi ratione quotidiano vsu ita sunt exercitati, vt bonorum magistrorum munere fungantur. ad haec incredibilem ad capita singula promptam habent exemplorum vim. quibus hi populi maxime tenẽtur. Horum opera & in vrbe & in Missionibus ad rudium institutionem, & ad confessionis explicandam rationem nostri multũ vtuntur. quiq. exeunt ad has excursiones, semper ex ijs aliquot secum adducunt. Iidem etiam, nostris absentibus, ad vicinos populos erudiendos mittuntur. A parochis item locorum aliorum eiusdem rei causa accersuntur. Quae in missionibus fieri solent, communia, & longo iam vsu notissima omittuntur. Superstitiones, ac diabolicae fallaciae, veteris adhuc reliquiae

liquiae impietatis dissipatae, dissectaeq. sunt. quarum exemplum habe ex his paucis. Anno nonagesimo secundo peregrinantibus duobus in Vilcarum finibus praeter continentes nostrorum muniorum labores, in maleficorum fallaciis, quibus irretiti multi tenebantur, retexendis, multum operae ponendum fuit. Venerat ad hos populos veneficus, qui se ab Inga missum blaterabat; vt gentem vniuersam a morte liberaret. fuere Ingae (vt superioribus annis saepius est scriptum) antiqui harum gentium Reges. Hunc nebulonem adit femina quaedam: postulat, se eo, quo tenebatur, morbo liberari. eam stolida pecus certo se lauationis genere abluere in duorum amnium confluente iubet. ea ratione culpas, quae mortis caussa sunt, amotum iri. tum minuta quaedam animalia, cuniculorum instar, (Cuios nominant) ad quadraginta sibi iubet offerri: postremo pecudem maiorem, quam veruecis notant nomine, multum tamen a veruece dissimilem, igni comburi imperat: ipsamq. pecudis pelle circumtectam, certam arborem adorare. ea ratione ipsam a morte liberatum iri. Haec vna nostrorum concione errorem dedocta, ad opem ab vno Deo impetrandam se conuertit. Maleficus alius homines Huacam quandam venerari iubebat. Sunt Huacae praecelsae rupes; in quibus inesse numen arbitrantur; & eas loco numinis adorant. Hic homo vanissimus eos, quos seducebat, fune manu apprehensa ad Huacam cum vitae periculo adrepere, & ore, quod essent ei oblaturi, mordicus trahere iubebat. Sed, detecta impostura, Huaca, & superstitio sublata est. Narrauit senex, se, cum ad Huacam alteram ascendisset, inde deturbatum a diabolo fregisse pedem. hoc beneficium

ficium ab ea religione retuliſſe. Arborem colebāt. e qua praecipuum prouinciae illius Curacam (honorum nomina illius gentis eſſe videntur) natum eſſe ſomniabant. hanc iter aggreſſuri adorabant: ab ea commeatum, valetudinem, vires ad confi-ciendum iter, & reditum petebant. Curatum eſt, vt excinderetur arbor: ea exciſa veſanus etiam cultus eſt abſciſſus. Sed nunquam deſiſtit infernus mali ſator, quin, vna exciſa impietate, tanquam ex Hydrae capite, aliae repullulent. Nempe ad ſummam veſaniam hoc vnum deerat; vt quoniam Iſraeliticus populus oceanum traiicere, atque in his terris promiſſionis ſibi ſedes adoptare nōdum potuit, noua Iudaica ſoboles, tanquam exputri materia progenita abolitos rurſus ritus reſtitueret: & noui cerdones, vileſq. fracti vitri mercatores in tranſmarinis quoque oris flauas criſtas circumferrent. Pſeudoprophetam malefici excitarunt. qui Moyſis legem praedicaret: multoſq. nouus Nehemias iam ſeduxerat. Sed hic non in re tā leui, & ridicula, quā ceteri offenderat. neque enim alienigena & barbarus barbaras ſuperſtitiones vēditabat: ſed ad veram religionē corrumpendam prodierat ex nobis, quanquam non erat ex nobis. In eum ilico leges armantur. ergo Eccleſiae lege comprehenſus, & Cuſquium pertractus, igni traditus ſceleratae impoſturae poenas dedit. Qui ſeducti erāt, data eſt opera, vt veritate agnita, reuocarentur. Ingens fuit paruulorum numerus, qui eius anni excurſionibus per noſtros baptizati ſunt: & cum ijs adulti circiter triginta. Haec nonageſimo ſecundo anno. Similes omnino fuere anni nonageſimi tertij excurſiones. Quatuor quinqueue aliae obitae gentes, ſeu potius prouinciae eadem vtilitate. qua-

rum in vna viginti circiter senes septuagenarij, & octogenarij baptismo lustrati sunt. qui ad eam diē Christianos inter, Christianorum more vixerant, sacro lauacro nondum initiati. Et cum haec Limae scriberentur, Sacerdotes tres aliis in Missionibus versabantur, magna parochorum, quorum in Ecclesiis laborabant, voluntate. Multiq. eius rei caussa aliunde Parochi litteras dederant, quibus eiusmodi Missiones flagitabant.

QVITENSE Collegium.

QVITI diu ad seditionem vsque, & belli apparatum, tumultuatum est. Tumultus caussa lex de nouo imponendo vectigali fuit; quam aliae ciuitates acceperant; etsi non sine aliqua tristitia. Quitum cum perlata esset, freti Quitenses longinquitate loci (distat enim Quitus a Lima, vbi Proregi sedes est, Leucas ferme trecentas) per speciem Regis appellandi, legi contumaciter obstiterunt: vsque eo, vt militem conscriberent; & ex Regio fisco stipendium persoluerent. pecuniam eam se ob commune ciuitatis bonum a Rege mutuam accipere obtendentes. Ac, ne quid à Regiis iudicibus, quorum in hac vrbe cum Praetore residet consilium, impedimenti nasceretur, periculum illis esse simularunt a multitudine: propterea q. milites custodiae apposuerunt; qui non tam illos iniuria prohiberent, quam coercerent potius, ac circunscriberent, ne se possent commouere. Nostri in tanto rerum motu, periculi sedandi studiosi in magna difficultate versabantur: Et vero

diff-

difficile erat ita vtrique parti satisfaccre, vt non alteram offenderes. & probare vulgi amentiam nefarium; & palam illorum voluntati aduersari, periculosum. Tum iuris negligere tutamen, pietas vetabat; patrocinium suscipere intenta arma non sinebant. & tamen sedere otiosis non licebat. Inter hos motus nostri, dum vtrisque aequos se praebere studeant, magnum vitae discrimen adiere: ita prona vulgi sunt ingenia, ad suspicandū in periculis; & ad licentiā, cum semel habenae laxatae sunt modestiae. Interea Prorex, cognito tumultu, maritimo itinere Praefectum misit cum copiis; qui se cum aliis militibus coniungeret; qui non longe ab vrbe Quito iam sub signis essent, & ad tumultum comprimendum proficiscerentur. Ad copiarum aduentum rebelles se ad iustum bellum comparabāt; cum consilio diuinitus iniecto, inita ratio est; vt armatorum furore mitigato, Praefectus cum copiis in vrbem admitteretur. Is dum in eos, qui coniurationi duces fuerunt inquirit, spatium fuit ciuitati P. Fernandum Morillum veniae precandae ad Proregem Limam allegandi. Quam ciuitati vniuersae impetratam, ex litteris Lima missis, P. Rector pro concione, magno totius ciuitatis gaudio, denunciauit. Ita paucorum sontium poena, ciuitas ingenti periculo perfuncta est. P. Morillius Limae a Prorege retentus est, vt in Hispaniam ad Regem de toto illo tumultu docendum, mitteretur. Sed, vt appareat, quam strenue, fideliterq. Societas per id tempus in auertendis malis laborauerit, subiiciam exemplum litterarum, quas Praefectus misit ad Proregem: quibus egregium prudentiae, virtutis, fidei, atque in rem Christianam, Regemq. ipsum studiis testimonium So-

cietati dat: & earum, quas Rex ipse misit ad P. Prouincialem.

Exemplum litterarum Praefecti Quitensis ad totius Peruuij Proregem.

RES huius ciuitatis nunquam meliorem statum tenuerunt, quam nunc tenent. Deo Laus. Quare faciendum putaui, vt ad vestram Excellentiam cum laetis harum rerum nuncijs, peritum hominem, ac fidei plenum mitterem, neque opportuniorem quenquam hoc tempore, quam aliquem e Societatis Patribus esse existimaui. Quare a P. Rectore collegij Quitensis P. Hernandum Morillium impetraui: qui vna cum ipso P. Rectore, alijsq; patribus Societatis in his motibus, egregiam & rei Christianae, & maiestati Regiae, & vestrae Excellentiae nauarunt operam. Is summa fide a primis rerum motibus, ad finem vsque cuncta copiose enarrabit. Et quoniam, quae est hominis modestia, & humilitas religiosa, multa de suis, aliorumq; patrum meritis fortasse reticebit: officij mei esse duxi, haec litteris significare: primum me, illorum beneficijs obstrictum, praeconium illis debere sempiternum: deinde in hisce turbulentijs nullas ab ijs religiosorum virorum, & Regiae Maiestatis studiosorum partes esse praetermissas; quin omnibus difficultatibus pro viribus occurrerint, precibus, publicis supplicationibus, flagellationibus: & vt vrbe tota idem fieret, ijdem auctores fuere, concionibus, confessionibus; hanc seditionem eiusq. capita reprehendendo: multa etiam & scribendo, & monendo, multum profuerunt ipsiq; Regiorum Auditorum collegio consilia suggerendo.

in

in ijs, vt ex ipso collegio duo se subducerent: quorum caussa consilia de omnium aliorum caede agitabantur: & vt coniuratorum Principes in mea castra regij vexilli agnoscendi caussa venirent: vt alius vir nobilis ad V.E. allegaretur; neque huc rediret; quod maiorum motuum caussa illius reditus fore videretur. Mecum praeterea P. Rector, & Morillius cũ duobus alijs religiosis viris Riobambae plus duobus mensibus in castris fuere. Illi meum in vrbem ingressum persuaserunt: multos tum e prima nobilitate, tum è plebe perpulerunt, vt legem de vectigali postularent. Et haec omnia summo studio soli transegerunt, adiutore nullo, praeter R. P. Dominicanorum Priorem; fremente praesertim multitudine, & pericula saepe intentante. Sed omnium maxime Rectoris vita in discrimen versata est: cui non semel coniurationis principes insidias pararunt. Quare ob tam egregia facinora tum Rex omnium Dominus, tum V.E. multum Societati debet. Domum ij sibi, templumq. aedificant nullo vectigali. Res familiaris tam angusta, vt ne soluendo quidem aeri alieno sit: & area templo absoluendo est emenda. Praeterea in omnes oras huius Episcopatus, & in nouum Regnum Sacerdotes hinc proficiscuntur concionum & sacramentorum caussa. Quare bono illorum numero opus est, maiore, quã quantum in praesens ali possit. vt & miseram, afflictãq. ciuitatem hanc, & tam multos circa populos in Regis imperio, & officio Christiani hominis contineant. Mihi affirmanti credat E.V. ad rem Christianam promouendam, ad opportunam his hominibus opem ferendam, pluris esse vnos illos, quam omnes aliorũ ordinum familias. propeq. illud affirmare ausim: pluris interesse reip. illos esse in his terris, quam

Regios ipsos Auditores. id in his motibus experti sumus. multo enim ipsi plures difficultates & felicius expedierunt, quam Auditores. His ego illorum meritis obstrictus non potui hoc diutius testimonium debere. Quare peto supplex a V. E quod illius commodo sit, aliquam de illorum commodis suscipiat cogitationem, qua ratione praesertim se sustentent: & suam leuare possint egestatem. nulli sunt enim omnium in his Regnis, in quibus quidquid opis conferatur, melius, quam in ijs iuuandis collocetur. Deus O. M. Excellentiam Vestram diu praestet incolumem; & maiore in dies augeat prosperitate ijsq. bonis cumulet, quae ipsius alumni votis omnibus optamus. Quiti VI *idus Maias* CIↃ. IXↃCIII.

REX interim aliorum litteris de rebus omnibus, deq. nostrorum opera ante certior factus, gratias P. Prouinciali per litteras egit. quae post sedatam tempestatem statim perlatae sunt. Earum iam subiicitur exemplum.

Exemplum litterarum Regis ad P. Prouincialem.

REX. *Venerabilis, ac deuote Pater Prouincialis Societatis Iesu in prouincia Quitensi. Quo studio fide, & amore, ad turbas sedandas, quae in urbe S. Francisco Quitensi excitatae sunt, mei Regij nominis tuendi caussa, tuam omnem operam contuleris, Marchionis Cannetensis Proregis, aliorumq. litteris cognoui. Et quoniam pacandae ciuitati A. N. meum Auditorem Regiae Audientiae ex urbe Regibus missi, is has tibi litteras reddet, mando*

mando vt eodem zelo, diligentiaq. qua adhuc cetera curasti, ei praesto sis, adsisq. omnibus ijs in rebus, quas ille tibi meo nomine significauerit. Ita mihi plane satisfactum esse existimabo. E S. Laurentio. Ego Rex.

QVAE tum in vrbe, tum in agro in re Christiana promouenda nostri gesserint, cũ multa, & magna fuerint, perscripta non sunt, tanta fuit rerum publicarum perturbatio. sed iam, pacatis rebus omnibus, tanquam Angelus pacis venit ad vrbem primum recens electus Episcopus, ex ordine S. Augustini. Qui cum multis, clarisq. virtutibus, quibus eius ornatur animus: tum singulari erga Societatem beneuolentia, praeclarisq. de ea iudiciis, ac testimoniis dignus est, quem omni honore, obsequioq. prosequamur. Multum opera Societatis & ad Synodum, quam habuit, vsus est; & in rebus aliis Ecclesiasticis quotidie vtitur. Clericorum Seminarium instituit: in quo iam quatuor & quadraginta alumni educantur. cuius administrationem Societati demandauit. tamq. copiose ille ad eius collegij vsum omnia suppeditauit; vt ipso primo anno, disciplina, non recés anni vnius, sed multorum iam annorum constituta esse videatur. Huius Seminarij additamento, nostrum quoque gymnasium accreuit. Addita est praeterea schola de caussis ad conscientiam spectantibus, magno clericorum, aliorumq. concursu. Templum altaribus sacrisq. tabulis, alioq, apparatu est ornatius. aucta res familiaris praediis duobus. e quibus mille & centum pondera percipiantur: quibus inopis huius familiae angustiae laxari poterunt. Haec vt coniectura est, anno nonagesimo quarto

pacatis iam tumultibus Quitensibus.

Eodem anno P. Morillius, missus vti supradictum est, ad Regem in Hispaniam, in magna vitae discrimina incurrit: propiusq. miraculo, quam felicitati fuit, vt e summis periculis liberaretur, & necdum quem finem eius aerumnae habiturae fuerint, cum haec Limae scriberentur, apparebat. Is lima discessit anno nonagesimo tertio exeunte, tranquillissimo cursu vsus aliquandiu. Ad XVI. cal. Aprileis insequentis anni dum per fretum Bahamae raperentur, hora circiter ante auroram, nocte adhuc inumbrante, ruentis aestus violentia in Syrtim rapidissimam nauem abripuit; illisitq. in vada circa oram Floridae. Et iam carina salo destituta, fluctuabat in arena, quassabaturq. vehementer. ergo spe salutis ablata, Pater nautas, vectoresq. hortabatur, ad animum confessione peccatorum expiandum, & Christiano viro dignam mortem obeundam. Inde exorta dies terram tribus longe leucis aperuit; & vndae iam ad suprema vsque tabulata nauem merserant; nec quidquam ad exitium reliquum erat, nisi vt valido coorto vento, alueus totus frãgeretur. Vnicum supererat scaphae effugium, cuius vt altior ab vndis ora tolleretur, tabulae vnius pluteum circumquaque superiectum compegere. Inter haec canoae duae (Lintres hi sunt, ex arbore vna excauati paucorum hominum capaces) paullatim quasi explorabundae, ad nauim accessere. suspensi naufragi exspectabant, quid hominum essent. nemo enim in toto illo comitatu neque nauta, neque vector erat illarum peritus regionum. decem indigenae, validi homines, & expediti, spe praedae, vt illorum est consuetudo, illis vehebantur. verum defensorum con-

specta-

specta multitudine, consilio dissimulato, vna quam fortasse tantum norant, Hispanica voce se amicos declararunt. Hispani eos in nauim libentes admiserunt; si forte ab ijs opis esset aliquid. Ii vero occasioni intenti, per summam dissimulationem lectissima quaeque sibi oculis ad praedam designabant. Interim resarta duarum horarum spatio scapha demittitur in mare. Verum cum nimis multi in eam descendissent; veritus pater, ne nimio onere grauata, deprimeretur, cum viginti circiter e tenuioribus, qui relicti erant, mansit in naui, reditum scaphae praestolantibus. quae cum inclinante iam in vesperum die, non rediisset, Pater aduenis persuasit, vt sua se canoa veherent ad litus: pretium traiectionis stragulum valde speciosum se ijs daturum. quare, duobus militibus assumptis, duobus tantum indigenis remigio acceptis, ad totum illud maris spatium traiiciendū, minutissimo lembo se commisit. ac, ne quid doli barbari inter nauigandum molirentur, milites districtis gladiis oculos iussit a nautis nunquam deiicere. Ipse ad omnem subiti periculi casum, veste posita, lintea tantum cum linteis femoralibus retenta tunica; se ad natandum, si opus foret expedierat. Appulere tandem Dei beneficio incolumes, magnaq. laetitia a comitibus, nec sine lacrymis excepti sunt. Scisscitatus Pater, cur Schapham non remiserint; metum fuisse cognouit, ne nautici cum tantae multitudini tantulum nauigium non satis esset, mare nacti liberum fuga se subducerent, comitibus in solo barbarico relictis. quod iam inter se conspiraſſe dicebantur. Inter haec, qui relicti erant in naui, metu ne per noctem dissolueretur, partim temerario ausu vnam de canois occuparunt, inuitis

cis barbaris. qui illos in medio cursu assequuti, insidiose accedentes, canoam, nouem corporibus grauatam, facili negotio euerterunt: miseri naufragi aquis absorpti periere: duobus tantum terrâ nando consequutis: partim barbarorum fidei se permisere: quorum beneficio ad terram euaserunt. Sed qualem noctem transegerint in media barbaria, ignoto loco, & deserto, sine commeatu, sine veste, cogitare quiuis potest. Arma tantum miseris supererant Ergo castrorum more ieiuni, ac seminudi vigilias egere. Postridie visum est schapham remittere ad nauim; vt e multo commeatu, apparatuq. reliquo, quem tulerant, quantum posset asportaretur. cum eo veniissent, nauim barbarorum plenam, mercibus omnibus, omniq. nautico instrumento exhaustam inuenerunt. Tertio die scapham iterum ad nauim remisere; vt fragmenta nauis, aliaq. quae possent lignamina, clauos, ferramenta colligerent; quibus scapha ipsa ad nauigationem repetendam, totamq. multitudinem seruandam augeretur. Iam nauem ipsam viginti duae canoae circunsistebant: intus ingens barbarorum numerus, sed inermium, & pacis amatorum. Itaque copia colligendi, quantum voluerunt, fuit. Et quoniam in littore periculum erat a barbaris, a quibus superioribus annis Hispanos multos vorasse notum erat; eandemq; crudelitatem cum istis attentassent, nisi fistularum, aliorumq. telorũ, quorum idonea satis copia instructi erant, metu terrerentur; vicinum sibi scopulum, paruae instar insulae vallo muniuerunt. ibi dies decem morati, dum schapha laxaretur (supererant enim ex toto illo naufragio quatuor & quadraginta homines) hortatu patris, omnes iterum confessi sunt; diuinaq.

naq. ope implorata, nauigationi commisere se, paruo actuario, vetusto, & infirmo, raptim fragminibus resarto, male compacto, & rimis vndique salum admittentibus. consilium fuerat Habanam petere; sed erat horrendum illud fretum superandum, quod valido myoparone sine naufragio trajicere nequiuerant. quare nauiculae infirmitate diffisi, statuerunt Floridae oram ad terrae conspectum legere; & noctibus singulis appellere. Cum diebus aliquot ea itinerum ratione nauigassent, ipso Dominico Passionis die in nauigium Hispanorũ incidere, quod e Florida Habanam traiiciebat. Ab Hispanis in tam miserabili statu, tanta rerum omnium egestate agniti consueta, & toti orbi admiranda gentis inter se hospitalitate, caritateq. excipiuntur. hymno Sanctorum Ambrosij, & Augustini Deo grates egerunt. sed tamen ne hic quidem famis petulantia sedata. Quippe commeatus ijs anguste definitus erat, quantum quatuordecim hominibus, qui vehebantur, satis esset; nunc supplemento addito quadraginta quatuor fame enectorum, fuere diaria parce admodum dispertienda. & erat id tempori valde opportunum, ne leges Ecclesiae violarentur. Hoc in traiectu, praeter inediam, famemq. eas caeli, marisq. asperitates pertulerunt; vt tempestatis praeteritae saeuitia, fames, pericula, cum ijs, quae postea sequuta sunt, comparata, proludia calamitatum & malorũ vmbra haberentur. Ter violentum Syrtis aestum superarunt: ter in eundem, vnde discesserant locum reiecti sunt. Ad haec imbrium, fulgetrorum, ventorum immanitas tanta, quantam nautae nullam meminissent: & sex erant, qui magistri munere fungebantur, & antiqui, & rei nauticae peritissimi,

Acce

Accebat loci, multis naufragiis infamis, terror. Est enim syrtis illa, & vada circumiecta maritimorum omnium periculorum asperrima: neque vllum in eam vnquam sine interitu nauigium incurrerat: & tunc, si vnquam antea, asperrime saeuiebat. Ter horrendis vorticibus circumacta nauis tantum nó absorpta est; ter spatio viginti quatuor horarum venti omnes, quotquot in pixide notantur variarunt. Vincebatur omnino ars violentia tempestatis. Erat iam in oculis interitus; cum diuina fauente miseratione, vna res saluti, quae initio ceteris risui fuit. Duo e senioribus magistris velum maximum, quod complicatum erat, soli, aliorum auxilio destituti, (tanta erat desperatio) incredibili facilitate sustulerunt: vt verisimile sit, caelestes spiritus operi manus admouisse: cum ad illud moliendum, non pauciores duodecim hominibus adhiberentur. Eius veli beneficio, contra omnium opinionem, Diuina ope Syrtim praeteruecti, ipso Dominicae Resurrectionis die, consumptis iam omnibus cibariis, mane Matancae portum tenuerunt. e quo sex ante diebus Angli discesserant. Distat Matanca leucis duodeuiginti ab Habana. Hic exscensione facta, naufragi terrestri, sed difficili & aspero itinere Habanam contendere. Quo cum veniissent, nihil prius habuerunt, quam vt soluendi voti caussa, detractis calceis, seminudi, eo quisque aerumnoso corporis habitu, quo tot calamitates exhauserāt, ad S. Francisci templum supplicabundi se conferrent. In hoc rerum statu P. Morillij profectio erat, cum de suis aerumnis ad P. Prouincialem litteras dedit VIII. id. Mai. anni nonagesimi quarti. Habanae nauigandi expectabat opportunitatem. Metus enim erat ingens ab Anglis: qui maria

maria omnia late excurrebant: & Peruuianae expeditioni Hiſpaniam petenti praeſtolabantur. argenti fames illos excitarat. ſiquidem fama erat, duorum annorum expeditione vehi ſcutatorum centies ſeptuagies. Quid tandem reliquo anni tempore factum ſit, inſequentis anni litterae, ſi eae perlatae eſſent, credo continerent.

COLLEGIVM Ciuquiſacanum.

A tenui admodum, & non inopinato ſolum, ac difficili, ſed prope depoſito rerum initio collegium Ciuquiſacanum exortum, admirabile breui cepit incrementum. ſic prorſus, vt quemadmodum arbores, quae contra vim tempeſtatis vigorem ſuum retinent, altiſſimis fixae radicibus nituntur; ſic collegium hoc inter aduerſa fundatum, natum & auctum, non niſi ſatore, & cultore Deo, radices ſuae ieciſſe firmitatis videatur. Eſt Ciuquiſaca, quae alio vocabulo argẽti ciuitas nominatur, in Peruuianis finibus non modo nobilis, & frequens, ſed etiam e quinque ciuitatibus, Lima, Ciuquiſaca, Quito, Sancta fide, & Panama, in quibus Regiorum iudicum praefidet conſilium, ſecundum Limam, primaria, ob magnum Prouinciarum, vrbiumq. remotiſſimarum numerum; quae illuc petendi iuris cauſſa confugiunt. Cathedrali etiam Eccleſia ornatur, vectigalibus & dignitate altera a prima. duodeuiginti leucis diſtat a montibus, veniſq. argenteis Potoſinis. In hac vrbe ſedem ponere diu Societas peroptauerat: & nonnunquam tentata res erat. ſed debebatur ei temporum arti-

culo:

culo: vt non nisi diuino nutui totum negotium tribueretur. Tot enim obiiciebantur difficultates; vt nulla paene earum, quae ad sedes Societati fundandas requiruntur, adesset; & quae impedimento essent, multa aduersarentur. Nullum in ciuitate erga Societatem studium; ciuium amor nullus; nō ad liberorum institutionem, non ad sacramentorum vsum Societatis opera expetebatur. Accedebant ciuitatis, quamuis amplae, & nobilis, non tamen admodum opulentae, ac beatae grauamina. nam & sacrarum virginum alit coenobium; & hospitalem domum, in quam ne pereant, feminae colliguntur. Tum omnes Religiosorum familiae, quae in has oras traiecerunt, in eadem vrbe sedem habent: quibus alendis fatigari dicebant ciuitatē. Ad haec neque familiis ipsis Societatis aduentus opportunus videbatur: & Religiosorum multitudo nostram operam minus necessariam esse persuadebat. Aduersarij etsi non multi, graues tamen & acerbi nobis erant. omnino qui nostra causſa vellent, aut pauci, aut in tanta iniquitate animorum parum efficaces. Denique tum clerus, tum ciuitas à nobis erat aliena. alienationis autem opinio iniuriae causſa fuerat. Inuitauerat ante multos annos ciuitas Societatem: Societas siue quia tum minus potuit, siue quauis alia causſa ciuitatis benignitati remisit. ea re offensi ciues nullā postea gratiam Societatis ministeriis habuerūt. Et cū postea, seu re melius considerata, seu commodiore oblata facultate, Societas rem tentare aggrederetur, studia nostra aspernati, se tam auersos ab ea mente declararunt; vt non modo aditus in presens praecluderetur; sed & in posterum spes omnis praecisa videretur. Rebus in nostram causſam male propensis incredibile est, quanta breui tempore facta mu-

mutatio sit. Anno octogesimo nono, supra millesimum & quingentesimum omnia nostra studia prope totius ciuitatis conuicio reiecta: anno nonagesimo primo iterum conatus repetitus: & videtur interiectum biennium multum ciuitatis iracundiam mitigasse. Sed a Praefide prouinciae, qui Regio praeest consilio, quam dicunt Audientiam, profectum videtur initium tranquillitatis. Missi per mensem Iunium e Potosino collegio Sacerdotes duo Ciuquisacam, quorum alter Hispanis, indigenis iuuandis alter occuparetur: etsi obedientia freti, bene animati ad sua obeunda munia proficiscebantur: de collegio tamen, aut sede fundanda, cognita ciuium alienatione, nihil minus cogitabant. Ergo, vt ijs praescriptum erat, tacitum in vrbem ingressum, xenodochium hospitio, vitam exercitam, & rerum omnium egestatem sibi destinarant: etsi, quod spectat ad inopiam, etiam in magna postea prosperitate, vt videbimus, voto frustrati non sunt. Hoc consilio armati, his instructi cogitationibus, iter suum pauperum habitu prosequebantur. Sed qui turbarum studium ad Christo occurrendum excitauit Hierosolimis; idē bonorum ciuium, & clarorum virorum occursu, pauperum hospitum aduentum illustrauit. Cum ad vrbem spatio duarum leucarum accessissent, obuiam virum primarium à Praetore, eodemq. Praefide prouinciae missum habuerunt, cum mandatis, vt illos quam humanissime exceptos in Praetorium, partemq. Praetorij percommodam, vel recusantes, & inuitos ad hospitium deduceret. Propiores facti ciuitati in multorum honestorum virorum cateruas inciderunt: qui in equis obuiam ijs ex vrbe longe exierant. In ijs Senatus ciuitatis,

& bona

& bona cleri pars: poſtremo duo ex antiquioribus Regij conſilij Auditoribus. & haec omnia auctore Praetore agebantur. Coacti ſunt Patres, diu, multumq. reluctati, tanto clarorum virorum occurſu, medij inter duos Auditores, vt magna populi probatione, ita pari illorum verecundia vrbem inire; & omnem illum ciuitatis plauſum, gratulationemq. oris rubore contegere. Poſtero die diſtributis operis, temporibuſq. ad ſua ſtrenue obeunda munia manus admouere. Dominicis diebus Hiſpanicae concioni matutina, Ciuquiſacanicae matutina, & veſpertina tempora in Principe eccleſia tribuebantur: Sexta quoque feria pueri catechiſmo, veſpere grandior aetas pleniore doctrina, & appoſito ſermone in foro inſtruebantur. atque his rebus omnibus omnes de Senatu Regio intererant cum ciuitate vniuerſa. Indigenae praeterea Dominicis diebus agmine in ſupplicationem ducebantur, tanto numero perſaepe, vt aedis primariae ſepta multitudinem non caperent. Quinta quaque feria carcerem, ſabbathis valetudinarium inuiſebant. vtrobique vſitata Societatis miniſteria obibant. Sed admirationi praecipue ciuitati fuit nouum ſpectaculum in noſocomio aegrotis miniſtrandi; & viliſſima quaeque, ſordidiſſimaq. munia obeundi. quarum rerum exemplo indigenae permoti, ſe quoque laborum ſocios adiungebant. Reliquis diebus totum tempus confeſſionibus excipiendis in cathedrali Eccleſia ponebant. Harum rerum perſpecta vtilitate, Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Alij quibus poterant maledictis onerabant: alij non tàm ſalutem venari animarum, quam aliquod vectigal aucupari calumniabantur. ſed iureiurando affirmabant, ſe

nunqam

nunquam nostris postulatis assensuros. qui minus acerbe nos carpebant; bona quidem, quae fiebant, probabãt: locum tamen in vrbe nobis nullum esse posse, ob eas, quibus grauari ciuitatem, difficultates supra memorauimus. Qui omnium mitissime oblatrabant: nostrum esse consilium dicebant, ibi sedem ponere; sed nullo niti fundamento: cum non modo certum vectigal nullum, sed ne pecunia quidem corrogari posset, ad paruam domum quanlibet emendam. Vna erat fere communis omnium sententia: non esse è republica, sedem habere nos in ciuitate. vt mirum fuerit in tanto primi diei omnium, plausu ne dicam, an triumpho? tantopere subito omnium studia refrixisse: atque in tanta frequentia eorum, qui nostro labore fruerentur, tam paucos fuisse, qui nostrae caussae fauerent. nimirum vt vno Deo nitendum esse disceremus. In tam auersa ciuitate, tam aduersis hominum studiis non defuere pauci beneuoli, qui de nostris postulatis ad collegium canonicorum referrent: at ij frequentes ierunt in alia omnia. Summus ciuitatis procurator aduersarius noster infensissimus, fretus maxime auctoritate vnius ex Auditoribus, qui nobis acerrime aduersabatur, Ciuitatis decretum Senatui Regio proposuit, ne reciperemur. Ac nonnullis decretum reprehendentibus, nihilominus infensus ille nobis Auditor recitari iussit. Cum eius prima verba legerentur, Praetor Senatum interpellat: oportere, antequam decretum recitetur, inquirere, quid de catholica fide is, qui decretum scripsit, sentiat. Hac Praetoris voce, aliisq. in hanc sententiam continuatis, cum aduersariorum pudore totum decreti periculum discussum est. Postero die, nobis insciis, ille idem, qui ante in canonico-

rum collegio noſtram petitionem antiquarat, Senatui Regio, multorum Canonicorum nomine, de noſtris poſtulatis ſupplices litteras dedit, noſtrarũ laudum pleniſſimas. Senatus petitionem ad collegium reiecit. Collegium, ornatiſſimorum virorum, qui iam noſtrae cauſſae fauebant, auctoritate permotum: Videri, pronunciauit, poſſe nos in ciuitate manere. Deſiderabatur Epiſcopi aſſenſus. Qui, etſi, cognita noſtrarum operarum vtilitate, in noſtram cauſſam valde inclinabat, noſtrorumq. opera magnis in rebus vtebatur: tamen ne ſui ordinis Religioſos, qui aperte nobis aduerſabantur, offenderet; pedetentim agendum eſſe iudicabat. Tantum pronunciauit: licere noſtris in vrbe domum ſibi comparare: & in ea oratorium cum altare excitare; quo ſe reciperent, qui huc Potoſio miſſionis nomine commearent: ibiq. habere, donec fundatorem nacti eſſent. Hac difficultate ſuperata, obiecta eſt alia non minor. Quencunque locum in vrbe noſtris opportunum miniſteriis occupare niteremur: Religiones aliae, prolatis ſuis de vicinitate priuilegiis, noſtris actionibus intercedebant. Sed cum validiora noſtra priuilegia illorum priuilegiis derogarent; quod aperte non poterant, cuniculis noſtram cauſſam ſubruere inſtituerunt. Sagaciter indagabant quancunque domum noſtri ſibi delegiſſent, cum de illa emenda poſſeſſorem cõpellabant; illam iam aut alteri fiduciaria venditione traditam, aut licitatori immani pretio addictã comperiebant. Id cum ſaepius factum eſſet: conſilij fuit, quam occultiſſimo ſilentio paruam quandam domum emere. quod tam ex ſententia proceſſit: vt duo Patres qui Potoſio venerant; vnaq. cum duobus aliis diuerſabantur, nihil vnquam ſuſpicati

spicati sint, donec decenti in loco altari adornato, eo transmigratum est. Primo diluculo, eodem temporis momento, & aere campano ciuitati signum datum est, & Missae offerri coeptum sacrificium. Ingens ilico ad rei inexpectatae nouitatem ex vrbe tota concursus factus est: conuersisq. animis felix nobis initium gratulabundi precabantur: & e primariis ordinibus multi Sacerdotes Missas ibi eo die celebrarunt. Tantaq. fuit omnium ordinum eo die gratulatio; vt necesse fuerit, ad hominum studia explenda, habere concionem. Ita delusi prudenti consilio conatus aduersariorum. Ex eo die in eo, quod adornarant oratorio, nostra ministeria coepta exerceri. quaestiones de conscientiae caussis explicari. Sed tanta erat rerum omniũ penuria, vt cogerentur Patres victum sibi mendicato quaerere: bini igitur quotidie a singulis hospitibus excipiebantur: noctu humi cubabant, substratis tantum paleis; nulla ad sedendum subsellia, nulla mensa, sella nulla. erat omnino vera paupertatis imago, quam primi nostri Patres pertulerunt, quibus primis annis in Italiam venerũt. Nec defuere, qui litteras criminationum plenas dederint ad Proregem: nos contra ius, & in fraudem Regij patronatus sedem in hac vrbe occupasse. Quarum litterarum ille fructus exstitit; vt paucis post diebus Proregis litterae perferrentur, quibus potestas nostris fiebat, Ciuquisacae sedem figendi, & collegij fundandi; cum litteris item cõmendaticiis ad Senatum Regium, ad Episcopum, ad alios: gratiae praeterea Canonicis illis agebantur, qui nostram caussam adiuuerant. Diuina demum ope tanta rerum accessio facta est: vt cum hae litterae Lima datae essent prid. id. Mar. an-

ni CIↃ IↃ XCV. collegium iam constitutum esset vectigali annuo quinque millium ponderum. Piorum praeterea elemosinis bona aedificij pars confecta erat: templum in locum commodius translatum: & ad eius laxandam fabricam aedificia alia attributa, Scholae Latinitatis binae institutae, tertia Peruuianae linguae: sine cuius peritia nulli ad Sacerdotia & animarum curam promouentur. Sed nostram causſam Diuinae fuisse curae Maiestati non minus, quam felix rerum exitus, etiá calamitates aduersariorum intra vnius anni spatiũ declararunt. Auditor Regius ille nostri inuidus, Visitatoris Regij decreto in ordinem redactus est: post etiam atrocis reus criminis, ac falsis testimoniis oppressus, poenas acerbissimas dedisset, nisi opera Societatis defensus esset. is nunc, suo malo doctus, de nobis aliter & sentit & loquitur. Porro è collegio Canonicorũ ij, qui nostris studiis obstiterant, omnes intra eundẽ annum, loco moti, amiserunt ordinẽ. Contra, reliquum collegiũ ita nobis fauit; vt annuam ducentorũ aureorum pensionem quam ob attributas nobis domos debebamus, in perpetuum remiserit. Tam felix rerum cursus, qui omnes monere debuit, multorum aduersum nos inuidiam commouit. Nam, vt alia omittam, clerici nonnulli, conspiratione facta, nostrum Sacerdotem in cathedrali Ecclesia dicentem ad concionẽ ausi sunt interpellare, & palam confutare; aliaq; in eum congerere & falsa, & indigna: tantum vt eum illa ignominia afficerent. Idem, aliusue noster Sacerdos Religiosorum quorundam magna gratia, die quodam celebri, in eorum templo concionem habuerat: rogatusq. vt iterum solenni alio die idem faceret, forte accidit, vt pridie eius diei

nostri

noſtri collegij fundatio celebraretur. Ea res tanto ijs dolori fuit, qui noſtra inopia, & ſolitudine laetabantur; vt cum ad diem dictam noſter Sacerdos veniſſet, concioq. iam conueniſſet ad audiendum, coorti in eum, qui ipſum inuitarant, multa verborum aſperitate, ac tantum non conuiciis exegerint. Noſter ſe recepit, llla tantum verba proſequutus; ſe ipſorum rogatu, ipſis obſequendi cauſſa tantum veniſſe: ſed grates Deo immortali, quod haberet, vbi citra vllius offenſionem ſemen Euangelij ſpargeret ad populum; retulit ſe ad noſtram aedem; quo illum tota concio ſequuta eſt, ſubſelliis eorum vacuis relictis. noſter ſuam habuit orationem, nulla prorſus acceptae contumeliae facta mentione. Haec trium, quatuorue annorum ſpatio facta contigere: quae litteris Peruuianis promiſcue ſcripta ſunt. Quo item tempore duo egregij huius vineae coloni deceſſere. Catelanus alter, alter Italus. Pater Bernardinus Papiolus prior. vir de hac ciuitate, deq. collegio praecipue, in cuius fundatione multum laborauit, optime meritus. duarum linguarum harum gentium bene peritus. non ita multo poſt eum ſequutus eſt P. Robertus Harnonius Conſentinus Aimaranae linguae excellenter peritus: cuius etiam ſcholam in hac vrbe ſuſtinebat: praeeratq. ijs examinandis, qui ad regendas parecias eligebantur. Vir omnibus ordinibus apprime gratus. id vniuerſorum luctus declarauit. Ad eius exſequias celebrandas conuenere tum Cathedralis Eccleſiae clerus, tum religiones omnes, nullo inuitatu. Fieri coeptae ſunt ex hoc quoque collegio ad multos populos nonnullae Miſſiones: quarum fructus & labores ex aliarum ſimilitudine licet intelligere.

COLLEGIA AREQVIPANVM. Ciuquiabense, Potosinum, Sedes Iulidensis, & Panamana.

A Tribus collegiis Arequipano Ciuquiabensi & Potosino, tum ob distantiam locorum, tum ob itinerum infrequentiam pleniores litterae perlatae nullae sunt. Illa summatim Limae nota, Arequipano in collegio fratrem senem e vita decessisse. sed qui non ita pridem tirocinij biennio expleto, Societatis vota nuncuparat. Ei nomen fuit Antonius de Planis: idem Arequipani collegij fundator, magnarum opum quondam possessor. qui cum fortunas suas omnes Societati dedisset, iam grandi aetate se ipsum quoque deuouit, magna ciuitatis admiratione, & exemplo. Erat enim cum suo splendore, & opum magnitudine, tum pia liberalitate, eleemosinisq. & Christiana virtute apud omnes magna gratia, ac veneratione. Sed nullum tantae virtutis testimonium illustrius, quam extremus hic, quem diximus, ipsius vitae actus. Excurrere ex eodem collegio diuersas in oras Sacerdotes duo ad gentes remotissimas; vt à cultu alienas, ita doctrinae, & Christianae disciplinae valde rudes. quinque in sua vterque peregrinatione menses transegere.

CIVQVIABENSE Collegium, quod etiã Pacense superioribus litteris nominatur, magnis emolumentis est auctum. nam praeter ea, quae ad ornatum templi sunt collata, magni pretij opes, Prouinciae Procurator ingentem librorum numerum aduexit ex Hispania. sexdecim omnino plenae

nae

nae arcae sunt allatae, impensa viri splendidi & illustris; & sua pietate benignitateq. in Societatem cum primis digni, cuius nomen immorrali memoriae sempiternis litteris mandetur. Erant praediis nostris perampla latifundia coniuncta. ea, quod aquae penuria laborarent, soli prorsus erant sterilis, & infecundi; nostri non magno pretio coempta ad collegij fundum adiunxerunt. vniusq. de nostris industria, quod superiores possessores viri splédidi, & opulenti frustra saepius tentarant, ratio inuenta est, qua in ea perennis aqua deriuetur. ita sunt iam facta feracissima; vt existiment omnes, difficilem propterea fuisse deriuationē, vt ea predia Societatis collegio reseruarentur. Pecunia ingens praeterea ab aliis collata. Argentum mille aureorū aestimatione nobis dedit Aetiopica mulier honesta, & locuples, praeter ea, quae post mortem nobis attribuenda legauit.

POTOSII ad caelestia praemia vocatus est P. Petrus Montoia, antiquus vtique senex in Societate. plus quadraginta annos multa cum omnium probatione, & vtilitate proximorum in ea exegerat. Diu aliis regendis, etiam Prouincialis munere praefuerat. & qua aetate aliquam sibi aut quietem, aut contentionum remissionem optare potuisset; ita sedulo in indigenis iuuandis, quorum linguam plene didicerat, incubuit; vt per annos multos ab ijs audiendis, instruendis, catechizandis nunquam discederet. Ad ceteras virtutes, quarum praeclarū nobis exemplum referebat, accessit fortis patientia dolorum in pertinaci admodum, & graui morbo, quo consumptus est. Optat Peruuiana vinea dari sibi multos eiusmodi cultores. Eodem tempore Sanctorum Martyrum reliquiae Roma transmis-

sae collegium non modo sua religione auxerunt, sed audeo dicere, miraculo etiam illustrarũt. Erant in ijs caput vnum ex vndecim millibus virginum, & ossa aliqua e pleno illo sacrorum pignorum horreo, quod ad aquas Saluias in monasterio S. Anastasij, tanta religione Romae custoditur. illis condendis specioſe admodum, & magni pretij thecae adornatae sunt. E sacris ossibus vnum apparebat in altero capite coloratum, & aliquantum sanguine terraq. adhaerente fedatum. iussit P Rector, antequam conderetur, aqua ablui. coepit ipsa eluuies tam mira, & inusitata suauitate redolere, vt incredibili omnes stupore, pietateq. affecerit. neque fuit, qui intelligeret, cui naturalium odorum similis ea fragrantia dici posset, vt diuinam virtutem adesse appareret.

IVLIDAE PARECIAE quatuor, quibus nostri praesident, vt proximis annuis est scriptum, suas quaeque Ecclesias ad culmen adduxerunt. Eae venustae admodum ac speciosae apparent. In magna annonae caritate, multis diebus, plus quadringentis pauperibus, quatuor in parecias distributis a nostris patribus, qui pareciis president, alimenta praebita. Quibus adulti aliqui adhuc ethnici, Christianorum habitu admisti baptismum postularunt. Quam sint frugiferi nostrorum labores in hac gente excolenda, multa subinde declarant. Anus graui affecta morbo, vetere superstitione venefícam adhibuerat, cui ad medicinam faciendam sua peccata enunciaret. huic filiola ex ijs, quae Christianam doctrinam frequentant, persuasit; vt ante se mori pateretur, quam remedia maleficorum adhiberet: & vt eius loco verum confessionis sacramentum apud nostrum obiret Sacerdotem, quo facto,

facto reualuit. Alius indigena item grauiter aegrotus, peccata multos annos in confessione suppresserat. Hic nocturno viso territus accito Sacerdoti narrauit, infernas poenas, peccataq. omnia, quae commisisset nominatim sibi demonstrata; seq. ob illa poenis illis addictum esse. Quare ipsa cum coniuge vitae totius confessionem instituit: reparataq. valetudine, vterque diligentem se praebet, & assiduum confessioni.

PANAMAM anno nonagesimo secundo exeunte cum Procuratore appulere, qui ex Europa missi sunt Sacerdotes sexdecim, fratres viginti, partim scholastici, partim coadiutores. omnesq. e longa nauigatione recreati, incolumes in suam quisque profectionem dimissi. quod non sine peculiari Dei bonitate factum esse intelligimus, siquidem raro contingit, vt vel longa maris iactatione, vel insueti caeli grauitate non aliqui e toto comitatu hic spolia relinquant.

MISSIO IN NOVVM Granatense Regnum.

SEPTVAGINTA ferme anni sunt, cum in nouas Granatae, quae dicitur Regnum illata lux est Euangelij: sed partim negligẽtia, partim malo Christianorũ veterum exemplo aeque ab ipsis, ac neophytis neglecta. Primũ indigenae negligenter instituti, & parũ sincero fidei lacte imbuti, neque religionis mysteria omnia tenebãt; & eius sanctitatẽ non magnopere reuerebantur. Deinde Christiani veteres, suis intenti emolumentis, ethnicorum ac neophytorũ consuetudine assueti, in eorum propè

mores

mores degenerauerant. Indigenis graues, & crudeles, vt terrori, ita etiam ſummo erant odio. Indigenae viciſſim duro preſſi dominatu, pietatem ab illis imbibere, in quibus nulla erat, non poterant: neque ab ijs Chriſtianam haurire caritatem, quos oderant. Ita neque antiqua gentis vitia excisa ſunt; & alia inſuper à Chriſtianae diſciplinae doctoribus infuſa: magiſtriq. ipſi, indigenarum vitiis deteriores facti, minus in dies idonei ad ſementem euangelij purgandam reddebantur. Qua communi colluuione factum eſt, vt gentis vtriuſque vitiis inolitis, & auctis, male ſatae fruges deteriorem in ſegetem ſemper ſuccreuerint.

De regionis ſitu noſtrorum litteris nihil eſt cognitum, neque in tabulis geographorum notam vllam inuenio: fortaſſe quod aliis nominibus notetur. ſed vt ex peritorum narratione didici, ſuperiora Peruuij tenet ad ſeptentrionem; & mari quo ad Floridam Mexicumq. nauigatur, obtéditur. Regio eſt ampla, hominibus abundans, & multorum generum alimẽtorum benigne ferax. Hiſpanis hominibus referta omnia. Tribunali Regio, & Archiepiſcopali Eccleſia ornatur. ſedes vtrique, vrbs Sancta fides. Multae circa barbarorum nationes, auro, vnionibuſq, abundantes, ſed margaritae Euangelicae expertes adhuc. Huc miſſi ſuperioribus annis Sacerdotes duo, fratre vno comite, vaſtam late ſyluam nacti, praeter multos indigenarum populos, quinque Hiſpanorum ciuitates raſtro miniſteriorum ad cultum, & nitorem redegerunt; multis ex vtraque gente extirpatis vitiis, & inſerta cura pietatis. nam ad cetera incommoda infamis abuſus ita inoleuerat, vt feditas iam non ſentiretur. Ementita teſtimonia, & iuriſiurandi ſacrilegia

gia venalia vbique proſtituta. vt quinque, ſexue aureorum pretio ſcelerata nundinatione eorum quantalibet copia ſuppeteret. Concionum contentione quatuor menſibus execranda impietas exciſa,& vna cum dignitate,ſua fidei reddita integritas. In vna ex vrbibus factiones duae duobus iam annis de loci dignitate in Eccleſia diſſidebant. ipſo die Paſchae,ibi vno e noſtris agente ex vtraq. parte armati multi in templum irruperant. res erat proxima periculo, cum Pater, re cognita, mature ita ſe medium iniecit; vt controuerſia compoſita, magna cum totius ciuitatis laetitia,vtroſque recõciliarit. Sed indigenae mirum eſt quanto noſtros homines amore complexi ſint. ita prorſus, vt in noſtrorum patrocinio omnem ſuae ſpem incolumitatis ſitam eſſe arbitrentur; cum antea non modo Hiſpanorum, ſed ne parochorum quidem fidei ſe committere auderent. nunc vero noſtrorum experti comitatem, integritatem,in ſuis ad nos periculis confugiunt: nos patres, nos patronos profitentur. Ea fiducia multi, qui Chriſtiani eſſe putabantur,& tanquam Chriſtiani Chriſtianos interſabantur, abiecta ſimulatione, Chriſtianum baptiſmum,& Chriſtianam vere ſuſcepere pietatem. Anus maior octogenaria ad eum vitae terminum ea ſimulatione vſa erat. haec auditis concionibus permota, ſe olim a diabolo monitam eſſe dixit, vt Chriſtianum connubium, & quotannis confeſſionis, Euchariſtiaeq. ſacramenta iniret: a baptiſmo tamen abſtineret. alioqui futurum vt ab ipſo interficeretur. ſed velle ſe periculo contempto,conſilia ſequi potiora. Admirationi prorſus eſt Hiſpanis illorum ad Chriſtianae doctrinae explicationem, confeſſionem, conuentuſq. alios concurſus,

&

& frequentia. Ita duarum triumue operarum paucitate, Dei tandem beneficio in inculta vastitate, religionis flos virere coepit; cum anno nonagesimo secundo ineunte, cognita iam loci natura, & quae inde proficisci posset, vtilitate, si idoneo cultorum numero haec vinea committeretur, e re cõmuni esse visum est; e locis tam remotis nostros tantisper reuocare; totoq. interim negotio supersedere, donec, maiore oblata operarum facultate, iterum maiore numero susciperetur. Id cum Regius Magistratus cum consilio resciissent, nostros retinendos censuerunt: ne tanto praesidio prouincia spoliaretur. Quin etiam fratrem, qui Patribus comes venerat, cum litteris ad P. Prouincialem allegarunt, qui eum de misero huius prouinciae statu admoneret; quantoq. opere tali egeat doctrinae lumine, & quam sit vtilis opera Sociorum demonstraret. Saepius praeterea tum Regium consilium cum Praeside, tum Senatus vterque & Ecclesiae, & ciuitatis, suo, & indigenarum nomine, de sede Societati in his terris statuenda, & ad R. P. N. Generalem, & ad Regem, Regiumq. in Hispania cõsilium, quod Indicum nominatur: insuper etiam ad ipsum Romanum Pontificem litteras dederunt. A Patre nostro primum litteras, plenas humanitatis acceperunt; quibus spes illis fiebat, breui futurum, vt sua vota consequerentur. Deinde Rex ipse, datis ad Praetorem litteris, & Societatis collaudauit operam, & suum studium collocandi in eo Regno Societati sedem declarauit, mandauitq. vt de tota re serio cum Ecclesiarum collegiis ageretur; viderentq. qua id ratione confici possit: & ad se litteras darent: se rem totam edoctum, quidquid e repub. fuerit iussurum.

EX.

EXPEDITIO IN Regnum Chilae.

CHILE, vt anni octogesimi noni docent litterae infra Peruuium prouinciam ad meridiē porrigitur. Tucumanibus ad orientem finitima, spectat ad occidentem mare Xurium. Ad eam gentem tum nostri, tum Regij mitti aliquos è Societate diu peroptarunt, & cum superioribus annis Prouinciae Procurator cum supplemento Sociorū ex Hispania soluisset, octo ex illo comitatu in eam expeditionem destinandi erant, Rege eo nomine illis praebente commeatum. accedebat Regium mandatum, ab Indico missum consilio; quo ciuitates iubebantur illis in sumptum omnia suppeditare. Quare P. Prouinciali, statim atque magistratum iniit, nihil fuit antiquius, quam vt hanc expeditionem adornaret. Octo igitur lecti, Sacerdotes sex, fratres duo: anno nonagesimo tertio Februario mense, Limae conscenderunt. Iis datus Rector P. Balthasar Pinna homo septuagenarius, & multis laboribus, diuturnaq. a primis paene incunabulis Societatis, aetate transactis, valde notus. interfuit enim, cum graui illa seditione commota, Caesarauguſta nostri, viuente adhuc B. P. Ignatio, exturbati sunt. Is quo maxime tempore quietem cogitabat, vt generosus equus, quanquam fractus aetate, in periculis tamen animos exacuit, ex vmbra rursus in solem & puluerem; & è tentoriis in aciem prodire iussus, non extimuit. In itinere, cum in Quadragesimae dies incurrissent, ter quaque hebdomada in naui concionem habuerūt.

bis

bis etiam nautae, vectoresq. toto illo itinere peccata confessione expiarunt. Nauigationem habuere difficilem, ac periculosam: & ea re multo, quam sibi proposuerant, longiorem. vt deficiente commeatu, tribus Quadragesimae hebdomadis ieiuniorum vbere copia abūdarint. nautico enim tantum pane & passis vuis inediam leuarunt. horrenda enim procella diu iactati, votis a Diuina ope impetrarunt, vt ipsos vndae non absorpserint. Narrabat vnus e magistris rei nauticae, se duodeuicesimum tum illam nauigationem obiuisse, neq. vnquam tam aduersam vim tempestatis expertum esse. Tricesimo demum nono die, quam soluerant, Coquinbum maritimam vrbem ad Xuxium tenuerunt. ibi exscensione facta, vna cum nautis ex ipso portu ad S. Francisci tēplum duabus leucis a portu dissitum, voti rei, nudis pedibus iuerunt. Coquimbi magna omnium ordinum laetitia excepti sunt. magno enim Coquimbanis solatio fuerunt; vt nostrorum aspectu, videri sibi patere caelum faterentur. Dies quindecim ibi transegere, magno Hispanorum, & indigenarum bono. conciones habuere singuli. dies interim totos in Ecclesia audiendis vtriusque gentis confessionibus posuere. Decimo sexto, quam appulere die terrestri itinere in viam se dedere, ad vrbem S. Iacobum, quae Regni caput est. distat Coquimbo leucas sexaginta. Coquimbani commeatum, & apparatum reliquum toti comitatui suppeditarunt valde liberaliter. est enim iter sex circiter dierum per solitudines agendum; omniaq. ad victum comportanda. itineris etiam ducem Hispanum hominem addiderunt. Sanctum Iacobum die post Dominicam palmarum peruenerunt. in vrbem intrarunt ante lucem.

cem : vt honorificam occurrentium gratulationē, quam parauerant, euitarent. A Patribus Dominicanis eadem hospitalitate, & caritatis significatione excepti sunt, ac si in nostrum aliquod collegium veniissent. Ad eos salutandos, aduentumq. illorum gratulandum vniuersa ciuitas confluxit; vna cum vtroque senatu, & religiosis familiis. Omnino haec Missio aduersi nihil, praeter maris asperitates, quae summae fuerunt, experta est; laetissima rerum omnium principia sortita. Paschae diebus transactis, de sede nobis attribuenda agi coeptum est. Et cum P. Rector in communi ciuitatis, & Ecclesiae conuentu multa de nostro instituto disputasset: dixissetq. sibi notam esse gentis continenti quadraginta annorum bello exhaustae inopiam: seq. paratos animo ad incommoda perpetienda veniisse; proinde nolle grauari ciuitatem cura cōparandi vectigalis. nos Missionis nomine annis aliquot ibi moraturos: deinde mutando subinde sedem, & modo vnam, modo alteram ciuitatem, populumq. adeundo, onus in plures distributuros, quod vni ferre iniquum esset ciuitati. Huic orationi vehementer ab omnibus reclamatum est: oportere enim perpetuam, fixamq. omnino sedem cōstituere. Itaque non ante dimissus est conuentus, quam tantum pecuniae ex communi singulorum simbolo, conflatum est; vt aedes amplae, percommodae, cum hortis irriguis opportunissimo in loco nobis emerentur. eae nobis tribus millibus ponderum, & sexcentis stetere. quae quietis temporibus plus decem millibus fuissent. isq. qui eas nobis vendidit, octingenta pondera de pretio nobis remisit. Sexta igitur hebdomada, quam venerant, ex hospitio Dominicanorum

norum nostri in propriam se domum transtulere; quam etiam multa suppellectili benigne ciuitas instruxit. In aula perampla sacellum ad sacrorum vsum instruxerunt. interim ad templum excitandum se parabant, in eamq, rem erat qui materiã suppeditabat: & spes erat aestate insequente absolutum iri. Ad religionem augendam à P. Prouinciali caluaria vnius ex vndecim millibus virginum transmissa, & in argentea theca decenter est inclusa. Rebus ita compositis, nostrisq. institutis ministeriis, petiere magna contentione ciues, vt scholas instituendae iuuentuti aperiremus. Difficile erat non illorum postulatis satisfacere. Sub haec P. Prouincialis Dominicanorum, cui multum debet Societas, cum ob insignem humanitatem, qua nostri apud eos habiti sunt, tum ob egregiam eius in nostrum ordinem voluntatem; est enim in scholis nostris institutus in Lusitania; flagitauit, vt philosophici studij cursum explicare institueremus. Vndecim e suae familiae alumnis habere se ei studio idoneos, sex P. Prouincialis S. Francisci; erantq, e Mercenariorum familia nonnulli idem flagitantes. Hi omnes bis quotidie nostrã domum se adituros promittebant. facta igitur a P. Prouinciali potestate, scholarum initium factum est ipso die Assumptioni Virginis sacro, felici tantae patronae inuocatione auspicioq.

Indigenarum porro, quorum praecipuae caussa tota susceptа profectio est; magna cura Patres institutionem, statim ac venerunt, aggressi sunt. Prima cura fuit illorum linguae addiscendae. P. Aloysius a Valdiuia decimo tertio, quam eius rudimenta aggressus est die, confessiones coepit audire; vicesimo octauo habere concionem. Ipse adultos indi-

indigenas; P. Gabriel Vega Aetiopicos, P. Stella pueros catechismo instituendos susceperunt. Hi nouo magnoq. spectaculo ciuitatis, Dominico altero à Pascha die supplicationem cum cantu à templo S. Dominici ad forum traduxerunt. In foro catechismus ipsorum lingua explicatus, noua res indigenas admiratione affecit: nihil enim ante, cum Hispanice instituerẽtur, e nostrae fidei arcanis percipiebant. Tum primum illorum detegi ingenia, & studium discendi excitari coeptum est. Ea est omnium docilitas, vt Valdiuia, illorum institutor, incredibiliter delectetur; hominemq. operae paeniteat, si qua in re alia tempus posuerit. Quinque ex ijs semihorae spatio seriem totã rosariae historiae ter quinis capitibus cõprehensam plene perceperunt. Diebus, quibus est conueniendum, vltro veniunt ad catechismũ, non requisiti. Duo e perioribus, quasi totius multitudinis tribuni, lecti sunt, hi singulorum domos adeuntes, suam quisque cohortem secum trahit. Et quoniam bellum adhuc cum infidelibus continuatur; subindeq. ex hoste captiui abducuntur; bini quaque hebdomada dies statuti sunt, quibus ad P. Valdiuiam id genus captiui catechismo informandi abducuntur; neque vllus praeterit dies, quo non aliqui ad fidei lumen accedant intuendum. Totum reliquum tempus illorum confessionibus excipiendis ponitur. Perduelles sunt Araucani, gens finitima, & potens. hi longo tot annorum spatio bellum adhuc sustinent; tanto in Hispanicum nomen odio; vt, si quem exceperint, illius sanguinem exsugant; hepar illi vorent cum praecordiis; & eius caluam resectam ad pocula adhibeant. Hi nullam colunt religionem; neque homini, praeter hanc vitam, quidquam putant

tant supereſſe. Ex ea barbarie Chriſto adiunctus eſt vnus: tanto amore in noſtros, pietateq.; vt ſi velint in ſuos fines proficiſci, ſe illos incolumes praeſtiturum profiteatur. Eſt hominum natio alia; quos Huarpas vocant: hi tenent montana, pleriq; adhuc infideles; qui proprio vtuntur idiomate. ex ea gente nonnulli venere ad baptiſmum: per eam occaſionem Valdiuia illorum linguam non adeo difficilem addidicit: eius grammaticam compoſuit: ſcripſit ea lingua catechiſmum, & confeſſionis inſtitutionem. Haec, Deo laus, felicia erant huius miſſionis initia. Alia nonnulla, quae tamen & gentis indicant docilitatem, & ſpem faciunt magni proceſſus, ne iuſti modum voluminis excedamus, omiſſa ſunt.

MISSIO IN TVCVMANES, & Paraquarios.

CVM Chilenſibus coniuncti ſunt Tucumanes, cum Tucumanibus Paraquarij. hi porro altiſſimis montibus a Braſiliis diſterminātur. Sed Chilenſibus & Braſilijs omiſſis, de Tucumanibus, & Paraquariis agemus. Vtraque gens regiones peramplas tenet; & diuerſarum linguarum populos innumeros recenſet. Sed Tucumanum regio, mores, ingenia litteris maxime anni octogeſimi ſexti, & octogeſimi noni copioſe ſcripta ſunt. de Paraquariis, & item Tucumanibus anni nonageſimi ſexti, quae ſequuntur, litterae, multa continent. Ergo ab ijs, quae anno nonageſimo ſcripta ſunt, rerum ſeriem ducentes, quatuor annorum progreſſionem ex magno Hiſpanorum epiſtolarum libro, ma-

magno labore erutam, quam planissime poterit persequemur.

Anno igitur CIↃ IↃ XCI. Socij octo in harum gentium cultu versati sunt. Sacerdotes quatuor cum vno fratre in Tucumanibus: tres item Sacerdotes in Paraquariis. hi videntur e Brasilia profecti, cum ijs, qui erant in Tucumanibus, in familiam vnam coaluisse. A Paraquarianis hoc anno nullae litterae. tantum cognitum est, eos multas, magnasq. prouincias peragrare; innumerasq. gentes obire; multaq. animarum millia ex immensa illa barbarie ad Christum quotidie adducere. cuius rei magnam ijs facultatem praebet linguae Guaranicae peritia, cuius vsus omnibus illis nationibus, quamuis proprio quaque idiomate distinctis, est communis. Tucumanum alia ratio est. & nationes plurimae sunt, & proprio quaeque idiomate vtentes, vt etiam anni octogesimi sexti indicant litterae. Quae res propagando in eam gentem Euangelio, & segeti diuinae excolendae magno est impedimento. nam neque ad eos, qui nondum lucem aspexerunt, fidei lumen importari potest, imperitia sermonis: & multi sunt, quibus illatum Christi nomen est, & baptismus affusus: nulla tamen, aut perobscura nostrarum rerum tradita cognitio. Ex ijs multa hominum millia diuinae in iuuandis animabus industriae senex P. Barzana per interpretes edoctus, Christianos fecit. nulli tamen eorum vllius facti compotes sermonis, nunquam inter eos paenitentiae inductum sacramentum; quod, qui cum illis sermone communicent, non sint. Obseruarunt tamen nostri, omnes earum linguarum differentias ad quinque precipue genera reduci; quae late ad multos quaeque populos fun-

duntur, eas his nominibus notarunt, Puquinicam, Tonocoticam, Catamarcanam, Guaranicam, cuius facta modo mentio est; quae est cum Paraquariis, & Brasiliis communis; & omnium vltimam Natixanam. has linguarum diuersitates notāt proximae nostrorum litterae. Gentes Puquinae, Tonocotes, Catamarcae, Guaranies, & Natixae nominantur. vnaquaeque harum gentium magnam habet populorum multitudinem in vnam linguae eiusdem societatem coeuntium. Sed hae notae gentes, vel in potestatem redactae; vel vsu, consuetudineq. aliqua ratione tractatae, multae aliae supersunt adhuc incompertae. Scio superiorum annorum litteris alia prodita esse nomina linguarum. id nullo errore factum est: sed vel quod eiusdē linguae, gentisue plura sunt nomina; vt quam proxime dixi Natixanam, eandē inuenio etiam vocari Mogoznanam: est & alia, quam saepe nominant Zacanam, eandemq. Diaquiticam: alia, quam Famatinam: aliae quoque aliis nominibus notantur; quae, vt non obscure licet odorari, ad vnam aliquam ex illis quinque reducuntur. vel, quod dies multa aperit subinde, quae ante nota non erāt: vt multae ex his gentibus non ita pridem in potestatem venerunt, quae antea erant ignotae. Harum quinque linguarum infractae constantiae, & inuictae industriae senex P. Alfonsus Barzana Lexica, & praecepta grammatica composuit: doctrinam Christianam, catechismum, & librum de confessionis ratione, multis additis precationibus, sermonibusq. conscripsit: labores multum ijs profuturos, qui ad eas gentes se contulerint. consilium fuit, non vt omnes in omnibus percipiendis laborarent, sed vt singuli singulas aggrederentur, in

ijsq.

ijsq. proficerent; atque harum commentationum adiumento aditum sibi aperirent, ad suam quisque gentem excolendam. quod & illos feciſſe est cognitum qui ad Sanctam Crucem in montanis miſſi sunt.

Sed vt ad nostrorum veniamus operam. Apostolicus ille & multis palmarum insignibus ornatus Barzana (ita iam tuto de tali viro loqui fas est) cum annos sex in ijs gentibus summos inter labores exegisset, vna cum P. Petro Annascio è Tucumanibus anno nonagesimo primo in finitimam Paraquariae partem transire iussi sunt. Quam primam vrbem attigere, Conceptio nominatur. hanc Praetoris, qui gentem in prouinciam redegit, annis octo ante nostrorum huc aduentum condidit. In ea Hispanorum ciuitatem collocauit, prouinciaeq. caput esse voluit. haec confusa barbarorum diuersarum linguarum multitudine incolitur, nudiq. omnes incedunt. Multi circa populi nondum plane imperio fideles: qui necdum omnino parere didicerunt. Nullas fixas habent sedes, non segetem, non domum: ex storeis construunt sibi tabernacula: quae subinde mutant ad libidinem. rapto, piscatu, & venatu vitam tolerant. superba hominũ ingenia, saeuaq. & quotidie mutuas in caedes inter se grassantia. ebrietati supra modum dedita. tum, quod est omnium deterrimum, ipsa diaboli consuetudine dirum in modum efferata. Tanta cum eo familiaritate vtuntur; vt neque pueri, neq; adulti illius horreant aspectum. sibilo daemones eliciunt: videntq. multos varia statura, qua altiore, qua humiliore, ascendere e terra. esculenta, poculentaq. ab illis petunt: cibum vna capiunt, cum ijs colloquuntur: multaq. longe absentia, non

raro etiam futura, illis dictantibus cognoscunt: bella etiam discunt imminentia. In bello porro, cum praelium sunt inituri, pridie eius diei spinis sibi, aciculisq. multis in locis linguam perforant; aliasq. corporis partes ijsdē cuspidibus traiiciunt: tantumq. è vulneribus sanguis elicitur; vt totum corpus illitum, carbonum nigrore superfuso, inficiantur. Ita ad aspectū horribiles, & vulnerum dolore irritati, sauciarum ferarū instar, in hostem irruunt amentes. Ipsi inter se parum fideles; & tanquā diuersi generis pecudes saeuit vna natio in alterā. Summum decus est in praelio interfici: & qui ita moriuntur, luctu carent. Nulla in bello maior insania, quam homines interficere. non etati, non sexui, non condicioni parcere. dummodo obuium quenque interficiant, nil pensi habent reliqua. & ille ceteris honestior habetur, qui plura hominum a se caesorum capita suo praefixerit mapali. Est inter eos natio, quae a frontis magnitudine Frontones ab Hispanis nominantur: quales plerique sunt, qui extra Hispanorum vrbem habitant, hi, vt omnium diriſſimi, & diabolo addictiſſimi; ita etiā sunt omnium peruicaciſſimi. Terram colere, aut quodcunque opus facere instar mortis esse ducūt. Atque ea causſa fuit, cur hoc ipso anno Franciscum de Vera, Praetoris fratrem, Dominum suum oppresserint. Is enim vt alimentis terra natis abundarent, eos ad magnas adegit sementes faciendas. Illi labore irritati iracundiam dissimularūt. & cum ad eos Vera cum quinque Hispanis comitibus veniſſet, amice in speciem ab ijs excepti, rati se esse in pacato, armis se exuerant. Tum barbari, impetu facto circumuentos, ac vestibus nudatos, arctiſſimis vinculis constrictos, crudeliſſime ad necem ver-

verberarunt: demũ canibus vorandos obiecerunt. Quae imperij macula illius populi exterminio deleta est. E tam altis radicibus fixo Regno princeps tenebrarum exturbandus est. Sed quam tuto inter tam horrenda monstra versarentur, qui martyrij appetentes, ea tamen donandi palma, iusto Dei Iudicio non sunt? Et has immanes feras ad mansuetudinem adducere aggressus est Barzana. Aliquam ijs cognitionis lucem offudit: & veneration fuit apud barbaros tum Religionis Sanctitas, tum spectata comitas senis integerrimi. Sed nimirum mysteria ijs fidei credere non est ausus, donec certis & statis in sedibus confidant; magno vtique senis, diuini honoris amantissimi, dolore. Vnus omnino est populus in Conceptionensi ditione, Matala nominatur, qui tanquam illa septem millia virorum, non curuauerunt genua sua ante Baal; hoc est inter tam altam barbariem non in insita haesere feritate. Hi & certas sedes, & stata habent domicilia; & ingentes faciunt sementes; vt triginta millia quotannis maycij hanegas (mensurae genus est) colligant. Tum non eadem, qua populi ceteri, sunt immanitate; & Tonocotica vtuntur lingua omnes, quae patribus iam nota est. In hoc populo Barzana cum Annascio sedem sibi posuere: indeq. Conceptionem saepe commeant. Hispanorum praesertim iuuandorum caussa. Praetorem in primis Barzana ad diuinam promouendam causam adiunxit. multumq. & ille Christianae rei, & multo magis Diuina bonitas illius fauet dominatui. cum ita barbarorum mentes temperarit, vt aequo animo illius perferant imperium. In hoc populo strenui Christi milites, inter frugiferos labores, crucis Christi abundantia fruuntur.

aerumnarum, & laborum nulla intermissio: leuamenti item nulla copia. Regio non modo vini expers, sed ne aqua quidem liquida, nisi quae pluuia vasibus excipitur, satis suppetit ad vitae vsum. Fontes, fluuiiq. longe absunt: & fodiendi puteos, aut fabricandi aquilegia nulla industria: &, quod nuper loca haec in potestatem venerunt, nullae adhuc harum rerum artes importatae. Stagna tãtum, & lacunae ex aquis pluuiis locis depressioribus coguntur: e quibus non nisi infecta luto aqua hauritur. poculorum deliciae torridi maycij farina est aquae modice infusa. & ad harum lacunarum vna sita est Conceptio. Alimenta porro quae lautissima sunt, olera, pultes, placentulae, aliaq. ientacula orbiculata, seu alia ratione conformata ex maycij farina. pane prorsus carent: pecora, aliaue altilia, aruis aqua destitutis, nulla procreantur. E lacuna, quae est ad Conceptionem, pisces subinde afferuntur; sed quod terra sale careat, tosti ad prunas, nullo carnium sapore. His deliciis Christi fortissimi athletae corpus firmant, alter quinctum & sexagesimum annum agens, alter prospera parum vtens valetudine: sed diuino amore condiente omnia: nec tamen locum deserunt, quem cepere. Sed quantum in eo, quem excolendum susceperunt, populo profecerint, e capite litterarum, quas Praetor ad P. Prouincialem Ianuario mense dedit anni nonagesimi secundi, summatim cognitum est. Quae, quia Christiano plane animo scriptae sunt, ad verbum referam.

Exem-

Exemplum capitis vnius litterarum Praetoris Conceptionensis ad P. Prouincialem Societatis Iesu. in Peruuio.

DE praesenti, inquit, *rerum statu, quid ego scribam? nisi grates agendas communi omniũ parenti Deo, de immortali, quo nos affecit, beneficio? Heri enim Matalanum populum, idololatram in potestate diaboli videbamus: hodiè recto videmus tramite aeternae salutis semitam inire. A domino factum est istud. Plus enim bis mille indigenarum capita Matalae recensentur: ac minus septem mensibus, cum Deo dilecti patres huc venerunt, nullus est quadrimo maior, qui non optime catechismum teneat. Tanta Christi nomen pietate exceperunt; vt sperandum sit, ad alios circa populos vtilitatem manaturam. Videre est eos ad sacramentum paenitentiae, ad pias preces, ad flagellationes etiam sua sponte accurrere tanta pietate, vt si in media nostra Hispania nati, & educati essent. Missae sacro quotidie intersunt frequentia tanta, vt non possim, ad animi mei fructum diuinam potentiam non admirari: quae illos ad se, tam subitò, tam vehementer attraxit. Et hoc quoque ad merita apud Deum R. vestrae accesserit. Susceperè Patres aliquot Caciquiorum filios instituendos, quos accuratius praeceptis fidei erudiunt; breuiq. spero maximam horum Caciquiorum partem liberos suos in hanc disciplinam missuram. Quo nihil opportunius ad huius gentis vtilitatem excogitari potuit.*

Hactenus res anni nonagesimi primi ex multorum epistolis Ianuario mense datis anno nonagesimo

secundo

secundo. Eodem anno nonagesimo secundo excurrere Patres Barzana, & Annascius trans flumen argenteum, quod Paranaum nominant, ad vrbem Veram, quae alio vocabulo Septifluentia nominatur, triginta duabus leucis a Matala paullo infra confluentia Paraquarij fluminis, & Paranai sitam. Huc a Praetore vocati venere opem laturi Hispanis, & indigenis ijs, qui tum in vrbe, tum in agris versantur; quorum populi & multi sunt, & frequentissimi. Iter fecere per Paraquarium flumen, e Paraquario in Paranaum illati. Fluit Paranaus limpidissimo alueo, semileucae spatio nondum latiore, tum suo liquore, tum impositarum vrbium specie ad aspectum perameno. Et cum ingentem amnem Paraquarium, ac semper turbidum excepit, nihil de sua vndarum puritate deperdit, quin semper argento similes suas vndas trahat: nouoq. quasi naturae miraculo, duo immania flumina, quasi iuncto foedere, intra eundem alueum suum vtrumque retinent agmen aquarum. Antequam ad vrbem Patres venere, obuios habuere vrbis Praesidem, quem vocant Correctorem, & viros primarios cum sclopetariis, & symphoniacis nauigio peramplo. Excepti incredibili omnium laetitia; societatis ministeria tribus mensibus, quibus hic morati sunt, inter Hispanos, indigenasq. exercuerunt. nullus fuit, qui non saepius confessionis sacramentum repetierit; multiq. totius vitae culpas eluerunt. Dominici dies singuli instar erant Dominicae Paschalis, tanta frequentia ad sacram mensam accurrebant. Conciones ad indigenas habuit lingua Guaranica P. Barzana. Sunt in hac quoque ora Frontones, sed more suo vagi, & errones. Guaranies, & Niguarae firmiores. his vt certis sedibus,

& agrorum vtentibus cultura, sacra tuto mysteria fidei committi possunt. Sunt Niguarae gens centum circiter leucas trans Paranaum, ingens multitudo: mitia hominum ingenia: strenui coloni: & iam diu Hispanici commercij & Patrum nostrorũ, qui se doceant, appetentes. His nõ absimiles aliae nationes notae erant infidelium: ad quas frugiferae missiones fieri possent. Quinetiam vnus e militum Praefecti cum valido praesidio ad noua cognoscenda loca profectus, retulit cognouisse se, nõ longe admodum ingentes populos agricolas magna habere domicilia, & auro abundare. Ad hos quoque aperiri posse ostium ingens Euangelio. Indigenas ipsos cupere nostrorum aduentum. spes erat magnae segetis. sed expectatur nostrorum Praesidum imperium.

Per idem tempus Pater Salonius (videntur hi fuisse, qui e Brasilia in Paraquarios transierunr) P. Ortegam, & P. Thomam ad Guairenses miserat. populi hi sunt trans Paranaum. cognitumq. erat, eos ad Christum plus duo hominum millia traduxisse, Tribus circa Septifluentia exactis mensibus P. Barzana, & Annascius Matalam, in suam sedem redire. Quem populum etsi a compotationibus & pergraecationibus non omnino abduxerunt, quin semel saltem hebdomada hibernis noctibus liberius patrio more poculis indulgeant: multos tamen piis monitis eo adduxeruut; vt non modo a compotationibus abhorreant; sed sobrietatis etiam, ac pietatis amatores, quo tempore pergraecantur alij, ipsi ad pias se conferant precationes; ac sexta quaque feria etiam ad flagellationes. Hactenus res anni nonagesimi secundi cognitae.

Anno CIↃ IↃ XCIII. mense Martio P. Ioannes

nes Romerus tribus patribus, & fratre vno comitibus, Potosio discessere, ille vt omnibus, qui in Tucumanibus, & Paraquariis versantur, Rector esset; illi vt quocunque opus esset, ad opem aliis ferendam mitterentur. Itinera sic distribuerunt. quotidie e Sacerdotibus vnus rem diuinam faciebat, reliquis è sacra mensa communicantibus. Secundum sacrificium, idem hortationem habebat, ad strenue diuinam causſam pertractandam. ita in orbem quotidie suam quisque vicem obibat: deq. ijsdem rebus inter se sermones conferebant: & stata praeterea precationi tempora dabantur. inde iter capiebant. Saltam cum veniſſent, antequam rem vllam aggrederentur, quindecim diebus collegere sese; vt totam Dei causſam Diuinae Maiestati commendarent; seq. ad suum digne munus obeundum compararent. Inde Pater Romerus, cum Patribus Laurentiana, & Viana, fratre vno comite S. Iacobum ad Exterrum in Tucumanibus: P. Gaspar Monroyus, & Ioannes Toletanus ad Omoguacas discesserunt. In vrbe S. Iacobo diutius moratus P. Rector multa ad commune totius, ac tam dissipatae familiae regimen, atque ad fidei propagandae rationem ordinauit. P. Barzanam, qui post ipsius aduentum, vt ex eius epistolis licet odorari, videtur, vt optabat, ad gentes Transparanaanas iterum excurriſſe, vna cum P. Laurentiana Paraquarios iussit repetere; atque Assumptionem Paraquariae prouinciae caput proficisci. Cognitum erat, eos circa mensem Augustum Septifluentiis ex itinere substitiſſe; atque ad eas segetes, quas superiore anno cum P. Annascio excoluerat, iterum perpurgandas acceſſiſſe. & vt itinerum ratione dispoſuerant, existimabant se circa Sanctiſſimae

Virgi-

Virginis festum, Assumptione futuros. P. Annascius, & P. Viana ad flumen Bermessum in Domini vinea opus faciebant. P. Rector interim ad Exterrum in excolẽdis Iacobensibus, tum Hispanis, tum indigenis, concione, hortatione, catechismo, Paenitentiae sacramento, sine vlla cessatione vtiliter admodum operam posuit. Instituit vt bis in die indigenarum filii ad doctrinae Christianae scholam conuenientes ea docerentur, quae postea domi parentes suos ipsi docerent. Multorum vitae totius confessiones excepit; multiq. illius opera vitam male institutam retexuerunt. Non omittam narrationem, cuius exemplum similibus euentis, quae non raro accidunt, prodesse possit. Solutioris vitae adolescens offensioni diu ciuitati fuerat. Is in morbum incidit sane grauem: mutataq. in melius mente, Patri ad se accersito, vitae totius maculas euoluit: seq. ad mortem obeundam forti animo cõparauit. Paucis post diebus, ingraescente morbo, iterum Pater a propinquis aduocatus hominem reperit prorsus a suae salutis cura abalienatum: vt neque verbum vllum audire pium, neque Patrem oculis vellet intueri: sacras imagines, quaecunque obiicerentur, refelleret. sensit Pater diaboli fallaciam: aspersiones aquae sacrae, & crucis signum, illa identidem verba iterando, adhibet, quae magnae sciret esse potestatis: *Sanctus Deus: Sanctus fortis, Sanctus, & immortalis miserere nobis.* Eneruata his armis est maligni uis. coepit miser emolliri: narrauitq. paullo ante illustrem quendam virum, magno cum comitatu, splendido vestitu, plumis, faleriſq. superbe ornatum ad se ingressum increpuisse, quod tristis esset; & quod Sacerdotem accersisset. inanes esse vmbras, quae-

cunque

cunque de diuina ope imploranda dicerentur. A quo eum errore cum deducere Pater conaretur, ac IESV nomen iuberet inuocare, nihil impetrabat. Coepit Euangelium S. Ioannis recitare; & cum ad illa verba veniſſet VERBVM CARO FACTVM EST. quaſi e ſomno reſipiſceret, coepit perquam pie IESV nomen inuocare. liberatusq. dira phraeneſi, totus ad pietatem intimis ſenſibus conuerſus, ad extremum vſque ſpiritum ita perſtitit, vt pia quadam voluptate aſtantes affecerit, & non dubia ſuae ſalutis ſigna dederit. Hactenus P. Rector.

Sed non minoris facienda cura fuit, quam de re Chriſtiana promouenda, & noſtrorum labore ſubleuando Fernandus de Zarate, Eques S. Iacobi, & ſummus adminiſtrator prouinciarum Tucumaniae, & Paraquariae, argenteiq. fluminis, ſuſcepit. Is noſtrorum aduentum gratulatus, S. Iacobo pleniſſimas humanitatis litteras ad P. Prouincialem dedit. quibus Chriſtiana plane pietate diuinam illi cauſſam commendat: oratq. ſubinde mittant nouarum operarum ſupplementa. Is diploma dedit noſtris Patribus, quo magiſtratibus omnibus vrbium, ac populorum Rectoribus, & Caciquiis totius ſuae ditionis imperat; vt Patres Societatis ad ſe Chriſtiani nominis propagandi cauſſa venientes, benigno hoſpitio excipiant, atque ſuſtentent. Indigenas pueros, adultoſq. viros, ac mulieres ad Chriſtianam diſcendam doctrinam cogendos curent. Tempus etiam & rationem praeſcribit quotidianarum exercitationum. Quotidie vt matutino tempore ſeſquihoram in doctrina percipienda conſumant. dimiſſo conuentu, ſemihora illis concedatur, ad ea recolenda, quae didicerunt: neque

eo

eo tempore ad opus faciendum adigantur. ac ne cui fraudi sit tempus in Christiana doctrina positum; pensum operis (gossipia enim ferme vel in fila deducunt, vel texunt) quod triduo deberent, reddant quatriduo: irrogata etiam graui multa ijs, qui secus faxint. Haec S. Iacobi ad Exterrum.

Per idem tempus, quo P. Rector Salta ad Exterrum descendit, P. Gaspar Monroyus, fratre vno comite, Ioanne Toletano, vti supra dictum est, ad Omoguacas profectus est. Sunt Omoguacae Tucumanum finitimi: gens bellicosa, & quae Hispanorum armis ausa est obsistere: & nonnulla etiam detrimenta intulit. Habet in eos imperium maximae apud eas nationes auctoritatis Caciquius, cui Viltipocus est nomen: homo ingentis spiritus, ditionis peramplae; cui multi alij obtemparant Caciquij: quem omnes circa nationes aprime colunt: & quasi aliquid humano fastigio maius venerantur. senex hariolis addictus, Hispanis parum propicius: quorum magis arma timet, quam imperio obtemperat: vicissimq. seditionum metu timetur ab Hispanis, non adigitur: & super haec omnia Christianae desertor religionis, graue ate admodum fert, suos ad Christi religionem se adiungere. Prosequuti sunt P. Monroyum Commendatarij aliqui; vt Caciquiis declararent, quanti Patres qui ad eos mittuntur, faciendi sint: aut vt Caciquios profectionis illorum causam docerent. Antequam ad fines peruenirent, in quodam populo baptizauit Monroyus ducentos circiter bene instructos catechismo. quadraginta coniugia Ecclesiastico ritu copulauit. Circa idus Iulias in Omoguacas est ingressus. Metus erat a Viltipoco, ne magnum aliquod obiiceret impedimentum.

Quare

Quare prima cura fuit, illius animum demereri. Igitur antequam ad eum Pater peruenisset, interim dum Euangelij semen in illa spargit infidelitate, misit, qui eum suo nomine salutaret: munera deferret; significaretq. se ipsius, & suorum causſa veniſſe; viam vt omnibus ad aeternam salutem aperiret. Ille vicissim vnum e Caciquiis remisit ad Patrem salutandum: eiq. in mandatis dedit, diligenter, & curioſe Patris actiones omnes obſeruaret: qua doctrina populos imbueret: quid cum illis ageret: & qua vitae innocentia, quamq. procul à cupiditate omni inter eos verſaretur. Qui cum probaſſet omnia, quae vidit, retulit ad Viltipocum. quae res non modice Viltipoci animum ad Patris beneuolentiam inflexit. Inter haec Pater populos quatuor iam luſtrauerat: quingẽtos Chriſto lucri fecerat: centum ſeptuaginta matrimonio coniunxerat. Apparatiſſimum baptiſmum in certam diem adornarat. Nocte, quae eam diem anteceſſit, in domo Caciquij illius populi tanti clamores fragoreſq. auditi; vt funditus euerti domus crederetur: neque vnde tanta tempeſtas oriretur, apparebat. Creditum eſt, infernas poteſtates dolorem ſuum declaraſſe, quem ex diuturna erepta ſibi poſſeſſione perciperent. Venit inde Pater ad Viltipocum cum amico Caciquio, & indigenis aliquibus viris primariis. Homo ſuperbe elatus ſedens ad ſe venientem Patrem excepit. ſtantemq. & amice, modeſteq. multa loquentem diu auditit. neque ad ea, quae à Patre dicerentur, aliud reſponſi dedit; niſi per interpretem ad ſingula: *Bene habet*: idq. magno faſtu, & graui ſupercilio. Sed placuit diuinae bonitati tantum Patri elargiri; vt cum ſaepius hominem adiret, illius ſpiritus mi-

teſce-

tescerent: & qui ante vix Patrem suo aspectu dignaretur, iam illi ad manum osculandam accederet; homines ei ad catechismum ipse cogeret; Patrem suum appellaret; multaq. in eum beneuolentiae signa, multa officia conferret. Et quoniam infensus erat Saltensibus,& Huhuyanibus,Pater de reconciliatione ausus est hominem compellare;petereq. ab ipso; vt, quod iam ipse sua sponte instituisset, pergeret Hispano nomini fauere. Risu ille excepit mentionem Saltensium, & Huhuianum: se tamen in reditu, cum Pater Omoguacas reliquos obiuisset, cum ipso acturum multa de his rebus. Interim omni Hispanorum iniuria abstinuit: idq. se Patris caussa facere significauit. Pater porro ad regionem reliquam obeundam profectus est. Regio est perampla, & bene frequens. Duodecim populos adiuit: baptismo lustrauit adultos ad octingentos: infantium ingentem multitudinem: coniugio coniunxit ducentos & viginti: & praecipue Caciquios, virosq. primarios ita ad Christianam caussam adiunxit, vt ostium ingens Euangelio aperuerit. sed cum iam ex pluuiis flumina augerentur; & stagna crescentia interrumperent itinera; antequã maiora pericula superuenirent; ipso etiam Viltipoco suadente, non sine magno rei Christianae detrimento, coactus est Saltam redire. In reditu iterum adiuit Viltipocum. cuius iussu,longe aliquanto ab itinere, ad eius regiam deductus est; & maiore, quam ante humanitate, & lauto conuiuio exceptus. domus splendide instructa ornataq. eo & apparatu, & dispositione, vt cum qualibet nobilissimi Hispani comparari posset. Et quo maiorem animi propensionem declararet, liberos suos, bona corporis habitudine, & eleganti forma iuuenes

ad mensam ministrare iussit. Multa amice cum Patre colloquutus, monita nonnulla ei dedit; qua ratione loca illa caute forent peragranda: & tum ipse, tum eius familiares omnes Sacerdotem nostrum tanquam Patrem venerati sunt. In discessu duo postulauit: & vt se Deo suis precibus commendaret; & vt, sedatis inundationibus fluminum, redirent ad opus prosequendum. Abeuntes præterea Patrem cum comite, cum ad populum quendam peruenissent, misit qui muneribus & cibariis donaret. Ita, praeter lucem illi genti illatam, id accessit commodi ad rem Christianam, publicamq. vt, quod votis omnium expectabatur; neque legationibus, neque armis Hispani consequi vnquam potuerunt, vnius inermis Sacerdotis modestia, diuina ope nixi Caciquius ille Hispanorum terror pacaretur.

Anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto ineunte, P. Rector ex vrbe S. Iacobo, vbi diu moratum esse supra diximus, relicto ibi P. Ioanne Vianna, in Paraquarios descendit. Septem per idem tempus Sacerdotes, praeter P. Rectorē video in Paraquariis versatos esse: P. Alfonsum Barzanam, P. Thomam Fildium, P. Emanuelem Ortegam, P. Ioannem Salonium, P. Marcellum Laurentianam, P. Petrum Annascium, & P. Gasparem Monroyum. nam etsi ex his duobus postremis Monroyus Saltae sedem habuit, & Annascius e flumine Bermesso, quod est inter Paraquarios & Tucumanes, per Quadragesimam S. Iacobum missus est: tamen per aestatem & Monroyus Omoguacas, qui ad Paraquarios pertinent, repetere; & Annascius se cum illo cōiungere iussi sunt. ita octo omnino in Paraquariorum auxilio laborarunt: de singulis pauca dicenda.

Ac

Ac primum de ijs, de quibus pauciſſima cõperta ſunt; P. Thomas Fildius, & P. Emanuel Ortega in prouinciam Guayram, quae eſt inter Paraquarios, & Braſilios, ad argenti flumen miſſi erant. Villaricae eius orae vrbe ſedem habebant. inde ad innumeros populos iuuandos excurrebant.

P. Gaſpar Monroyus, cum per itinera exundationibus libera licuit, ad ſuperioris anni apoſtolatum rediit ad Omoguacas. Per menſem Iulium P. Annaſcius, vt ſe cum illo coniungeret, S. Iacobo diſceſſerat. Et quoniam cum ſupremo totius Adminiſtrationis Praetore iter faciebat, facultas ei eſt oblata noſtra exercendi munia cũ multis gentibus lingua, Hiſpanica, Quichuacana, Tonocotica, & Zacana. gentes luſtrauit multas, apud quas cum recens adhuc ſui Apoſtoli Barzanae memoria vigeret, benigniſſime exceptus eſt. ſed, quod iter proſequi cum Praetore cogeretur, illorum votis abunde ſatisfacere minime potuit. Incredibile eſt, quanto Sanctiſſimi ſenis Barzanae ineſcati pietate noſtrorum hominum deſiderio tenerentur, quantaq. auiditate ſermones audire de diuinis rebus expeterent. Eſt Tucumanum ciuitas, cui a S. Michaele nomen eſt, eius orae indigenae Lules appellantur: omnes ab eodem Barzana ſacris noſtris initiati. Sed poſt illius diſceſſum, operarum paucitate, nullus e noſtris ad eos redire potuit: & quod fera gens eſt, & bellicoſa, Sacerdos alius nullus ijs ſe committere auſus eſt. at P. Barzana in media illa barbarie magna tranquillitate verſabatur. quin illi obuiam ptodibant, cum populos ſingulos obiret, cum ſaltationibus, tripudiis, aliisq. laetitiae ſignificationibus gentis more, excitatis arcubus, indicibus triumphi. His quoque ne nunc quidem fieri potuit

atis, magno merore Annaſci. Querebantur miſeri vna cum S. Michaelis ciuibus, ſe cum maxime ope indigerent, & a P. Barzana, & a Societate deſtitutos, qua lege viuerent, ignorare. De tota re ſcripſit ad P. Rectorem Annaſcius accurate: laboreſq. Barzanae, vna cum tot animarum millibus ne interirent, obſecrauit. Menſe Septembri, Praetoris itinere relicto, tranſiit ad Monroyum in Omoguacas. Magnae admirationi fuit Annaſcio, quanta ſibi beneuolentia Monroyus eius gentis animos deuinxerat, quantaq. ipſum reuerentia proſequerentur: vt eum & fratrem comitem cum viderent, duos caeleſtes homines videre ſe arbitrarentur. Statim culturae gentis vterque manus admouerũt. Qui ſuperiore anno baptizati erant, ad confeſſionis ſacramentum, reliqui catechiſmo ad baptiſmũ inſtituebantur. Hactenus de hac Miſſione Annaſcij litteris IV. non. Octobres datis decimo tertio die, quam venerat in Omoguacas cognitum erat.

Iam P. Barzanam, cum P. Laurentiana cognitum eſt ſuperiore anno Aſſumptionem vrbem Paraquariae caput P. Rectoris imperio veniſſe. Ad hos ſe P. Salonius adiunxit: praerat his P. Barzana, ergo, menſe Nouembri ineunte, eodem anno P. Salonium, & Laurentianam ad multos circa populos partim fideles, partim infideles miſit: vt ad Quadrageſimam redirent Aſſumptionem: qui ad diem magnis cum manipulis redierunt. Nec plura de illorum miſſione cognita. Interim Barzana ſolus Aſſumptionenſibus Hiſpanis, & indigenis bene validus initio ſuffecit. Sed dum feſſus aetate laboribus attritus, ſupra vires contendit, in lentum, & moleſtum morbum incidit: vt ſi vno die in opere vtcunque verſaretur, biduo deinde, aut triduo ei labor

labor esset remittendus. Tum sibi ipse grauis, vitae molestias pertaesus, serio coepit Christi senex amantissimus alteram & manentem vitam intueri. Repetebat animo quot olim secum ex Hispania veniissent; quam multos in ijs transmarinis oris e Societate reperisset, quam multi postea sequuti essent: & eorum plerosq. iam videbat ad suum transisse conditorem; illorum beatam sortem adamabat. se tamen totum Diuinae Prouidentiae & suorum Praesidum obedientiae permitebat. Optabat tamen si reualescceret, non in Hispania, aut Limae, aut Cusquij tranquillam senectutem agere, sed perpetuo in opere inter Niguaras, gentem mitissimam, omnium expertem vitiorum, simplici coniugio contentam, & qui nuper Hispanos ad imperium vltro in suas terras accersierant; id modicum quod sibi daretur aetatis transigere. cum praesertim tum illi, tum ij, qui ijs praeessent, Hispani, Sacerdote prorsus carerent. Hi erant aerumnosi senis labores: haec hominis sua senecta dignissimi optata, cum P. Rector superuenit. cuius aduentum, idem scribit senex, suae decus aetatis, fuisse tanquam opportunum imbrem Aprili mense agris sitientibus. Ita sui pastoris praesentia admirādus ille senex in vigorem pristinum reualuit. Rector ipse suis concionibus, & doctrinae copia ciuium omniū animos sibi deuinxit. Magnam in magnis rebus egregiamq. praestitit virtutem. nihil vt non ab illo, quamuis arduum, explanatum sit. multa ad praesentem rerum statum composuit. aedes nostrorum domicilio coemit: eamq. P. Barzanae senectuti quietam sedem esse voluit: Latinae linguae schola docēdis Hispanorum liberis aperiri iussit: pondus totum in P. Barzanae senium incubuit. cui rei

matutina tribuebat tempora: pomeridiana ad indigenas iuuandos conferebat. His officiis permota ciuitas, sede iam constituta, templum nobis aedificandum suscepit. Sub idem tempus, quo P. Rector Assumptionem venit, redierant ad diem dictam, multis obitis gentibus multo cum fructu Patres Salonius, & Laurentiana. Ita partiti inter se opera distribuerunt: vt P. Rector doctrina, & confessionis sacramento Hispanos excoleret: quaestiones de conscientiae iure explicaret: P. Salonius diu noctuq. Hispanorum indigenarumq. confessiones exciperet, tum virorum, tum feminarum: P. Laurentiana, dum ingentem puerorum numerum catechismo instruit, Guaranicam linguam addisceret: P. Barzana latinae linguae scholam, & indigenas in fide promoueret.

Hactenus ad VI. id. Maias anno CIↃ IↃXCIV. quo die postremae nostrorum litterae ex ijs locis datae sunt, Christiana res in Paraquariis processerat.

Praeter haec litterae a supremo harum Prouinciarum Praetore ad P. Prouincialem Ioannem Sebastianum acceptae erant XV. cal. Nou. superioris anni datae. quae, quoniam praeclarum nostrorum laboribus testimonium dant; & magnum gentium indicant numerum, quibus Euangelij lux inferri potest, dignae visae sunt, quae annalibus hisce ad verbum inserantur.

epis

Epistola Praetoris Tucumaniae, Paraquariae, & Argentei fluminis ad P. Prouincialem Societatis in Peruuio.

SAEPIVS ad P. Ioannem de Atienza litteras dedi, vnaq. cum ijs descriptionem harum trium prouinciarum, Tucumaniae, Paraquariae, & Argentei fluminis, ad vsque fretum Magellanicum. docuiq. Hispanorum copias, quae olim cum Episcopi Placentini classe amissae erant, ad flumen consedisse, quod e Chilensibus montibus descendit, secus mare Norticum. neque his septuaginta annis vllo conatu inde potuisse aut ad Chilem, aut ad has prouincias, aliasue Hispanorum ditiones, nostris culpis obstantibus euadere. nosq. tam segnes fuimus, vt tanto interuallo temporum nulla, ne vnius quidem Sacerdotis legatione, miserorum solati simus solitudinem. Sedem habent infra Portum boni aeris, ad fretum Magellanicum, leucis circiter centum triginta à sedibus quorundam Hispanorum, qui ad hanc pertinent administrationem; vt certis ac fide dignis auctoribus Praetores superiores testatum reliquerunt, & Ducum etiam nomina prodiderunt. Qui cum in tanta sint diuinarum rerum inopia, res postulat, vt V. P. de opportuna illis ope mittenda cogitationem aliquam suscipiat; idoneis ad eos diuinarum rerum ministris transmittendis; numeroq. Sacerdotum in his terris augendo. vbi tantus animarum est numerus; vt in his duabus tantum prouincijs Tucumania, & Paraquaria, cum proximum factum est lustrum, censa sint indigenarum capitum quingenta millia, eorum, qui operi faciundo sunt idonei. eorum

autem, quos census praeterijt, si cum censis coniungantur, summa decies centena, & quingenta millia transiliet. praeter eos, qui nondum in potestatem sunt redacti. Et sane mirum est, quanta apud has gentes Patrum sit auctoritas, quanta efficacitas. nam praeter ea, quae in his prouincijs, quae parent imperio, gesta sunt; ab vno illo, qui Saltae consedit, res audio miraculo similes gestas esse. Siquidem Viltipocum Omaguacarum Caciquium, magnae potentiae tyrannum, apostatam, & plus triginta annis perduellem, cum imperio reconciliauit; ac plus mille hominum capita in eius ditione baptismo expiauit. Aduentus P. Rectoris nostrum teporem excitauit; mihiq. animos addidit, Paternitati vestrae vt supplicarem, nos huius ciuitatis, quae administrationis totius caput est, ciues tanta gratia dignetur, multos vt huc Sacerdotes destinet: in ijsq. vnũ, qui liberos nostros & latinis litteris erudiat; & studio & disciplina Christianos efficiat. Vestram rogamus Paternitatem totam rem suscipiat, ducemq. se praebeat, non quingentis hominum millibus, quot in Peruuio censentur; sed vt vere sunt, decies tenies; ac quingentis hominum millibus, ac multo etiam pluribus. nam si mulieres numeres ac paruulos, pluries decies efficient. Horum hominum mitia ingenia Patrum humanitati facilius se dabunt, quam armis & militibus vincentur. arma enim, & bella non nisi ad animas orco detrudendas, & terris vastitatem inferendam sunt vtilia. Age igitur Pater obseruantia dignissime, spiritualem hanc suscipe militiam. ingens iste animus in hanc se demittat expeditionem: quam plurimos ad hoc praelium transmittat duces: qui millia multa prae se animarum agmina ad Empyreum triumphum praemittant.

tant. Sacrosanctis sacrificijs, precibusq. Paternitatis V. me totum trado. Datum S. Iacobo ad Exterum xv. calendas Nouembres CIↃ IↃ XCIII.

Hactenus de Tucumanibus, Paraquariis, & Paranaanis, ad annum nonagesimum quartum, supra millesimum ac quingentesimum cognitum.

MISSIO AD SANCTAM Crucem in Montanis.

DE Missione ad Sanctam Crucem in Montanis, gentibusq. ad eam pertinentibus superioribus annis, praesertim octogesimo sexto, octogesimo nono, & nonagesimo copiose satis scriptũ est. Proximae post superiores litterae, quatuor item vt Paraquarianae, & Tucumanicae, a nonagesimo primo, ad nonagesimum quartum continent annos. Quo tempore à primo nostrorum in eas gentes ingressu, Christiana res feliciter admodum progressa est. Anno ipso nonagesimo quarto turbari aliquid coeptum est. Sed id suo loco videbimus. Duo fuere per id tempus prouincia tota conuentus Hispanorum: Sancta Crux, quae in Montibus, a quibus nomen habet, sita est, & S. Laurentius: loca alia minora per omnes eas gentes, ad prouinciam adiuncta plurima, immensa fere camporum planicie dispersa. Quatuor in ijs locis Sacerdotes, adiuncto fratre vno comite, versati sunt: P. Didacus Martinius, totius moderator Missionis; P. Didacus Samaniacus, P. Dionysius Velascus, P. Andreas Ortizius, & Ioannes Sancius adiutor illis datus. Hi quatuor instar sunt diuersarum Missionum: quod ob linguarum diuersitatem suam quisque gẽtem,

tem, cuius linguam nouit, suscepit instruendam: vt perspicue litterae docent anni nonagesimi. Idem certis anni temporibus obseruata tempestatum opportunitate, liberis ab exundationibus, & stagnationibus aquarum itineribus, suas gentes excurrendo, infinitum prope hominum numerum ad baptismum adduxerunt; catechismo, & confessionis sacramento excoluerunt; Christiano matrimonio coniunxerunt. & horum maxima pars a multiplici coniugio, & damnato vitae genere abducti. Qvae quadriennio toto ab ijs gesta sunt, e multis pauca, ob litterarum infrequentiam cognita sunt. ea suis annis distributa proponentur.

Anno igitur nonagesimo primo remisit tandem pestilentia, quae superiore anno, vt tum scriptū est, inter Cianes grassata, mortales multos absumpserat. Sed neque huic anno sua funera defuerunt. nā eo perfuncti malo, noua mox calamitate excepti sunt: vt bene de illis P. Velascus, qui tum inter eos versabatur, illud Ioelis vsurparet: *Residuum erucae comedit locusta*. quibus enim pestilentia pepercit, eos fames, sitis, & ex vtroque malo noua orta genera morborum afflixere. infelix, & noxium cibariorum genus pestem miseris infudit. anni sterilitas eos ad tantam penuriam adegit, vt radicibus quibusdam tenuis admodum, & praui alimenti vescerentur: quae ingestae stomacho, perniciem ipsi afferebant. ex ijsdem magno labore liquorem ad pocula expressum adhibebant, nihilo stomacho ipsi, quam cibaria salubriorem. Arbores apud eos sunt palmarum similes; e quarum fructu oleum nuper exprimere coeperunt, quod Velasci iudicio, cum oliuo bonitate comparari potest: sed breuissimae integritatis. Non enim vltra triduum, aut sum-

summum quatriduum stat illi suus honos. inde viciatum cum tetro odore putrescit. Atque id genus esculentis etiam Velasci vita, quod nulla alia cibaria suppeterent, fuit sustentanda. proinde neque ille morbi euasit feditatem. Caussa autem tam arctae necessitatis non tam fuit regionis infelicitas, nam alioqui maicio,& oleribus abundat,quam imbrium defectus, & annorum siccitas: cum, aruis fruges non reddentibus, meti nihil potuerit. Ad haec mala accessit maximum, & intolerandum malum sitis. Fontes enim, aut riui apud eos nulli sunt. Lacunae, in quibus aqua pluuia restagnat, ex diuturna caeli, & agrorum siccitate, prope omnes exaruerant: eratq. e remotissimis locis vna, & interdum altera leuca aqua petenda: eaq. neque potabilis, neque pura; sed ex coactis sordibus infecta, tetra salsedine horrorem faciebat. Quibur incommodis stratis passim mortalibus, quantum laborum Sacerdoti vni suppeditauerit, vel inde conijci potest, quod in agros ad septimam vsque leucam confessionibus excipiendis aegrotantium P. Velasco persaepe fuit accurrendum. Multas praeterea ad omnes circa populos sua sponte, febri quanuis nondum plane liber, profectiones suscepit, magno cum aegrotantium neophytorum bono. qui omnes eo verae pietatis sensu periculosum illum agonem subiuerunt; vt salutis suae signa non dubia relinquerent. Neque minus quam cum morbidis, cum maleficis,& dirarum superstitionum sacrificulis laborandum fuit. Ii enim occasione vsi, quam temporum dabat inclementia, homines à confessione, aliisq. sacramentis auocabant: paruos natos, ne baptismo expiandos traderent, deterrebant; minas etiam dirarum intentabant, ob Chri-

stiana

stiana susceptа sacra, ob multiplicia coniugia relicta; ob deserta inferorum sacra, eam pestilentiae, sterilitatis, siccitatis, famis calamitatem caelitus immissam. ad pristinas redirent superstitiones; deserta piacula repeterent, pestem ab eorum finibus depulsum iri. Sed cũ exsecrandis religionibus multum saepiusq. operati nihil profeciſſent, prolixae illorum pollicitationes conciderunt; & ipsi vel suis ipsis contemptui esse coeperunt. Neophyti vero Sacerdotis nostri confirmati concionibus, ad diuinum auxilium respicere coeperunt. opportuno tãdem imbre recreati, diuinam agnouere miserationem. ita nulli pene iam sunt in tota Cianum natione, qui non omnem spem suam in Christi Domini ope collocarint.

Per id tempus P. Martinius, & P. Ortizius Sancta cruce consedere. qui quanto rei Christianae auxilio fuere, e litteris D. Laurentij Xoarij a Figueroa Praetoris ad P. Ioannem de Atienza tum Prouincialem intelligi potest: cuius illa verba sunt. *Nobiscum fuit P. Andreas Ortizius, cuius sanctis precibus, aliorumq. Patrum Deus O. M. peculiari quadam, atque adeo admirabili prouidentia hos nobis populos retinuit in fide. multas expedijt difficultates, multis occurrit calamitatibus, quibus ne magnis quidem copijs, neue artibus, & diligentia obuiam iretur, quanto minus his rebus omnibus nobis destitutis.* Hoc nostrorum laboribus testimonium dat vir clarissimus. P. Didacus Samaniacus in Vrbe S. Laurentio sex, septemue mensibus moratus, Augusto exeunte, ad suam Prouinciam Itatinos cũ Sancio comite profectus, eos, qui reliqui erant infideles, Christianorum numero adiunxit. Neophytos reliquos confessionibus, & diuini verbi pabulo exco-

excoluit. Et ad confessionem studiose illi quidem accurrebant; ad matrimonia vero contrahenda non item: quod ab hariolis decepti persuasum sibi quisque haberet, qui matrimonium Christiano ritu iniret, ei esse moriendum. & hunc quoque errorem fuere dedocendi. Sex tantum populos mensibus tribus obiuerunt: quod diutius propter imminentes exundationes campestri illa planicie peregrinari non liceret. Quibus diebus apud eos versati sunt, duas admiratione sane dignas illius gentis consuetudines animaduerterunt. quarum prior in excipiendis hospitibus, etsi ridicula est, non cognitionem habet iniucundam. eam litteris anni octogesimi noni summatim tantum indicatam, paullo planius Sancij litteris hoc anno datis explicatam exponemus. Is qui peregre venit, siue aduena ex sua patria, siue domesticus ex alia regione redeat, tectum ingressus, insalutatis omnibus, in lecto, qui vel ex rete vel ex stragulo pensili constat se componit. eum mulieres tacitae circumsistunt, post quasi signo dato ab hospite, fit initium ploratus. eius fletum mulieres ingenti excipiunt complorationе. inde transit in vicinas aedes, & familias lamentatio, latius, angustiusue manat, pro dignitate hospitis. diceres ingens commune malum accidisse; ita ingenti eiulatu tota personat vicinia: hospitis, maiorumq. ipsius facinora, vt in funere nostrorum praeficae commemorant: tenet luctus, quandiu plorat hospes; eo cessante, conticescit fletus: hospitiq. pro copia lautiae praebentur. Altera est consuetudo non modo laude digna; sed qua gentibus omnibus praestare videantur. Tubis enim, tibiisue certa inflatis ratione, ita, quod volunt, significant; vt & longe audiantur; & perinde ac si expressis

preſſis vocibus loquerentur, intelligantur. neque tamen ab ijs, qui eorum linguam norunt, quae ſignificantur, percipiuntur, niſi diu apud eos verſati ſint. Et cum in quodam eius gentis populo noſtri penuria commeatus laborarent, die quodam bene mane magnus feminarum numerus cum paropſibus farinae, eſcarumq. aliarum plenis praeſto fuere ad eorum inopiam leuandam. Miratus Samaniacus rei inſolentiam, Caciquij imperio id facere iuſſas accepit: buccinamq. illam, quae pridie ſub noctem ſtrepuiſſet, id ſignificaſſe. Ne illud quidem ad cognitionem ſaltem erit inutile referre. Liquor hic ex arbore exprimitur, qui lingua Guaranica Lurupicay nominatur, magnae ad molarum dolorem ſedandum efficacitatis. ita morbum omnem depellit vt amplius non redeat. id multorum experimento comprobatum. Ex eo vaſculum in Peruuium ad P. Prouincialem miſſum eſt: ad periculum faciendum, an eadem illi ſit in alieno caelo virtus.

Eſt magni inprimis momenti ad rem Chriſtianam noſtrorumq. labores promouendos, Praetoris integritas, & ardens in his oris propagandae ſtudium religionis. Huic, vt etiam litteris anni nonageſimi ſcriptum eſt, mercedis loco, & in compenſationem meritorum Regia benignitate Ciucuitus prouincia pacata, & opulenta decreta erat; ſtatuit tamen, ſui contemptor emolumenti a commiſſa ſibi ſtatione non recedere; vitamq. omnem, & rem familiarem prodigere in vtilitatem harum gentium, flagratq. in dies ſtudio maiore nouas gentes ad Chriſtum adiungendi. quae res incredibile eſt quanta voluptate omnium tum Hiſpanorum, tum indigenarum, ſed noſtrorum maxime animos affe-

affecerit. Expeditionem cogitabat ad Moxios, ignotam adhuc gentem aperiendos, nec sine nostrorum Sacerdotum comitatu. Sed erant & Sacerdotum, & copiarum e Peruuio expectanda supplementa. Hactenus res huius anni cognitae.

ANNO nonagesimo secundo, durante adhuc siccitate e Cianibus alios circa populos, & Sanctam Crucem vsque terrae sterilitas, & cibi potusq. penuria peruasit. ea propter primis tribus mensibus nostri omnes in vrbe S. Cruce continuere sese. Sed crescente in dies fame, sitiq. postulauit a Praetore ciuitas; vt quod erat in lege a primis temporibus, quo condita vrbs est: si quid incommodi eueniret: sublatis munitionibus, alio sedes transferretur. Nam triginta annis ante is locus ponendae vrbi tantisper lectus est, dum sedes ad muniendam vrbem, ciuitatem frequentandam; caeli salubritas, soliq. fertilitas ad ciuium tuendam vitam opportunior reperiretur, Adueniſſe aiebant tempus transferendae ciuitatis, & inhospitalis caeli deserendi. Enimuero ardua res, & multis partibus impedita petebatur; & ad quam matura deliberatione opus esset & tamen vrgens malum remedio praesēti indigebat. Placuit igitur in re praecipiti, & dubia, nec totum reiici, nec totum suscipi negotium. Missi Aprili mense exeunte Hispani milites ad quinquaginta cum magno indigenarum numero ad interiora terrae exploranda, cibaria accersenda, & locum condendae Vrbi deligendum. Venere in late patentem, & feracem regionem, venatu tanto, piscatuq. abundantem, vt famelici quique maycium, & torridos in commeatum panes aspernarentur; assoq. ferino vires inedia exhaustas satis superq. reficerent. dies fuere,

qui-

quibus, ne vna quidem fistula disploſa plus octingentos apros in plagas impulerunt. ceruorum, aliarumq. ſylueſtrium ferarum nullus numerus. Eſt genus piſcium in illa ora, quos illi ſuo vocabulo nominant Zubibios. Horum in piſcoſa palude plus mille iunctos videre tanta corporis menſura, quãta quadrimus puer eſſe ſolet: vt aliorum generum piſces quamplurimi contemnerẽtur. Regio ampla, & quae infinitae altrix eſſe poſſit multitudinis. Hinc in primos fines venere Ciquitorum. ita hi ab Hiſpanis appellantur. quo nomine ipſorum lingua breui ſtatura homines notantur. neque tamen a breuitate corporum eſt genti nomen inditum: ſunt enim iuſta menſura homines, & corporis habitudine probanda: ſed quod domibus, domorumq. ianuis ita humilibus vtantur, vt pygmeorum videantur domicilia. neque enim, niſi prono corpore eas licet ſubire. nudi incedunt viri: feminae breui tantum tegumento aduelant corpus. Cubant anguſtis in grabatulis, a ſolo ſublatis, ita breuibus, vt niſi contrahantur crura extra porrigantur. grabati ipſi nudi nulla ſtrati veſte, nulla culcitra, e teretibus paxillis bifariam diffiſſis ratium inſtar ſunt compacti; conuexa lignorum ſtratacorpora excipiunt, plana facie ſecturae ad ſolum verſa. quae cubilia, vel priſcis illis monachis, qui aſperrimo vitae genere orientem illuſtrarunt, plus aequo dura haberentur. Regio planicie, campis, collibusq. diſtincta, riuis paſſim, fontibusq. irrigua; colles grata opacitate perameni: caeli temperies, quantum trimeſtri ſpatio notari potuit, qua melior Peruuio tota nulla reperitur. ferunt maycium, & olera. Affirmant harum rerum periti, quae natura loci eſt, & triticum, & vineta, & arbores reliquas, quae ſunt

in

in Hiſpania, hic ſeri poſſe, certa ſpe fertilitatis. Gens eſt multo, quam ſibi Hiſpani perſuaſerant, frequentior; & pro regionis natura, multarum rerum copia abundans. Nulla apud eos religio, diuini numinis nulla cognitio: nec quidquam norunt, niſi quae naſcendi finibus, & moriendi continentur. quae res ad inferendam ijs veri Dei reuerentiam, multo eſt expeditior, quam ſi ſuperſtitiones eſſent reuellendae. Ante annos triginta exercitu Hiſpanorum huc è Paraquariis infuſo, bello tentati, cum reſtitiſſent, ingenti clade affecti ſunt. aiunt vno praelio, eorum ad octo millia conciſa eſſe, ex eo tempore ſuo malo docti, ferociam poſuere. Nunc Hiſpanos aduenientes ſumma humanitate exceperunt; obuia liberalitate ijs occurrentes; benigne ad victum omnia ſuppeditantes, quam hoſpitalitatem, comitatemq. milites, Ducis maxime iuſtitia, diligentiaq. pari modeſtia, humanitateq. compenſarunt: vt omni prorſus maleficio abſtinerent. Locus aedificandae vrbi maxime opportunus lectus eſt. Eo miſſi per Auguſtum menſem e S. Cruce alij milites ad ſexaginta; indigenarum plus quingenti; qui in ea colonia collocarentur, & cum ijs P. Didacus Martinius. circa S. Matris natalia peruenere. Praetor interim de expeditione ad nouas gentes ſollicitus ſe S. Laurentium tranſtulerat, vt ibi ſupplementa expectaret e Peruuio. Cumq. ibi cum P. Samaniaco, qui ex Itatinis iam redierat, moraretur; miſit extremo vere quadraginta milites cum indigenarum magno numero ad iter in eas gentes explorandum, quas cogitabat ad prouinciam adiungere. Ii populos ſane frequentes repererunt; ſed gentem ferarum in morem immanē, & crudelem. Pagi quamuis modicis diſiuncti finibus,

bus; lingua tamen atque animis ita diffident; vt continentibus bellis sese mutuo conficiant. Victoriae finis est, caesorum vesci cadaueribus: neque vllus apud eos esus carnium, nisi humanarum. metallorum nulla copia. ad colendam terram, & dura caedenda, cultris grandibus vtuntur, ad similitudinem eorum, quibus pecudum cadauera nostri laniones dissecant. ij ex durissimo silice conficiuntur; ijsq. durissimas quasque, & ingentes secant arbores. Erit operae pretium illos imperio subiicere, si nulla alia de caussa, saltem vt tanta humani generis iniuria prohibeatur. Per eorum fines iter dum fecere milites passim assata, ac semesa humana mẽbra,& proiecta inuenere. Ipsimet ab vno ad alterum populum Hispanis duces se praebebant: non tam vt Hispanis commodarent, quam vt eorum auxilio vel hostes suos pessundarent, vel ab hostilibus iniuriis se vindicarent. Sed nulli fraudi fuit in Hispanos hospitalitas. plerique cum imperio conciliati, & in societatem allecti Hispanorum. Verum auctis itinerum difficultatibus interiectu montium, magnitudine pluuiarum, ope interpretum, & itinerum ducibus destituti, longius progredi prohibiti, quarto decimo quam discessere die, magno eorum numero, quos sibi in itinere adiunxerant, adducto rediere.

Per id tempus Praetor paullo post emissam cum P. Martinio coloniam, ad vrbem nouam condendam, & ipse cum P. Samaniaco, & quinquaginta militum comitatu eodem se contulit. Praetoris aduentu muniendae vrbi manus admouentur: ipsoq. die a Natali Domini tertio, solemni religione, publicaq. laetitia, vrbe tota iam descripta, Praetoris manu crux defixa est primordia futurae ciui-

ciuitatis. Vrbi nomen impositum, a S. Iacobo ad portum. Hinc ad colonias in Timbuyos, aliasq. gentes deducendas speratur gradus facilis futurus: magnumq. momentum ad imperij firmitatem accessurum. paribus enim inter se spatiis distabunt ciuitates tres, S. Crucis in montanis, S. Laurentij ad propugnaculum, & S. Iacobi hæc ad portum. quinquaginta enim ferme leucis altera distat ab altera. Lingua vtuntur a Gorgotaquana, cuius est vsus ad S. Crucem, non absimili. Et quoniam regio tota infidelium est, rebus vrbanis constitutis Patres vicissim vterque omnes circa populos obiuere, agnitionem veri Dei, & diuinae legis lumen importantes. In ijs excursionibus plus mille pueros, infra octennium omnes, parentum permissu baptismo expiarunt. ex adultis pauci admodum aegroti: quo minus multi eo beneficio afficerentur, impedimento fuit linguae imperitia; quod non ita commode imbui possent catechismo. Has felices primicias, tum gentis huius, tum Timbuyorum, quorum duo sunt populi finitimi Ciquitis, delibarunt. Consilia inibant interius adhuc ad Timbuyorum sedes penetrandi: venere enim tum ab ijs, tum ab aliis gentibus aliqui rogatum Sacerdotes, vt ad se docendos, & baptismo expiandos ne graue ducerent venire. sed a P. Prouinciali fratrem comitem expectabant, qui vna cum Sacerdote proficisceretur. nam Hispani comites terrori sunt indigenis. Dum ijsdem excursionibus Samaniacus populos circa positos obiret, res forte contigit non sine euidenti diuinae praedestinationis documento. In vicum quendam venerat cum Praetore, vt singulas familias censeret, erat domus aliquanto a cereris seiuncta. inuecta subito

est Praetori cogitatio, census initium ab ea faciendi. accedunt: vident ante aedes ad hominis sepulchrum specus effossum, crassis asseribus occlusum; homines ad fossam humo operiendam iam paratos. rogat Pater, vt sibi videndi mortui potestas fiat. tollitur vnus ex asseribus, tum is qui conditus erat, caput erigit, & aspicit astantes. mox altero quoque assere sublato, iubet Pater, hominem prodire. prodiit ille suis pedibus. erat hic adolescens viginti circiter annorum. Et, quoniam adhuc multum animae supererat, & integris ille vtebatur sensibus, expediteq. loquebatur, infusa illi per interpretem caelestis numinis cognitione, catechizatum Pater baptizauit; superuixitq. a baptismo vltra horam quartam & vicesimam. Rogati incolae, cur adhuc viuentem, & spirantem infodissent; responderunt, ipsum sua sponte suo se sepulchro inclusisse; quo se viuere non posse certo sciret. eamq. gentis esse consuetudinem; eos, qui se viuere amplius nõ posse sentiunt, sepultura sibi mortem anteuertere.

Sextum iam mensem ad nouam S. Iacobi ciuitatem in Ciquitorum finibus Patres exegerant, Martinius, & Samaniacus; cum P. Martinius anno CIↃ IↃ XCIII. mense Martio, relicto in Ciquitis Samaniaco S. Laurentium repetiit; ne ea sedes tandiu Sacerdote Societatis destitueretur, iter fecit per Iores, gentem, quae nuper Hispano nomini pacata erat; in quibus ad centum decem circiter baptizauit infantes, & aegrotos adultos nonnullos. ex vtroque grege aliqui ad caelum e vita emigrarunt, primiciae vtique eius gentis caelo inferendae: non dubia enim suae salutis signa reliquerunt. Haesit apud eos Pater viginti circiter die-

diebus, fluuiorum exundatione per depressas planicies retentus. Sed exundationibus iam decrescentibus, S. Laurentium non sine magno vitae discrimine peruenit. Interim reliquum anni tẽpus in adornandis apparatibus insumptum est. Praetor colonias in nouas gentes cogitabat: socij ad ingentes animarum greges in Christi sagenam cõpellendos se parabant: sed expectabant vtrique supplementa e Peruuio, nostri operarum ad sementem Euangelicam; ille copiarum, & bellici totius apparatus. sed lenta spe vtrorumque consilia retardabantur. E Peruuio enim anno toto ne litterae quidem adhuc venerant, quae res incredibili omnium animos sollicitudine affecerat.

Hic erat adhuc rerum cardo in his locis: exorsus magnarum rerum, & dilatandi Euangelij spes in multas gentes; cum anno CIↃ IↃ XCIV. cognitum est, Sacerdotes tres P. Hieronymum Andioniuni cum duobus qui proxime venerant ex Hispania, P. Aloysio Miranda,& P. Angelo Monitula,adiuncto fratre vno Bernardo a Platea Augusto mense superioris anni e Peruuio in hanc Missionem discessisse: eosq. ad linguam quenque suam addiscendam in ipso itinere aggressos esse: & iam confessiones audire, & sermonem ad populum habere: multos tum infantes, tum adultos Baptismo ad Christum adiunxisse; multos etiam Christiano matrimonio consociasse. Hactenus illorum res cognitae erant. Christiana res ad S. Iacobum tum in vrbe, tum in ceteris circa populis belle procedebat. Hispani magna securitate inter Ciquitos versabantur: P. Ortizius nullo custode, vnius tantum pueri comitatu, populos circa positos obibat. Cum Ciquiti offensi Hispanorũ multitudine, clam con-

filiis communicatis VII. id. Februarias repente, quasi tessera data, nocte vna paucos Hispanos, quos in suo quique populo habebant, obtruncarunt: vnaq. cum illis magnum colonorum numerum, qui eo deducti Hispanis operam praestabãt. factoq. agmine eadem nocte ad vrbem contenderunt; vt, antequam res palam fieret, vrbem ingressi, ad suos quisque patronos pacis specie accedentes, eos nec opinantes opprimerent. Sed fauit Christianorum causae omnipotens. pueri nonnulli e caede elapsi, aduentum perduellium anteuerterunt. Ita cum secunda diei hora venissent, cognito apparatu Hispanorum, metu territi se receperunt. Praetor totius inscius seditionis e S. Cruce per id tempus octo tantum armatorum comitatu S. Iacobum veniebat. obuios habuit in itinere, qui missi a Iacobensibus ipsum de tota re fecere certiorem. Ille valido praesidio a S. Cruce accersito, aegre per rebellium fines transiere. nam cum praerupta montium occupassent, impune insubeuntes Hispanos tela iaciebant; vt mirum fuerit, & diuinae plane opi tribuendum, ipsum incolumem saluo praesidio euasisse. P. Andreas Ortizius, qua nocte barbari rebellarunt, in vno ex ijs populis vno Hispano comite diuersabatur. Is rei totius ignarus, dum illius caede barbari tantisper supersedent, forte vna cum comite discessit. Cum ad alterum populum venissent, Hispanum interfectum inuenerunt. Qui cum colonos metu palantes diffugisse; barbaros ad vrbem impetu contendere vidissent, veriti totius excidionem ciuitatis vna cum imbelli turba colonorum per deuia, nocte illa tota deerrarunt. Sed recepto demum animo, ad vrbem tandem, quae leucis quatuor inde dista-

distabat, magno labore, multisq. periculis perfunctus, cum toto colonorum comitatu peruenerunt. Barbarorum rebellionem, id quod necesse fuit, sequuta est annonae caritas.

Hactenus res huius orae notae erant.

***

PROVINCIA LVSITANIA.

NVMERAVIT Lusitania Prouincia priore anno socios quingentos sexaginta sex: nouem posterior adiecit. Sexagenos Olisipone aluere pariter Professorum domus & Collegium: Conimbricense collegiũ centum nonaginta sex; etsi priore anno ducentos, centenos & quadragenos vtroque anno Eborense: quindecim Portuense: sed priore anno quatuordecim: triginta quinque Bracarense: quinque & viginti Brigantinum, priore tamen anno non plus octodecim: quaternos denos Funcalense, & Angrense: Residentia S. Michaelis senos: denos vtroque anno Angolana. E viuis priore anno excessere nouem; octo posteriore. Venere in Societatem sexdecim priore anno; viginti tres posteriore.

DOMVS PROFESSA Olisiponensis.

DVORVM funera posteriore anno vidit Olisiponensis professorum domus; P. Iacobi

bi Ferrarij, egregij adiutoris animarum. Patria is fuit Portuensis: viginti quatuor in Societate annos egerat, constanti semper opinione sanctitatis. cuius esse fertur institutum, Sodalitas sanctissimae Crucis, quae magna Olisippone frequentia celebratur. & P. Emanuelis Sequeriae, domo Villaregalensis. Hic diu ad gubernacula in Societate sedens, hanc domum, aliaq. collegia ita rexit, vt difficilem imitationem aliis reliquerit. nemo enim in illius regimine se non modo aspere, sed ne inclementer quidem compellatum esse vnquam questus est. cum a regendi munere vacaret, habendis concionibus, confessionibus audiendis strenue occupabatur. Eum ferunt, cum Funcalae extrema annonae inopia laboraretur; eiusq. rei causa populus ad D. Iacobi supplicatum frequens iuisset, dixisse pro concione: cito diuinam opem affuturam: paucis interiectis horis nauigia in portum illata tantam frumenti uim exposuere, vt summam caritatem summa vilitas consequeretur. Eundem in magna siccitate, deficientibus aquis, cum viri feminaeq. supplices ad aedem Deiparae confugerent, ea de re ad concionem peroraſſe; eoq. descendente e suggestu, ingentem imbrium copiam delapsam arua, segetesq. infudisse. Obiit IX. cal. Septemb. annos natus sexaginta duos: quorum quadraginta peregerat in Societate. Sed hos relictis terris coelũ conscendisse credimus. P. Ludouicus Cerqueria, vir demissione animi, eruditioneq. excellens, tribus adiunctis sociis non terras ille quidem, sed patrium solum, & nostra climata reliquit. postulatu Philippi Regis, nostriq. P. Generalis permissu priore anno in Iaponios ad Episcopatum Crucis profectus, Martio mense exeunte soluit:

ſoluit: ipſo Rege illi ad iter, & pontificalem apparatum comparandum, ſacrā veſtem, argenteamq. ſuppellectilem, in ſumptum ſuppeditante.

Eorum qui domi proximorum curae inuigilarunt, illa praeter quotidiana illuſtriora fuere; quae, quia multa generis eiuſdem ſunt, ſummatim colligentur. Subductae dedecori, quae iam pedem in coeno turpitudinis partim poſuerant, partim eo prolapſae erant, vt poſiturae crederentur. & hae aut ſuis laribus redditae, aut dote comparata honeſte collocatae. nonnullae, quae diutius inhaeſerant, coenobio paenitentium incluſae: vna etiam ex vngue flagitioſi raptoris erepta. aliae proximae periculo a probroſa iactura vindicatae. Quaedam clandeſtina coniugij pollicitatione, viri voluntati ſe permiſerat. ille, pudicitiae flore delibato, datam fidem irritam facere decreuerat; ne bonorū quorundam poſſeſſione fraudaretur. noſtrorum opera effectum, vt Diuini numinis reuerentia, fideſq. diuitiis illi eſſet potior. itaque & fidem praeſtitit, & ſpem potiundae haereditatis non amiſit. Secundū haec flagitia, nobile pudicitiae fuit exemplum & iuxta pietatis, virgo, quae magnis opibus inſtructa, in monialium coenobio ſeorſim a laſciuientis licentia aetatis educabatur: vt cum maturum eſſet, inde ad matrimonium educeretur. Haec noſtri Sacerdotis, qui illi erat a confeſſionibus, inſtitutione, ſanctioris coniugij amore capta, opibus omnibus, quas habebat peramplas, monaſterio attributis, vt cum caeleſti ſponſo ſe coniungeret, eidem, in quo ad eam diem vixerat, ſepto perpetua clauſura ſe addixit. Eſt & uiris etiam, cum fructu, noſtrorum opera impenſa. Ob caedem viri Senatorij quidam exulabat: actum cum accuſatoribus;

& non illi tantum, sed multis etiam aliis noxae affinibus impetrata venia. Vincti multi è carcere dimissi. milites tres precipue ab ipso patibulo retracti; & culpae exsortes declarati periculo erepti sunt. Ex Anglorum Hibernorumq. gente, qui hic versantur, septem & triginta ad catholicam fidem sunt traducti. tres praeterea Britanni eãdem veritatem sunt amplexi. ex ijs vnus ex omni comitum numero e naufragio seruatus: vt aeterno Dei consilio ab impiorum grege exemptus videatur, vt ad suae salutis semitam dirigeretur. Multi à pellicatu, flagitiisq. aliis abducti: mulieres a demonum ludibriis liberatae: duo aureorum millia iusto domino restituta: totidem alia, trecentis insuper adiectis in pia opera collata. Addam extremo loco Diuinae nunnulla beneficentiae signa, quae miraculo non caruere. Phthisi domi laborabat e nostris Sacerdos vnus; eratq. de illius iam vita conclamatum. is caput S. Gregorij Thaumaturgi, quod in nostra seruatur aede, die illi sacro ad se allatum exosculatus, praesentem sancti Antistitis persensit opem. postero enim die summa cum omnium laetitia, febris, quae intimis haerens medullis vitam illi sensim deterebat, omnis penitus abscessit. Eodem religioso die, eodemq. remedio, & femina primaria sanata est. Iacebat illa graui pressa morbo, & phlebotomi ferrum duodecies experta, venam praecepto medicorum eidem rursus aperiendam praebitura erat, statuit illa, caelesti ope implorata, eam redimere carnificinam. et, vt erat languore confecta, iussit se nostrum ad templum sella deferri gestatoria. tantaq. erat morbi vis, & corporis languentis imbecillitas; vt, quamuis a tẽplo proxime distaret, bis tamen inter vectandum

illam

illam anima defecerit. Haec quoque sacrum oscu-
lata caput, ita confestim confirmata est; vt quae
vectationem modo ferre non potuerit, suis ipsa
nixa pedibus domum redierit. Sanctae Brigitae
caput tenuem hominem epilepsia, alterum extre-
mo in vitae periculo sanguinis profluuio sanauit:
Harum rerum fama dissipata ciuitatem peruasit
vniuersam. Ita matronae duae, claris ortae nata-
libus petiere, vt sibi partus difficultate laboranti-
bus sanctarum reliquiarum beneficio subueniretur. Allata sacra theca, in qua, praeter alia de capillis diuinae Matris aliqui seruabantur. Ad primũ sacrarum reliquiarum intra limen ingressum, puerpera vtraque est omni dolore exsoluta.

Frugifera admodum profectione vrbes, & opida nonnulla trans Tagum obita sunt. Quadragenario ieiunio tres Villauicosam ad Brigantij Ducem missi, praeter conciones, quas tum ibi, tum in vicinis opidis permultas habuere, sexaginta pacificationes per id tempus conciliatae sunt. acciditq, vt, cũ ante Ducis aedes ad circumfusam multitudinem Sacerdos de condonandis iniuriis verba faceret, tantum iniecerit concioni Diuini spiritus ardorem; vt multi e vestigio suis inimicis reconciliationis federe manus dederint. Exacta Quadragesima ob rem atrocem ab Episcopo Eluensi aduocati sunt. Clari adolescentes duo, cognatione iuncti, e leui dissidio in graues inimicitias exarserant; ita ut non modo ad arma venirent, aut succincti non iam famulatu, aut stipatorum satellicio; sed etiam iusta vterque armatorum acie instructus, ad praelium se compararent. sclopetarij centeni, & quinquageni stabant in vtraque acie, vt si congrederentur, non nisi vniuerso luctu ciuitatis res tran-

transigi posse videretur. Nostrorum tamen aduentu Dei beneficio totum periculum discussum. Iuuenes inter se coram Praesule reconciliati mutua sibi, summa ciuitatis gratulatione, palam amicitiae officia prestitere. Oliuensam inde perrectum: ibiq. difficilia, ac maximi momenti dissidia composita. Sacerdoti in vestibulo suae domus haerenti foedum, & enorme in facie vulnus inflictum erat. flagrabat animus vindictae cupiditate; sed audita concione, coram viginti Sacerdotibus, ad nostri pedes cum lacrymis abiectus, omnem se percussori iniuriam remittere professus est. Duo alij nobiles, & opulēti in mutuam perniciem enses distrinxerant: sed interuentu multorum dirempta pugna, irae grauius exarserant. & hi eadem dicentis vi ad pacem consensere. Obiere inde nostri opida minora alia. excepti vbique magna incolarum gratulatione: pariq. studio cum beneuolo dimissi comitatu; cum multi eos longe prosequerentur; vt saltem ex itinere subsistentibus in vmbra aliqua, quod in opidis non potuerant, suas ijs conscientias detegerent. Vitia multa e multis locis sublata. Instituti pueri in singulis pareciis, qui cum sacrum viaticum defertur ad aegrotos, decantent litanias. Is denique motus fuit vbique animorum, eaq. facta mutatio consuetudinum; vt si tales operae per vniuersam Lusitaniam permultae mitterentur, sperandum sit, breui, qui nunc tenet religionis veternum discussum iri.

COL-

COLLEGIVM Olisipponense.

DIEM suum obiere in Olisipponensi collegio P. Franciscus Andreas : qui biennio expleto in tirocinio nuncupatis de more tribus votis, vix iter cum aliis ingressus, plenus virtutis peruenit ad brauium. Et P. Ludouicus Alfonsus : vir sui ipsius contemptor, & humili sorte semper contentus. in docendis pueris prima grammaticae rudimenta, spectata multis annis industria. obiit annos natus quinquaginta. e quibus tres & triginta in Societate aequabili semper innocētiae fama transegerat . Scholae bis mille auditores numerarunt. e quibus multi diuersis religionibus nomina dedere. quiq. inter eos excellere visi sunt, adlecti in Societatem. Vnius praeter ceteros excelsus animus, & familiaribus illustris, sed Deo praecipue probata pietas fuit. qui amplissima instructus haereditate, & equestri etiam honore insignitus, omnia haec pro nihilo ducens, diuitias omnes pauperibus distribuere; seq. diuino famulatui addicere constituerat: sed morte consilia praeuertente, quae in terris conceperat, in caelesti gloria votis nunc perfruitur. Est Olisippone priore anno recens Hibernorum collegium institutum ; vt sinceram hic doctrinam edocti, ad restituendas Ecclesiae labes, quas fecit haeresis, in patriam se referant . Tutela collegij est penes vrbis primarios : cura instituendae disciplinae , & litterarias exercitationes dirigendi vni e nostris commissa est. qui statis temporibus eo se confert : cognoscitq. de rebus omnibus;

bus; corrigitq. quae subinde rectoris indigent diligentia. Felix recentis transmigrationis in nouam huius Collegij domum auspicium P. Valentinus Carualius, non quidem nouo, sed raro omnino exemplo fuit. qui, cum duodecim iam annos continentes docendo insumpsisset; seq. ad multiplicis, ac variae eruditionis theses defendendas comparasset; easq. iam typis excusisset, subito lectus Iaponicae profectionis comes Episcopo Cerqueriae sub ipsum nauium discessum, repente impedimenta, retinaculaq. omnia praecidit: vix tantulo spatio concesso, ad conscendendum, atque ad nouas vrbes, scholas nouas, nouas exercitationes, noua consilia in vltimis terris querenda intrepido animo repente se conuertit. & sane talem esse decuit verum Societatis alumnum. generoso vtique praeuertit exemplo, quod vt profiteretur voto, ipsa erat illi dies allatura. Pari generositate animi, promptaq. alacritate frater alius posteriore anno admonitus sub vesperam, vnius tantum noctis interiectu ad se comparandum dato, postero die, prima luce nauem in Indiam conscendit.

COLLEGIVM Conimbricense.

INSIGNIA funera in Conimbricensi collegio habuit vterque annus: nec mirum e numerosa familia, ceruq. clarissimo, & multos, & praestanti virtute viros e viuis excedere. Sacerdotes quinque priore anno vita functi sunt, partim doctrina, partim laborum vsu diuturno, omnes religiosis

gioſis virtutibus inſignes. primi fuere P. Melchior Lobatus, & P. Iacobus Ciſnerius, vterque longa acta vita in Societate omnibus carus, vterque etiam quatuor votorum profeſſione & doctoratus laurea egregius: poſterior vero non in Luſitania ſolum, ſed Romae quoque magno doctrinae experimento magnis in rebus cognitus. Vtrumque autem, quaſi ſui ſibi finis conſcium, conſtat anno toto, antequam e vita exirent, magno pietatis documento, ſe ad mortem comparaſſe; & in morbo, qui vtrique vitam abſtulit, eandem ſummo ſtudio curam tenuiſſe. Hos alterum par eſt inſequutum P. Iacobus Pirius, & P. Gonzalus Ferdinandus, coadiutor vterque in ſpiritualibus. Hi a primis temporibus naſcentis in Luſitania Societatis per longam & aetatem, & laborum ſeriem ad eum vitae terminum venerunt; vt bona confecti ſenectute non tam e vita emigraſſe, quam ad portum laborum appuliſſe dici poſſint. agebat tum Pirius in Societate annum vndequinquageſimum; primusq. in Conimbricenſi collegio, a primo illius ortu Miniſtrum egit. Omnium poſtremus fuit P. Franciſcus Pereria claro genere, & multis animi dotibus ornatus. in primis vero ea modeſtia, & morum compoſitione, vt quae in animo lateret, ſanctimoniã praeferret. obiit in ipſo aetatis flore, cum medicorum iuſſu ad aquas ſulphureas, ad opidum Caldas ebullientes, experiundi remedij cauſſa miſſus eſſet. illic paucis diebus moratus, ſiue remedio non illi opportuno, ſiue vi morbi medicinam ſuperante, extinctus eſt. Eum in morbo, & curationibus virtutum odorem emiſit, vt poſt illius ſepulturam, pueri ad templum venientes, feretrum, quo elatus erat, oſcularentur. Eſt eius cadauer duplici funere

nere cohoneſtatum: priore enim die religioſi ordines, poſteriore clerici opidani illi iuſta perſoluerunt. Tres poſterior annus Sacerdotes abſumpſit. non minus, quam excellenti doctrina, pari etiam virtutum magnitudine ornatos: P. Ferdinandus Perez ceteris praeiuit, domo Cordubenſis, ſacrae Theologiae cognitione, quam multos annos docuerat, inſignis. ſed eum ſingularis abiectio ſui ſupra doctrinae faſtigium locauit. Iam quantus in pietatis ſtudio futurus eſſet, a prima aetate non obſcura documenta dedit. ſiquidem, praeter alia, pauperi ſtipem flagitanti, cum quod illi daret, aliud non eſſet, veſtem ſibi detractam ſponte dedit. Eborae in Societatem eſt admiſſus: in qua ſextum & trigeſimum annum agens ad meliora conceſſit, praeclara virtutum & doctrinae memoria relicta. Hunc ſequutus eſt P. Franciſcus Pintus Portuenſis, ſi minus pari doctrinae laude, modeſtia tamen, pietate, & confeſſionum audiendarum patientia dignus exiſtimatus, qui nō exiguos meritorum manipulos reuexerit. Extinctus eſt tertio loco, florenti adhuc aetate P. Dominicus Ioannes. Hic quoque aliquandiu Theologiam profeſſus, tertium tirocinij annum agens, montis Herminij tractus, opidis bene frequentes peregrinabundus obierat. in reditu febri grauiſſima opprimitur. cuius ita uis creuit, vt ex itinere ad fratres ei diuertere neceſſe fuerit: morbiq. veneno intima ſubinde depaſcente, fruſtra remediis omnibus adhibitis, & itineris & vitae curſum cum domeſtico, tum ſodalium ſuorum luctu praecidit.

Scholae, praeter eos, qui maioribus in ſtudiis verſantur, ad bis mille ferme erudiunt adoleſcentes, & eorum illa teſtantur pietatem. Tres defen-

dendi cauſſa pudoris, ſtricto pugione improbas ſyrenes, ſeu potius harpyas repulerunt. Duo vſque eo corporis atterendi fuere ſtudioſi; vt eorum alter vitam potius; quam Zonam cilicinam exuerit. regendus quidem in adoloſcente feruor, ſed pietas, vt Deo grata, ita hominum iudicio probanda fuit. tenax alter rigiditatis eiuſdem ita cutim exulcerauit, vt medentis manus admouenda fuerit. Eorum vero, qui ſe ab humanis rebus abiungendi ſtudio tenentur, numerus de induſtria omiſſus eſt. ſed ex eo licet aeſtimare, quod in ſchola vna id annituntur quatuordecim.

Iam cum ciuitate vniuerſa, quam vtiliter operaponatur ſuperuacuum eſt pluribus referre: cum ex quotidianis & vulgaribus iam trita ſint omnia. Liberalitas vero Illuſtriſſimae feminae Margaritae Corteregalis, Caſtelli Rotherici Comitiſſae praetereunda non eſt. Haec ex vſque Matridio ex holoſerico, auro intertexto, opereq. Phrygio ornato veſtes ſacerdotales vndecim, decemq. ornandis alteribus peripetaſmata ad nos tranſmiſit.

Venio ad Miſſiones, quae anno vtroque per autumnum celebres fuere, & eo fructu, qui a ſtrenuis operis, & diuini amoris zelo ſuccenſis proficiſci ſolet. Sed frugiferae maxime fuere, quae priore anno, vere ineunte, bonam Luſitaniae partem peragrarunt. Dimiſſi e collegio homines viginti quatuor nullas ad certas gentes, populoſue: ſed partiti regiones inter ſe, eas maxime terras peragrarunt, quae cuique maxime obuiae fuere; & diuini verbi pabulo, diuinaeq. legis cultu egere videbantur. pedibus iter faciebant, nixi baculis, librorum ſarcinulis aptis ex humeris; mendicato victitantes; diuitumq. hoſpitia & domos opulen-

tas

tas deuitantes. Duo Igedetanensem lustrarunt dioeceſim. Sacerdos vterque. eorum alter longa aetate, & insigni sacrarum litterarum peritia verendus, quotidie conciones ad populos habebat. Qui fama exciti vndique confluebant tanto numero, vt sacrae aedes, quamuis peramplae, multitudinem non caperent: saepeq. concionem in campum educere neceſſe fuerit. alter audiendis confeſſionibus occupabatur. nemoq. fere fuit, cum tamen populi eſſent frequentiſſimi, qui niſi a prima pueritia culparum confeſſionem omnem retexeret, ſibi ſatisfaceret. Supra tria hominum millia, vel condonatis iniuriis, cum aduerſariis gratiam reconciliarunt; vel à litigandi contentione ad cõpoſitionem redierunt. cognatorum ſublata diſſidia: neceſſitudo inter affines conſtituta: falſa reſciſſa teſtamenta: rerum contractarum collapſa fides reuocata: opida interdum integra diſſidiis, ſeditionibusq. in partes diſtracta, Deo propicio, ad concordiam ſunt reuocata. Triginta tria opida vicoſq. his laborum fructibus obiere. ſub finẽ Quadrageſimae ad vrbem Guardiam magna ciuium expectatione, gratulationeq. venere. ibi hebdomadae maioris ſacros dies magno concionis fructu de Chriſti nece tranſegere. Inde aliis obitis terris, Cauae Iuliae, quae nunc Coulianum dicitur, opido peramplo, tantum fecere motum animorum; vt de collegio apud ſe extruendo conſilium ſuſceperint. Nabantia vrbs fuiſſe dicitur, non procul a Tago diſſita, vbi nũc eſt Caſtrum Tomar. Hac Sacerdos, fratre vno comite, circa Ieiunij maximi initium iter faciebat. quem cum ſemel concionantem audiſſent opidani, retinere apud ſe voluerunt id cum difficilius eſſe accepiſſent, quod in

mandatis haberet populos multos obire; nec sibi licere ad vnius populi commodum, quod esset in plures dispertiendum, contrahere; missis nunciis cum litteris ad P. Rectorem Conimbricensem, eos in Quadragesimam totam impetrarunt. per quod tempus, vniuersum testantur opidum immutatum: vt dicerent permulti, videri sibi ex alta errorum caligine in nouam quandam lucem emersisse: alij tum demum Christiano more viuere didicisse. Teneram aetatem in scholis praesertim litterariis, catechismo accurate imbuerunt: Lasciua in pia carmina mutare docuerunt: diuinum nomen minus reuerenter vsurpantes, vt increparent monuerunt. fuitq. ex ijs, qui eius rei caussa ab irato homine colapho percussus, puerili candore, Christi Domini precepto, reuerenter maxillam alteram praebuerit. Iam illorum agmina, rosa etiã coronatorum, per vrbem traducta, pia cantica, litaniasq. & alias catechismi exercitationes commemorare superuacaneum est. Eadem ratione opida alia per Quadragesimae tempus nostros, aut peregrinantes ex itinere retinuerunt, aut in totum illud tempus ad conciones impetrarunt. Pinellum Falconum non ignobile Dynastae nobilissimi opidum, & multis clarum miraculis B. Virginis Lapensis fanum, etsi in vasta situm solitudine, regionis tamen claritate, & magna conuenarum frequentia est celebre. Hic nostri per id tempus commorati, & peregrinis confluentibus, & populis aliis circa positis, ad quos euocabantur, praesto fuere. Sed Pinelli, praeter cetera, nostris auctoribus, senatusc. factum est, vt religiosa aliqua familia, ad studia fouenda pietatis, in opidum accerseretur, Capuccinos placuit acciri: ad eam rem ido-

idonea pecunia decreta. additumq. si eam sedem societas sibi optaret, vt triplo maior conferretur. De aliorum peregrinatione, atque opera, cum similia omnino sint, non est quod plura referamus. Missiones tamen, quae eodem priore anno per autumnum factae sunt, non videntur vlla ratione reticendae. Duo in ora Tagana ad Abrantios vsque fines excurrerunt. quo in itinere cum loca alia, tum Punete opidum nobili B. Virginis sacello religiosum, & confluentium numero in ijs finibus celebre, multo cum fructu adiere. Quatuor alij in montem Lusitania tota inclitum profecti sunt. Is a Pyreneis iugis per Asturum fines veniens (describam, vt in litteris Prouinciae inuenio, eadem ad verbum sermonis dignitate) mediam oblique dirimit, eam Lusitaniae plagam, quae inter Durium, Tagumq. iacet; Olisipponensiq. promontorio Hispaniae terras, mariaq. disterminat. pluriumq. arbiter populorum, dextro latere obuersus orientali soli hiemali, laeuo aestiuo occumbenti. atque vbi se quoque exsuperat, fluuiosq. hinc ad occidentem Mondam, ad austrum vero Zeuarum effundit, Mons stellae vocatur, siue ab Hespero, vt vtraque Hesperia; siue, vt narrant pastores, quia, si quando colliquescunt niues, visitur in sublimi rupe grandis astri ad viuum expressa imago. totus vero fertilis, & amenus, nobilisq. pecorum velleribus. pagi, & opida ibidem frequentia, tam ob perennis salubritatis temperiem, quam propter amnium, fontiumq. vbertatē, fertilitatemq. frugum, vitium & olearū. Ingenia vero incolarum, soli caeliq. clementia, mitia & tractabilia; nostraeq. Societatis homines, si quando ad eos venere, ita venerantur, vt si e caelo ad se docendi caussa missi essent. Hactenus

litterae prouinciae. Quae sequuntur, festinandi operis causſa contrahentur paucis. Huc noſtri cum venerunt, opida ingreſſis prima curá fuit, templũ adire ſupplicatum. Inde ſe in Xenodochium conferre. ad conciones incolae ingenti numero confluebant: neque minores fiebant ad catechiſmum concurſus, non tenerae ſolum, ſed grandis etiam aetatis: viriq. graues, quo magis ſua ſtudia profiterentur, puerilia certamina non detrectabant. in ijs vir clarus, & iudicis honore inſignis aliis exemplo praeire non erubuit. Sacerdotes, aliiq. litteris, & aetate venerandi puerorum agmina cogebant, regebant incedentia, in ſacris cantionibus uocē praeibant. Porro audiendis confeſſionibus nocturna cum diurna opera, vix modica ad neceſſariam quietem interpoſita ceſſatione, continuabatur. concionum vero fructus is erat, vt dicentis orationem pacificationes multae ſubſequerentur: multiq. ſua ſponte aduerſarios adirent; atque ad eorum pedes aduoluti mutuis cum lacrymis vltro citroq. veniam & darent, & rogarent. Dixit aliquando in concione noſter, ſe eo die, certa hora domos eorum aditurum, quos principes diſcordiarum eſſe intelligeret; auditores per Chriſti vulnera obteſtatus, vt ſe ad omnes tartarei ſeminis radices reuellendas iuuarent. adfuere dicta hora opidani ſacerdotes, omnesq. viri primarij. itaque, Deo bene iuuante, res tranſacta eſt, vt ante noctem homines ducenti ſexaginta iniuriarum obliti, odia poſuerint. & in ijs multi, qui multos annos, affines, cognatos, & quod magis mirere, ipſos liberos in familiaritatem, & colloquium admiſerant nunquam; in mutuos amplexus verbis officio-

ficiosissimis multis cum lacrymis conuenerint. Hic fructus collectus eo die publice priuatimq. & securitatem attulit, & laetitiam. Secundum haec semestri per eosdem populos peregrinatione octingenti homines, restinctis odiis, ad concordiam, & mutua sibi amicitiae officia praestanda consensere.

COLLEGIVM Eborense.

EBORAE duo de nostris ad aeternam quietem euolarunt. Academiae nomen vbique est illustre. de qua tota re eadem, quae superiore anno scribi possunt. quin etiam in dies illius augeri existimationem. mille & quadringentis auditoribus celebratur, non minus studiorum, quam pietatis laude probandis. vt prope dici possit, fecundum esse Religiosarum familiarum Seminarium. Ac, praeter alios, qui se diuersas ad familias contulerunt, duodecim posteriore huius biennij anno Societatis institutum sunt amplexi, cum prior annus nouem admisisset. Quod ad reliqua pertinet Societatis munia, non sunt iteranda quae longo trita vsu nota iam sunt. Sed a Quaesitoribus fidei Societatis opera adhibita reis, & haereseos damnatis perutilis fuit. nam & in carcere aliis persuasum, vt cuius iam criminis tenebantur, id palam fateri ne recusarent: & aliis, vt quas obstinatis animis prauas de religione opiniones durissima pertinacia retinuerant, deponerent; atque in confessione fidei catholicae morerentur: & productos ad supplicium nostri prosequuti, in fide catholica-

ſpeq. diuinae miſerationis confirmarunt.

Aedificij moles creuit poſteriore anno duobus & viginti cubiculis adiectis. pergula bene longa abſoluta, quae gymnaſij atrium proſpectat; atque alteri, quae ianuae imminet, e regione apta proportione oppoſita reſpondet. opus in tanta magnificentia vrbis ſua dignitate viſendum.

Eborae priore anno, antequam proficiſceretur, Epiſcopus Tyberiecenſis Iaponiorum conſecratus eſt P. Ludouicus Cerqueria, cum ante aliquot annos ibidem Theologiam profeſſus eſſet: & proxime etiam in ea facultate doctoris inſignibus magno donatus eſſet apparatu. In ea re illuſtrem ſe praebuit Eborenſis Archiepiſcopi liberalitas, is Epiſcopos vicinarum dioeceſum ad eã celebritatem inuitauit; hoſpitioq. ſplendido apud ſe excepit. ipſum Iaponium Epiſcopum varia ſuppellectili, multipliciq. veſte, tum ad Pontificale munus obeundum, tum ad nauigationis vſum & ipſius, & comitatus, ample donauit. ipſoq. die, quo ſacra peracta ceremonia eſt, vna cum reliquis Epiſcopis nobiſcum communi menſa exceptus eſt. habitae inter epulas de more breues multiplici idiomate declamationes.

Ebora quoque in Tranſtaganam oram circa ieiunij verni tempus dimiſſi ſex, rudes iuſta populos, atque honeſtiores ad ſtudia colenda pietatis excitarunt. & licet quae geſſerunt ab vſitatis diſſimilia non ſint; quoniam tamen & multa & magni momenti fuere, ſine aliqua cõmemoratione praetereunda non fuerunt. Sed illud eſt operae pretiũ referre. In opido quodam tanta noſtrorum & hortatu, & exemplo ſuſcepta cura vinctorum eſt; vt vltro viri primarij cibaria, & veſtem ad carcerem defer-

deferrent. Accidit forte, vt cum duo noſtri Sacerdotes cum honeſtorum virorum comitatu prandium ferrent occluſis, in equitem clariſſimo genere natum inciderent. is eo ſpectaculo commotus, ex equo deſiliens, rogauit, vt ſe quoque tam digni facinoris comitem admitterent. viniq. lagena in humeros ſublata magna animi alacritate Chriſti pauperibus pocula miniſtrauit. Eaedem peregrinationes eodem anni tempore cum iiſdem laboribus, & laborum fructibus poſteriore anno repetitae. clara opida tria peragrata. Pax Iulia ciuitas, Serpa, & Stremotium, minor eſq. alij populi permulti. ſed Pace Iulia praecipue magna pecuniae facta collatio ad inopum tegenda corpora, qui nuditate & pudore non adire modo templa; ſed omnino etiã prodire prohibebantur. Serpae etiam carcere incluſis epulum praebitum manu nobiliũ. enituitq. praeter ceteros, vnius pietas, qui dignitate ceteris praeſtabat. is ſingulorum manibus genu poſito aquam miniſtrauit; & in ijs etiam ſeruo ſuo, qui tum forte attinebatur. Pacificationes iniuriarum, & quidem inſignium, & cum inſigni contumelia iunctarum condonationes, alieni reſtitutiones, confeſſionum repetitiones, aliaq. id genus referre, & operis feſtinatio non permittit, & tacitus praeterire aegre poſſum. Ad Algarbij Regnum Sacerdotes duo Ferdinandum Martinum Maſcareniam Phari Epiſcopum ſequuti, ſuam dioceſim obeuntem, ſeptem in ſylueſcente excolenda vinea menſes poſuerunt. Hic relatu digna, & a vulgaribus ſemotiora illa contigerunt. Phari viri principes quatuor ita in mutuam perniciem conſpirauerant, vt multa nulla, nulla bonorum deminutione coerceri poſſent. Interpoſuere ſeſe Regij

Prae-

Praetores, quieuit malum foris, sed intus animi grauiori odio succendebantur: eratq. inde graue aliquod incendium erupturum. Visum est agere cum Sacerdote nostro, vt inter concionandum, in locum de remittenda ira digrederetur. hac tandem ratione, Dei beneficio sedati animi, iras, quas multis aluerant annis, posuerunt. In vrbe alia, eius dioeceseos praecipua, vir honestus querebatur, horrendis sibi grauibusq. malis a daemone illudi: conditas sibi fruges eripi, quas e suis praediis perciperet, quibusq. sua sustentabat vectigalia: eripi pecuniam; &, quod omnem acerbitatem superabat, filias duas sublimes abripi in aerem, ac post horas duas incolumes restitui. filiae postmodum narrabant, in praecelsum se verticem abreptas, opiparaq. mensa, ac lautissimis epulis exceptas, pauidas tamen, ac quasi intra mortis limina constitutas, inde comediisse. Huius monstri cognitionem totam nostro Sacerdoti Episcopus demandauit. Noster puellas primum cereis sacrati agni plagulis armauit: dein sacram vtrique peccatorum confessionem persuasit. Hae, cum domo ad confessionem egrederentur, obuiam sceleratum omnium deprauatorem habuerunt; qui contumaci irrisione eas Apostolo illi nunciari iubet, nihil eius imagines profuturas; frustraq. Antistitem ipsum laborare. contempsere cassas minas virgines. noxas omnes integre confessae; ac post confessionem in aedes alias familia translata, nihil ex eo tempore incommodi acceptum est.

COL-

COLLEGIVM Portuense.

E Portuensi collegio priore anno nihil est allatum, posteriore multa; sed vel communibus similia, & vsitata, vel ita strictim comprehensa, vt non rerum narrationem, sed narrationum indices eae litterae contineant. Ex graui contumelia in alterum ab altero illata, infensissimo odio scriba publicus, & iudex dissidebant: neque vllius interuentu, multis quamuis & grauibus viris adnitentibus, animi reconciliari potuerunt. Fuit omnino ad arma veniendum, sed antequam id fieret, monitu nostrorum, a maiori, credo, potestate obuiam est itum. Mulieri viduae, grauiter aegrotanti, & vt videbatur, morti proximae, duo millia aureorum a propinquis furto surrepta erant. Ea cum contra omnium opinionem reualuisset, furti agere instituit cum ijs, ad quos suspicio furti pertinebat. res erat insigni ignominia, & ea ad multos furti socios perueniebat. nostrorum tamen diligentia res est tota consopita, & pecunia fraudatae viduae redhibita.

Est in aedificio collegij pergula, quae inchoata annis aliquot pendebat, hoc anno absoluta cubiculis vtrinque excitatis.

COL-

COLLEGIVM. Bracarense.

BRACARAE cessit e vita priore anno Gaspar Rotericus, spectatae in domestico opere probitatis. cuius vt vita insigne fuit multarum virtutum documentum; sic mors & morbi diuturnitas imitatione dignum patientiae, & aequanimitatis nobis proposuit exemplum. in eo praecipue erga praesides reuerentia, & submissae obedientiae studium eluxit. Attulit vniuersae ciuitati magnam pacem nostri Sacerdotis oratio. nam cum in concione de malis discordiarum copiose,& magna animi contentione disputasset, excitati illius sermone Misericordiae sodales, pro suo instituto, ciuium omnium simultates, quotquot in ciuitate essent,indagare, ijsq. sublatis, dissidentes inter se reconciliare adorti, breui tempore ciuitati vniuersae tantum otium, tranquillitatemq. fecerunt, vt vetus illud Athenienſium exemplum de offensionum obliuione Bracarae renouatum videri potuerit. Electi etiam sunt nostrorum opera ex vrbe Ludiones, histrionesq. ac saltatrices; expulsaq. pernicioſa malarum libidinum illecebra ciuitatem morbo fediſſimo liberauit. Haec priore anno.

Posteriore aedificij nostri pars illa, quae muro ciuitatis iuncta est, quoniam ruinam minabatur, restituta est, pariete deiecto, & rursus meliore structura excitato. extructa etiam sunt cubicula duo, & triclinij aedificationi extrema manus imposita,

Quod attinet ad operam, multis ope indigentibus

bus subuentum est. aere obrutis alieno, aut pecunia mendicato conquisita, aut debiti remissio impetrata. Duo falso caedis crimine rei facti, probata innocentia periculo erepti: coniugia plura, quae variae causſae distraxerant, reconciliata: caedes prohibitae, litigia sublata.

COLLEGIVM Brigantinum.

BRIGANTINVM collegium fratrem vnum Petrum Martinum diligentem coadiutorem, & industrium praemisit ad superos quarto & trigesimo, quam venerat ad Societatem anno. morbi doloribus mira patientia toleratis, vitam religiose actam digno fine concluſit. Eorum qui scholas nostras frequentant, insigne continentiae fuit exemplum adolescens, qui a puella formae dignitate, & generis nobilitate praestanti sollicitatus, nutus, nuncios, preces, & munera, occasiones quoque sine periculo adeundi inuicto animo contempsit. Ingens mendicorum numerus priore anno e finitimis Legionensi Regno, & Gallecia, fame credo inde pulsi, Brigantiam confluxere. quibus corporis, animiq. pabulo iuuandis, nostri, cõquisitis eleemosinis, piis vitae praeceptis, & sacramentorum ope egregie insudarunt. Virginibus, quarum integritas varias ob culpas in discrimen vocabatur, partim dote conquisita, partim aliis auxiliis subuentum. Dissidia multa sublata, coniuges reconciliati. Nexi ieiunio maximo semel & iterum expiati; & sacris, humanisq. epulis recreati.

FVN-

FVNCALENSE, ET ANGRENSE Collegia.

FVNCALAE noſtrorum opera ad ciues, iuſta & alios circa populos, ad quos concionantes ſaepe commeant, ſe porrigit: ſed in vrbe praecipue diſcordiae multae ſublatae, praeſertim inter propinquos, & coniuges. Inter viros primarios ſimultas conſopita, quae in magnum illuſtrium familiarum incendiũ erat exarſura. Vir nobilis praeterea ita erat inimico infenſus; vt ne in morbo quidem, & extremo vitae tempore conſilia de reſarcienda amicitia ad animum admitteret. propinquorum hortatus, precesq. contemnebantur. ne Epiſcopi quidem auctoritate ille mouebatur. is tandem noſtrorũ monitis obtemperauit; pacemq. & amicitiam cum inimicis reconciliauit. Duo adulterij conſuetudine concordes, ab Antiſtite publice admoniti, fulmen anathematis ſuſtinere potius decreuerãt, quam a turpi conſuetudine recedere. Verum antequam tam ſaeuum in eos telum mitteretur, Dei beneficio, monitu noſtrorum reſipuerunt. Qua de re gratiae a nobilitate patribus actae, quaſi vrbe fedo apoſtemate expurgata. Puellam praeſtãti forma rapuerat amator; & apud mulierculas ſuae conſcias libidinis, & adminiſtras depoſuerat. Data eſt opera per noſtros primum, vt antequam damnum pateretur, illo ipſo die a turpiſſimis amorum nundinatricibus erepta, honeſto, & tuto in loco collocaretur: deinde vt inimicitiae, lites & iudicij pericula, quae raptori imminebant, componerentur. trecentorum aureorum ſumma,

quibus

quibus puella honesto matrimonio traderetur, molestias ille omnes & incommoda redemit. Mala alia permulta, partim impedita, partim sublata.

ANGRAE duo militum Praefecti a duello reuocati, ac firma pace reconciliati. Puella honestissima Diuina prouidentia primum, tum nonnullo nostrorum interuentu, indignissima ignominia liberata est. eam ne nobilissimi adolescentis coniugio potiretur, viri graues multis subornatis testibus falsi criminis insimulauerāt. Erat omnino difficile propinquis acerbam abolere ignominiam, & damnum frustrati coniugij redimere, multorum nobilium testimoniis calumnia confirmata. Adfuit Deus innocentiae. Vnus e principibus nefariae conspirationis grauem incidit in morbum. sensit continuo se a Deo vulnerari. nostrum ad se accitum consulit Sacerdotem, cuius praescripto publicis litteris protestatus est; falso a se puellam integerrimam insimulatam esse. atque hac via facta ad veritatem illustrandam, ceteri quoque sua testimonia reuocarunt: puella omni suspicione liberata est.

SANCTI MICHAELIS, ET Angolana residentiae.

LABORATVM est annonae difficultate in insula S. Michaelis. quare nostri in tenui censu eiusdem incommodi participes fuissent, nisi incolarum ijs probitas subueniisset. Vnus centum & quinquaginta dedit aureos: duo alij ea contulere, quae ducentorum pretium aequarent. Excurrere aestiuis mensibus aliqui in ultimam insulam, difficilibus

libus admodum itineribus, altissimorum montium aspera superantes. Vbi ad opidum aliquod venissent, adito templo, factis precibus, signum aduentus sui aere campano dabant. continuo e vicis, villisq. ad diuinarum rerum explicationem vndique confluebant. ac praeter stata tempora concionũ, & catecheseos, dies totos ad vesperam audiendis confessionibus insumebant, vix modica cibi capiendi quiete intercisos. plus mille octingentas exceperunt: quarum quingentae vitae totius noxas eluerunt. ac praeter ceteras vtilitates dissidiorum sedatorum, euulsorumq. vitiorum, & praua-rum consuetudinum vel abolitarum, vel correcta-rum, duorum mensium spatio, pacificationes centum composuere. Quocunque venere incredibilis fuit omnium ordinum ad sacra concursus: ita vt sacrae aedes multitudinem non caperent: mirantibus cunctis tantum ad sacram mensam accedentium numerum: vbi semel anno ea religio vsurparetur.

E DECEM QVOS IN ANGOLANA sede supra recensuimus, septem in Loanda insula, & opido eiusdem nominis maritimo, tres Massangani degunt. Est Massanganum opidum in continenti Angolano Lucalla, & Coanza fluminibus, quasi naturali vallo clausum. Hi vndecimum iam mensem cum praesidiario milite arctissima obsidione; & validis indigenarum copiis tenebantur. Angolani impigre, strenueq. praesidium oppugnabant. maiore tamen virtute Lusitanus hostilem impetum retundebat: vt non modo per aequa, iniqua subeuntem hostem repulerit; verum etiam, eruptione facta, auersum insequutus fuerit. Sed ne armis victrix virtus fame insuperabili malo superaretur

raretur nostrorum opera maxime effectum est. Nam ne cibi inopia domiti praesidiarij, aut praesidium deserere, aut hosti se committere cogerentur, frumenti quicquid domi fuit, nostri viritim diuiserunt: tum cocta olera ad ianuam distribuerunt. oleribus deficientibus, foliis arborum famem egentium leuarunt. Sed illud admiratione dignum, nec sine diuina peculiari ope transactum; quod inter uarias ad arma concursiones, hebdomadae Sanctae sacros dies quiete tamen, riteq. peregere. Sed ne in Loanda quidem quies fuit interim a bello. Regulus insulae a Lusitano dissidebat. inde ortum bellum. victus Aetiops in potestatem venit. erat is & Christianus, & ante Lusitanis amicissimus. quare ne quid durius in eo statueretur, nostrorum interuentu factum est: qui rem totam aequis condicionibus composuerunt. Victo Regulo reddita libertas, & redintegrata amicitia. Congi Rex, cuius Regulus est vectigalis, de ea pace nostris per litteras gratias egit. Inter haec Coimbam petiit Sacerdos vnus. Est Coimba opidum Angolae, Coanzae fluminis in ripa situm. infantes sacro baptismate lustrauit: pueros sacra fidei praecepta docuit: qui Christiana sacra susceperant, adultos multis cohortationibus confirmauit: languentes ad spem aeternae salutis excitauit. Aethiops splendidus inter suos; cum capitalis noxae reus duceretur ad suplicium, interrogatus a nostro, vellet ne fieri filius Dei: se vero id cupere affeuerauit; doctus igitur fidei summam, antequam in eum lege ageretur, sacro lauacro ad eos adscriptus est, qui caelestium numerum augerent. Hoc rerum cardine pacata Loanda, re Christiana feliciter administrata, noui Praetoris cum

copiis Loandam aduentus obsessorum animos erexit. Praetor recreato ex maritima iactatione milite, ad hostem in mediterranea contenderat, duobus e Societate Sacerdotibus secum adductis. & iam secunda aliquot praelia nunciabantur: sed imbrium multitudine, & vi grassantium morborũ coactus est impetum reprimere. Quae deinde sequuta sunt, memini me trienniũ ab hinc insequentis anni litteris scribere anteuertisse. Ac de rebus biennij huius hactenus.

PRO-

PROVINCIA BRASILIA.

SOCIORVM numerus, qui Brasiliam hoc biennio incoluerunt neque in tota prouincia, neque in singulis familiis par fuit vtroque anno. quin etiam ne sedes eaedem posteriore, quae priore anno recensentur: quare vitandae causſa confusionis, commodius visum est, seorsim quot omnino in tota prouincia, & quot in singulis domiciliis vtroque anno socij censeantur, referre.

Fuere igitur priore anno in collegio Bayensi septuaginta quinque: in tribus opidis indigenarum, quae huic collegio commissa sunt, sex: in Ilheorum praefectura totidē; in securi portus sede item sex: viginti tres in collegio Pernambucensi: in opidis Virginis Augustissimae (sic enim inscribuntur) & S. Michaelis, nostrorum item curae demandatis, sex: in collegio fluminis Ianuarij viginti septem: vnum tantum numerari video in Praefectura S. Spiritus: quatuor Piratiningae, & residentia S. Vincentij: totidem in Praefectura S. Barnabae: duo plures in Sanctorum praefectura. Hi omnes numerum efficiunt capitum sex & sexaginta supra centum. Posteriore anno minor fuit aliquanto numerus. septem tantum sedes recensentur, Collegium Bayense, quod socios habuit sexaginta: qua-

tuor tantum Ilheorum praefectura : ſecuri portus ſedes quinque: collegium Pernambucenſe ſeptem & viginti : duos & viginti collegium fluminis Ianuarij. quindecim praefectura S. Spiritus. Paratininga, & S. Vincentij praefectura duodecim. Ex his omnino colliguntur centum quadraginta quinque. Viuendi finem fecere poſteriore anno duo: duo item admiſſi eodem anno in Societatem.

COLLEGIVM Bayenſe.

PACIFICATIONES, numerus ingens ad ſacramenta confluentium, frequentia concionum, tum Bayae, tum aliis in locis Braſiliae totius, ne eadem ſaepius audiantur, in praeſens omittentur. Illud etſi non nouum, frequentationé tamen nouam habuit. Singulis hebdomadis Dominicis diebus prandium domi paratum ad carcerem perlatum eſt ſpectante ciuitate, ſeq. ad laboris partem ſubeundam vltro deferente. Magna eſt ciuitatis propenſio ad pietatem. ita praeter frequentem ſacramentorum vſum, vtroque anno Quadrageſima quarta quaque & ſexta feria ad noſtrum templum frequentes conuenerunt; ſeq. ad eos, qui ſcholas frequentant, flagellationi exercendae coniunxerunt. Sed ſodales ſanctarum Virginum, de quibus alias eſt ſcriptum, pietate longe praeſtant aliis. Ex ijs vnus, alta praeditus indole, & rerum contemptor humanarum, verbis aſperis primum, dein alapa ab audaculo affectus, in genua prolapſus, maxillam alteram obiecit. Illorum coetus & numero, & laudibus in dies augetur, fauo-

re

re maxime Episcopi; qui illius iampridem tutela susceptа, fructu etiam mirum in modum delectatur. Sanctarum virginum sacrum diem magna religione peregerunt, dato dramate in peruigilio, & ipso die festo pompa celebri per vrbem acta. Eluxit etiã in femina Matris sanctissimae tutela. Hanc daemon noxae grauioris conscientia, ad desperationem incitatam saepius necare attentauerat: a Matre virgine vt daemon ipse fatebatur, prohibitus; vt ipsa sibi necem moliretur suadere instituit: sed eadem benigna Mater, quae manus, repulit etiam tartarea consilia; fecitq. vt a confessionis sacraméto animi malo remedium inuenerit. Haec domi.

Ex hoc collegio Socij duo ad portum securum nauigabant: arcam Sanctorum reliquiis, sacroq. alio, ac domestico refertam apparatu conuehebant. Hi aduersa tempestate in portum alium se recipere coacti sunt. cum hic starent in ancoris, pirata Gallus in eundem portum inuectus nauim expugnat, diripitq. Alter e fratribus e media mis-silium grandine, quam tormenta tum maiora, tum minora inter pugnandum densa procella emittebant, arcam sacrarum rerum impositam in linthrem, impulit ad terram; expositamq. atque in humeros sublatam, saluam longe intra terram, & solus & incolumis asportauit. eandem cum post piratae discessum, ad nauim reportarent, vix validi iuuenes tres cõmode vehebant. Diuina vtique tutela & caelestium patrocinium pio fratris studio onus alleuarunt. Et quoniam est piratarum facta mentio, non me pigebit illud quoque ad Sanctorum caelestium gloriam referre. Sub idem ferme tempus Gallorum naues e Rupellensi portu in Bra-

filiam ad vrbem Bayam diripendam soluerant. ex itinere Arguim in ora Africae praesidium Lusitanorum, incautis custodibus, expugnant; duceq. ac militibus aliquot occisis, propugnacula, tẽplumq. euertunt; aras, imagines, sacra omnia disiiciunt, comminuunt, dissipant. Signum ligneum tantum S. Antonij Olisipponensis, quem in Italia Patauinum nominant, per ludibriũ seruarunt; in nauimq. impositum ense accinxerunt, ludibriisq. multis affecerunt. Lusitanum Antonium vocabant; ac per lasciuiam ad bellum vna secum suscipiendum, & ad praelia capessenda inuitabant: nauim vt in Bayae portum impelleret, rogabant. Sed non diu impunis illis ea fuit impia procacitas. naues disiectae; ac tota classe vulgati morbi classiarios, seu piratas afflixere: duae ad Bayensem oram accesserunt. nauarchi duo cum armis aquatum exscendere. qui capti in vincula coniecti sunt. Qui in nauibus relicti erant, cum omnes morbis prostrati, afflictiq. iacerent, pacti vitam, deditionem nauiũ fecerunt. sed earum altera nautarum paucitate, morbo reliquis consumptis, antequam in portum ageretur, demergitur, altera incolumi, qua S. Antonij signum vehebatur. Verum ne suae praeferrent impietatis argumentum, Diui simulacrum, male habitum, ac fede laceratum nautae in mare deiecerunt. Non sustinuere impietatem salsi fluctus: sed acceptum integra fide reddiderunt, nam paucis post diebus ita in litore statuerunt; vt a longe spectantibus stantis hominis speciem referret. Vir pius, religione motus, in vicino sacello reuerenter collocat. Praetor, vt suam catholicis religionem testaretur, & vt ethnicis iusta, atque haereticis documentum statueret, qua pietate sacrae ima-

imagines colendae sint, quam maximo apparatu, gratulationeq. obuiam effusa ciuitate, voluit inde trasferri. Capuccini in suum templum detulerunt. Nec tanta haereticorum impietas expers fuit caelestis beneficij. Siquidem vnus e primis classis ducibus graui morbo in carcere oppressus, suam professus perfidiam, haeresi palam abiurata, culparum confessionem apud nostrum Sacerdotem peregit.

In tribus indigenarum opidis, quae sunt nostrae fidei commissa, cum plerique iam Christiani sint, pietas pro captu gẽtis studiose colitur; quotidieq. ex ijs, qui reliqui sunt ethnici, Christiani fiunt aliqui. nonnulli in ipso mortis limine, a quo proxime abesse videbantur, summa contentione baptismum petiuere: facti voti compotes animam Deo reddidere. Vnus praeterea incolumis, & valens a Sacerdote enixe postulauit, suam vt exigeret confessionem. se enim vocantis audire vocem asserebat, licet neminem videret. facta confessione, cũ de more piscaretur, superuentu piratarum captus, e naui se eiecit, sperans se nando ad terram euasurum; sed miser in mediis fluctibus extinctus est. Quanto vero studio hi neophyti colant pietatem, illo facto declararunt. Haeretici piratae nauem tum rebus aliis, tum sacro apparatu, sacrisq. imaginibus refertam spoliarant. ea omnia haeretici in mare deiecerunt; ne quae ipsi odissent, ab vllo mortalium pio honore colerentur. Ex ijs tabula vna, in qua B. Virginis imago picta erat; tertium iam diem fluctuans ad vnius ex his opidis litus est eiecta. eam inuentam piscatores exceperũt; atque intra opidum illatam tanta veneratione in sacra aede collocarunt; vt multi perfusi pietate lacrymas tenere non potuerint.

In opidis aliis circumiectis, ad quae nostri saepe commeant, tria hominum genera erudiuntur: Lusitani, Aethiopici, & indigenae. Quadringentos decem priore anno: posteriore mille & trecentos triginta nouem baptizarunt: veterum vero Christianorum tam multos confessionis sacramento expiarunt; vt sacerdos vnus vno mense confessiones exceperit nongentas sexaginta. Distat ab hoc tractu trecentis milliariis regio, quae tota colitur ab indigenis: ipsorum lingua Rarij nominantur: de qua accurate scriptum est anno nonagesimo. Ad eos iterum Praetoris rogatu Christiana doctrina imbuendos Socij quatuor profecti, laborum, & aerumnarum plus satis hausere. itinera, & aspera, & impedita: inuiae syluae, praerupti saepe montes, & lata flumina traiicienda. Et quoniam centum indigenarum trahebant comitatum, initio speciem Lusitanorum militū praebuere. quo territi aspectu incolae, suis tuguriis succensis, ad tuta montium partim recepere sese, partim ad imas valles demisere: latibula alij syluarum petiuere. Sed data est opera, vt in congressum venirent aliquorum; a quibus reliqui edocti, nostros esse Sacerdotes, securi, latibulis relictis, magna animi alacritate nostros exceperunt; seseq. excolendos praebuerunt. Nostri, plicatili ara excitata, sacra faciebant; infantes, puerosq. sacro baptismate tingebant; rudes Christianam doctrinam edocebant; illorum lites componebant, confessiones audiebant; ad sacram mensam ineundam instruebant. quadringentos circiter e syluestribus hisce, montanisq. hominibus sacram ad mensam admisere. quos dum obeunt, aspera loca perrrantes, tanta alacritate nostri laborem tolerarunt, vt minus iucunda ijs esset opera, quae non id genus incom-

incommodis condiretur. Et, vt securiore vita Christianam colant pietatem, Lusitani aliqui, qui ad eos iam ante penetrarant, Praetoris iussu inde reuocati sunt; ne forte illorum auaritia incommodi aliquid incolis afferret.

ILHEORVM, ET aliae sedes.

PRIOR annus Ilheis fuit insaluber: vt externi Sacerdotes, quod aegrotantium multitudini satisfacere non possent, ad nostrorum auxilia respicerent. Nec defuere nostri suo muneri. sed ipsi quoque eodem morbo impediti, minus strenue operam suam praestare potuerunt. Pergunt elemẽtarij eandem retinere pietatem, de qua anno XC. est scriptum. flexis genibus, & lingua, aliaue ratione palam peierantes Christianae pietatis admonere; eosq. piis precibus a publica numinis offensa reuocare. & res diuino beneficio vtiliter procedit. excurrere nostri extra opidum, tum ad officinas saccararias, tum ad circumiecta praedia magno bono incolarum. Inter has peregrinationes res contigit magno diuinae praedestinationis argumento. Indigena in ijs locis erat diuitiarum opulẽtia clarus & potens; sed auersa semper à Christi religione voluntate. Is vnum e nostris Sacerdotibus de more ea loca obeuntem, retiuuit, magnoq. studio baptismum postulauit. rem in commodius tempus differre noster voluisset; victus tamen ethnici contentione, qui moram longiorem inter tot pericula pernicioſam sibi foram asserebat, hominem tandem fecit voti compotem. Metus

inscio

inscio diuinitus iniectus verum fuit vaticinium. paucis enim a noua suscepta religione diebus, ab inimicis circunuentus occisus est. Mulier agens animam, nostris superuenientibus, baptismum postulauit. haec statim atque abluta est, in ipso statu innocentiae emisit animam. Omnino admissi ad baptismum priore anno duo supra centum: Ecclesiastico iuncti matrimonio triginta septem: e Christianis veteribus mille septingenti viginti ad confessionem; ad sacram mensam totidem paene accessere.

IN PORTV SECVRO vitae munus expleuit posteriore anno P. Antonius Rocha, verus pietatis, & religiosae cultor paupertatis: quadraginta expleuit annos in Societate, fractus magis laboribus, quam fatigatus. Reliqui etsi grauiter aegrotarunt, strenue tamen in proximis iuuandis insudarunt. Excurrere ad circumiecta loca: multi ad baptismum adducti: ingens indigenarum numerus ad confessionis, & Eucharistiae sacramenta accurrentium. multi etiam sacro matrimonio copulati.

VIRGINIS AVGVSTISSIMAE, & S. Michaelis sedes nusquam nisi in litteris anni nonagesimi quarti nominari inuenio. Brasiliorum pagi, seu opida esse videntur, a Lusitanorum consuetudine, conuictuq. secreta. Frequentes interesse dicuntur concioni, frequentes item obire confessionis sacramentum; & eam, quam semel fidem conceperunt, constanter retinere. illamq. alios ambire studiose. numerum eorum, qui se confessione expiarunt, produnt mille ac trecentorum: quadringentorum, qui caeleste conuiuium degustarunt: sex & sexaginta, qui se ad Christum adiunxerunt.

xerunt. quinque & quinquaginta, qui in Ecclesia contraxere matrimonium. Haec operarum sex, vt in sterili solo prioris anni cultura.

COLLEGIVM FLVMINIS Ianuarij cum adiunctis locis.

E Collegio fluminis Ianuarij non modicus è scholis fructus percipitur. adolescentium solito fuit auctior numerus: nec minus, quam in litteris, morum pietate, & vitae cultu, humanitateq. proficiunt. Non possunt vulgaria ista reticeri, multorum sedatae discordiae: multi a caede reuocati: ex alto peccatorum, ceno extracti multi. Ad confessionem priore anno venere ter mille octingenti nonaginta quinque; sacro se Christi corpore pauerunt trecenti quinque: Christo dedere nomen quadraginta quinque: Christiano copulati matrimonio septem. Sed vt quantum, Deo fauente, anno vno profectum sit, intelligatur, posteriore anno duodecies mille sexcenti octoginta septẽ confessione, sacra Eucharistia nouies mille sexaginta septem, baptismo se cum Deo coniunxere quingenti quinquaginta quinque, Christiana contraxere matrimonia ducenti sexaginta septem. vt mirum sit, & sancto numini grates agendae, tantam vno anno accessionem esse factam.

Sunt praeterea opida nonnulla collegio annexa, quorum singula singulos sibi e caelitum numero patronos adoptarunt. eorum diem festum quã maximo cultu, pietateq. traducunt. multi eo tempore animum a culpis abluunt: sacram etiam mensam ineunt, qui inter eos sunt capaciores. omnino

pie-

pietatem pro captu, magnificiunt. documento sint feminae duae. quarum vna contumelioſe laceſſita: Haec omnia tibi, inquit, condono libens, quod in eorum numero ſim, qui Deum ipſum pro nobis in crucem actum, ore ſuſcipiunt. Alteram filiolam vincientem noſtri deprehenderunt, vt de illa flagris poenas ſumeret; quod eo die ſacrificio Miſſae non interfuiſſet. Eſt opidanis omnibus ſolenne, antequam ad opus exeant, quotidie Miſſae ſacro intereſſe. Eorum vnum, cum ad praedium iuiſſet, lignum decidens oppreſſit; eiq. crus alterum comminuit. in ea calamitate ſe ipſe accuſans, faſſus eſt id ſibi merito eo die contigiſſe; quod Miſſae ſacrũ omiſiſſet. Alter luce orbatus oculorum, eius reparandae cauſſa ad diuinam confugit opem implorandam. frequens erat in templo; ac tandiu perſtitit in precibus, quoad pertinaci pietate, quod enixe contendebat, impetrauit.

SVNT QVATVOR praeterea eidem collegio adiuntae Praefecturae, S. Spiritus, Piratiningae, S. Barnabae, & Sanctorum. His S. Vincentij addemus. Piratininga neutro anno quidquam eſt allatum, quod quidem a quotidianis ſit diuerſum: In Sancto Spiritu priore anno incolae morbis grauibus vexati ſunt: poſteriore tandem diuina ope liberati. beneficio maxime S. Mauritij tributum eſt, cuius reliquiae in aede noſtra aſſeruantur. eum magna opidani colunt pietate; magnaq. in periculis fiducia ad eius confugiunt opem implorandam. vt cum in magna ſiccitate magna anni ſterilitas timeretur, frequentes ad noſtrum templum ſupplicationis inſtituẽdae cauſſa ad impetrandam pluuiam conueniſſent, eodem die opportunus imber, copioſe terra irrigata, opidanos metu liberauit.

uit. Auctum sacrum instrumentum veste non modica, & non ineleganti. sacra quoque supellex cruce, thuribulo, & theca sacra, qua vndecim millium virginum reliquiae conduntur: & haec omnia argento affabre elaborata.

IN PRAEFECTVRA S. Barnabae, populis grauibus morbis afflictis, Socij quatuor continentibus, magnisq. laboribus in ijs iuuandis distenti sunt. In tot, tantisq. difficultatibus, praeter ingentem numerum eorum, qui ad sacrosancta mysteria sunt admissi, quadringentos viginti per baptismum Christo adiunxerunt.

DE SANCTORVM Praefectura nihil est allatum: nisi nostros inde octauo quoque die nostrorum ministeriorum caussa ad opidum S. Vincentium excurrere. ibi confessione expiatos bis mille nongentos nonaginta quinque: pastos Christi corpore mille centum octoginta nouem: coniugia nonaginta septem celebrata: duos & viginti supra centum baptismate lustratos.

PERNAMBVCENSE Collegium.

PERNAMBVCI religio non modica coepit increméta. nam cum priore anno sex millia, & septingenti sexdecim confessionis; tria millia triginta Eucharistiae obierint sacramenta: posteriore anno confitentium nouem millia & ducenti viginti septem: sacram sumentium Eucharistiam quatuor millia trecenti numerati sunt. Baptismorum, & matrimoniorum, quod qui idonei essent, fortasse priore anno iam admissi essent, fuit

multo

multo minor numerus. septem enim tantum baptizati, quadraginta numerantur coniugati; cum superiore anno centum decem ad baptismum, ad Christiana coniugia quadraginta sint admissi. E catechismo, qui grandi etiam aetati explicatur, cum alij fructus, tum pacificationes multae reportatae sunt. Duae praeterea familiae peramplae graui discordia dissidentes, ne constitutam certaminis horam obirent, noster sacerdos perfecit, factionis principibus inter se conciliatis. Quadragesima hic quoque vt Bayae bis quaque hebdomada in nostro templo vsurpata flagellatio est. Gratus fuit vniuersae ciuitati P. Prouincialis aduentus. ad eum excipiendum Praefectus vrbis, nobilium magno comitatu, obuiam processit ad quinctum milliarium, cum ab Australi Ptouincia, terrestri itinere, ad vitandas piratarum infestationes, longo, & difficili ad nos rediret. quo in itinere octoginta circiter flumina, & eorum multa bene lata, traiicienda fuerint. Templi fabrica, iam ante instituta, promouetur. addita templo altaria duo lapidea, opere pereleganti. auctus etiam nonnulla veste sacer apparatus. Aucta praeterea multo augustius non ipsa modo nostra sacra aedes, sed ciuitas quoque vniuersa venerabilibus Sanctorum ossibus, quae R. P. N. ex vsque Roma ad nos transmisit.

Haec eo & apparatu, & impensa sunt excepta, quae omnium aliorum collegiorum, ac Residentiarum in eo genere apparatum superauerit. Parochiales omnes Sacerdotes ex vniuersa dioecesi, Episcopi litteris acciti, in vrbem conuenerunt. Honorifica pompa, magno clericorum agmine, nobiliumq. comitatu in vrbem, & templum sunt illata. magnus adolescentium numerus, pulcherri-

mo

mo indumentorum genere, parrochialium, diuorum personas referentium, & aduentum sacrorum pignorum gratulantium rem totam illustriorem reddiderunt. ita dies summa omnium religione, festaq. gratulatione consumptus est.

PROVINCIA INDIA.

NVMERVS eorum, qui prouincia India continentur, posteriore anno fuit aliquanto minor, quam priore. tunc enim, vt ex numero singularũ familiarũ colligitur, trecenti vndeuiginti; postea ducenti nonaginta tres numerati sunt. atque hi variis domiciliis, longe dissitis, distributi. In Goana professorum domo quadraginta priore anno morati sunt, altero octo & triginta: in Xenodochio Regio, cuius est regimen penes hanc domum tres: in collegio S. Paulli Goano centum prius, post octoginta quatuor: in domo probationis Goana vtroque anno triceni quini: in Salsetide septemdecim, duo pauciores anno altero: in Bazainensi collegio, residentiisq. illi adiunctis tres & triginta prius, viginti nouem postea: Damani quinque, vnus additus anno sequente: seni toto biennio Ciauli: in Cocinensi collegio viginti septem prius, postea viginti quatuor: tres Vaipicotae: Coulani, & in ora Trauancoris octo priore anno, posteriore nouem; quatuor Tutucorini: in ora Piscariae quindecim, vnum adiecit annus sequens: ad montana S. Thomae quatuor priore

priore anno, septem posteriore: anno vtroque Malacae septeni: deni Maluci: supererat vnus adhuc in Aethiopia: duo, qui illi mittebantur auxilio, Cannae Arabicae orae vrbe, Turcarum ditionis, quod ad Preteiannem Abassinorum Regem proficisci existimarentur, excepti in seruitute attinentur. His addi possunt vnus & sexaginta supra centum, quos in Iaponiis, & Sinis semiprouincia versari cognitum est: centum & triginta nouem in Iapone, duo & viginti apud Sinas: & ex his tres tantum in mediterraneis, vndeuiginti in vrbe Amachao. Sed de Iaponiis, & Sinis proprij libelli sunt excusi: vt superuacuum sit de illis plura scribere. Ita transmarinis hisce duabus prouinciis quadringenti octoginta numerati sunt. E toto numero priore anno in India desiderati sunt sex, posteriore octo: apud Iaponios duo ad nostrum numerum accessere in Iapone duo, in India anno vtroque duodeni.

GOANA PROFESSORVM domus.

IN Goana professorum domo posteriore anno viuendi finem fecit domestici operis adiutor, septuagenario maior. qui aetatem bene longam exegerat in Societate: vir multae simplicitatis, & pietatis, praecipue erga Matrem Virginem, infantemq. Iesum. vitam multis ornatam meritis digno fine concluſit. Hunc sequutus est P. Aloysius Coelius, P. Prouincialis comes, quem violenta febris vndecimo die consumpsit, non sine dolenda tantae virtutis iactura: eoq. magis, quod florenti ad-

huc aetate praereptus est.

Qui fructus e spiritali opera collecti sint, concionibus habendis, audiendis confessionibus, discordiis sedandis, e frequentissima vrbe, & quae Regni caput est, & e multarum ac strenuarum operarum industria, promptum est cuilibet coniicere. Sed pacificationes quaedam insigniores multa & periculosa mala auerterũt: duo viri nobiles annum iam inimicitias aluerant: duo de pecunia dissidentes cruore, & caede de tota controuersia decidere decreuerant; tres alij graui offensa ita dissidebant; vt sine multorum caede, & infamia res transigi nullo modo posse videretur. Vir honestus ab inimicis (& sex erant numero) oppressus, multisq. vulneribus male acceptus, stipatus armatorum comitatu eam iniuriam ita obfirmato vlcisci animo decreuerat, vt de reconciliatione interpellantes audiret nullos: viri nobiles aliquot in armis erant, vt contumeliam propinquo illatam vindicarent; magnumq. ex ea re incendium timebatur: hi omnes Dei beneficio, nostrorum opera suas inimicitias Deo condonarunt. Decem duodecimue aliae magni momenti simultates per nostros sublatae. Aliqui nostrorum monitu insidias suae vitae paratas euitarunt. Duo a nece sibi inferenda reuocati. Restitutiones ingentis pecuniae trium, quinque, & sex millium aureorum factae sunt. Curatum vt triremibus addicti sacramento paenitentiae expiati, sacra etiam Eucharistia reficiantur: &, vt Christiani remiges signo e ceruicibus appenso, ab Ethnicis, & Mauris dignoscantur. Triginta circiter ex ijs, qui praescriptum multae tempus expleuerant, nostrorum opera emissi sunt. Eandem libertatis dulcedinem, nostris item auctori-

ctoribus Iaponiae mulieres quatuor sensere. puellas item tres gentis eiusdem magno pretio cõemptas, nostrorum item suasu mercator idem, qui emerat, manumisit. Duriorem daemonis seruitutem, & perennem peccandi consuetudinem cum sacro matrimonio sex homines commutarunt. Puella vtroque parente destituta, conquisitis eleemosinis, honesto in matrimonio collocata. Catechismus dum pueris in templo explicatur, multa ad circumfusam multitudinem de more explicantur. forte accidit; vt, dum de condonandis iniuriis disputaretur, nonnulli, qui certum hominem ad necem quaeritabant, templum ingressi, aures sermoni accomodarent, quo ita singuli permoti sunt, vt ne consilio quidem inter se communicato, a nefario cogitato destiterint; atque ad Sacerdotis abiecti pedes confessione crimina eluerint: quod ex ijs vnus eidem catechistae postridie narrauit. Praeter eos, qui in triremibus captiui baptizati sunt, in quibus vnus & alter iam moribundi, nostrae legis praecepta omnia iam pridem edocti, extremum videntur tempus expectasse, vt sacris aquis abluti, e seruitutis ergastulo, vitaeq. eodem tempore exirent; sexcenti in nostra aede sacro lauacro regenerati sunt. quorum trecenti quinquaginta ipso Circuncisionis die diuinum percepere beneficium, Prorege, aliisq, e primoribus multos e sacro fonte susscipientibus: reliqui aliis anni temporibus Christi Ecclesiae adscripti. Et quoniam catechumeni in conducta domo ante habitabant, priore anno empta domus est perampla, in qua nunc instituuntur, ad cuius emptionem multi, & in ijs etiam ethnici nonnulli sponte eleemosinas cõtulerunt. Multae item aliae a multis eleemosinae

collatae ad sacrum apparatum augendum, & noui templi aedificium. Eius initium factum est priore anno, Nouembri mense ineunte. speramus vetere multo fore & commodius, & augustius. longitudini ducenti, latitudini octoginta palmi dimensi.

COLLEGIVM GOANVM ad S. Paul.

GOANVM collegium priore anno graues, periculosiq. morbi afflixere. sed adhibita cura, diligentiaq. omnes diuino beneficio conualuere, duobus tantum desideratis: fratre vno scholastico annos nato circiter duodeuiginti, in ipso quasi suae religionis flore: (duos enim tantum annos, & sex menses egerat in Societate) magno ex ipsius animo futurarum virtutum odore erumpente; vt & ipsius in conuictu humilitas, & fortis in morbo patientia declararunt. & P. Emanuele de Lis; qui quaestiones de conscientia in huius collegij gymnasio explicabat. Viginti quatuor fuerat in Societate annos: biennio ante venerat in Indiam: magnoq. semper ad Christi gregem traducendi quamplurimos animi ardore flagrauit. nō enim ille vulgari palma contentus, scholarum otia, & vrbium celebritatem, in quibus multa cum laude, & hominum vtilitate florere potuisset; sed spiritu plane Apostolico, quali ad hanc Indicam expeditionem opus est, desertas gentes, Euangelij luce destitutas, regionesq. omni humano solatio carentes, magnasq. aerumnarum, & animorum messes semper spectauit. Saepius a P. Prouinciali flagitarat, vt se in Aetiopiam mitteret; vbi pro-

proxime cognitum erat, Sacerdotem vnum reliquum esse; & eum, aetate iam affecta, non longe abesse a corporis solutione. Expeditionem quoque ad Mogorem, tanquam beatissimam sibi sortem, si eam consequi posset, in votis habuit; si nullo fructu alio, saltem, vt in tanta Mahometanorum colluuione vnus aliquis Christum dominum veneraretur. Eius mors, hominis virtutis plane admirandae, & omnibus apprime cari, eo fuit grauior, quo minus exspectata, & paucorum spatio dierum maturata. In ipso mortis agone ea signa dedit, quae & acre cum inferno hoste certamen, & ingentem animi fiduciam indicarent. nam & S. Michaelem sibi contenta voce aduocauit; & quod de S. Martino legitur, intrepido animo, & constanti voce humani generis hostem increpitum ab se abegit. (vtar ipsis eius verbis) Quid quaeris, inquit, phantasma infernale? non habes potestatem in me, mediante sanguine Iesu Christi. Ad memoriam vero B. P. Ignatij intermortuis vocibus significauit, se mirifice recreari aspectu, quo mox fruiturum se sperabat beatissimae illius animae. Posteriore anno desideratus est Franciscus Caruallius. duodecim annos egerat in Societate, in coquinae aliisq. humilibus ministeriis plerosque, multa semper animi submissione, ac mansuetudine.

Scholae alumnos numerarunt supra septingentos, elemenrariis adiunctis: & ex iis multi se ad varias religiones contulere: ad clericalem alij statum assumuntur. Et quanuis solennes huius collegij occupationes circa scholas, scholarumq. discipulos versentur: non desunt subinde occasiones etiam fructus alios demetendi. Sed est fructus ille quotannis maxime insignis, cum appetente Con-

uersionis S. Paulli die festo, collegij fratres, partiti regiones inter se, vrbem, insulamq. omnem obeunt, ethnicos homines, & a nostra fide alienos Mauros, piscatorum instar, ad Christi sagenam cõuocantes. Ita vtroque anno magna vrbis laetitia trecentem baptizati sunt. Res autem ita de more institura est. Qui ab baptismum e suis quisque vicis, domibusue euocantur, illo ipso die ad domum catechumenorum adducuntur. ibi tum a nostris, tum a Seminarij alumnis catechismo instruuntur tantisper, dum dies aduenit baptismo constituta. Eo die scholarum nostrarum pueri, adultiq. ad collegium conueniunt. inde agmine in suo quique ordine, sub suis item ducibus, ac vexillis, tribunis militari more ordines regentibus, magno timpanorum, fistularum, tibiarum, ac tubarum sono ad domum procedunt catechumenorum. Illi interim a Patre illo, qui praeest rei catechisticae, quem Patronum appellant Christianorum, & neophytorum tenet patrocinium, aliisq, patribus Societatis, fratribusq. intra domesticos parietes ad speciosam pompam instruuntur; luculentis singuli induti vestibus, suam quisque palmam manu tenent. inde ordine prodeuntes, aetate, sexuq. distributi, a discipulorum agmine excepti, eadem musicorum instrumẽtorum festa laetitia ad collegium nostrum deducuntur. Cum ad templi fores ventum est, a Seminarij alumnis cum cruce ijs itur obuiam. pro foribus multi Sacerdotes linteati, orario e ceruicibus diuino praestolantur. e quibus vnus praeter ceteros pluuiali insignis verba praeit, reliqui sacros catechismi ritus excipiunt; totamq. peragunt baptismi cerimoniam, Prorege, aliisq. nobilibus sponsores se praebentibus. Eodem apparatu baptis-

ptiſmus alter celebratus eſt XII. cal. Nouemb. quo die anniuerſaria vndecim millium virginum memoria recolitur. Sed in ijs ad baptiſmum colligendis, mira ſaepenumero eueniunt, in quibus Diuina bonitas multum laudanda. Superioris anni, hoc eſt anni nonageſimi tertij ſcriptum eſſe produnt litterae huius biennij priore de admirando adoleſcentulo ſacro tum baptiſmate luſtrato, cui nomen datum eſt Vincentius. Eius pater ethnicus anno nonageſimo quarto, paruum filium alterum vt periculo catechiſmi ſubduceret, in Maurorum fines aſportauerat. Puer ex itinere pictas ſanctorum quorundam imagines cum vidiſſet, incredibiliter illarum ſpecie captus, fixam earum animo memoriam retinuit. Paucis poſt diebus, patre vita functo, ac ethnicorum more nobilium rogo impoſito, Goam rediit; rectaq. ſe contulit ad collegium; magnaq. ſua, & Vincentij fratris, noſtraq. laetitia baptiſmo affectus eſt. Ceterum Vincentius ipſe, quamuis & puer, & recens Eccleſiae adſcriptus, indole tamen animi egregia adultorum, & veterum Chriſtianorum aequat conſtantiam. Diebus feſtis recens renatorum obit loca; eosq. ſolerter catechiſmo inſtruit. & cum ethnici vici cuiuſdam neuphytos, quos ille obire ſolitus eſſet, fraude circunuentos, in fines Maurorum traduxiſſent, rem ipſe ad Patres detulit; quorum opera factum eſt, vt illi in ſuas ſedes reſtituerentur. Et quoniam his & ſuperiorum annorum litteris Seminarij ſaepe facta mentio eſt, id planius videtur explicandum. In id pueri recens ad fidem vocati, tum alij omni ad vitam tuendam praeſidio deſtituti, colliguntur; aluntur, docentur, inſtituunturq. ijs artibus, quibus vitam tueantur: tandiuq. ibi ſu-

ſtentantur, quoad victum ſibi comparandi compotes facti, idoneo in ſtatu collocentur. quiq. ex ijs aut Brachmanae, aut honeſto loco nati videntur ad litteras idonei, in ſtudiis aluntur; multiq. idonei leguntur Sacerdotes. Et cum poſteriore huius biennij anno praecipua quaedam parecia extra vrbem vacaſſet, vita functo eo, qui illam adminiſtrabat: Archiepiſcopus ex hoc Seminario delegit, quem ei praeficeret, alumnum neque poſtulantem, neque cogitantem. Alij quoque multi ex eadem prodiere diſciplina, qui nunc bona cum omnium opinione, condicione optima vtuntur. In excipiendis vero in eum cetum pueris ad fidem vocatis, nonnulla relatu non indigna contigere. Adoleſcens ethnicus patri ſubiratus aliquandiu in Maurorum finibus vagus exſulauerat. hic diuino inſtinctu permotus ſua ſponte huc ſe contulit; atque, parente vtroque inconſulto, baptiſmum petiit. inſtructusq. factus voti compos, cum laude in ſuſcepto vitae genere perſiſtit. Banda eſt opidum maritimum in ditione Hidalcanis, non ita longe diſſitum a Goa; e quo frequens eſt vltro, citroq. commeatio. inde Goam venere mercatores Mauri, qui pueros duos, ethnicis natos parentibus, ex itinere exceptos ſecum aſportarant, vt venderent. id cum reſciſſet P. Patronus Chriſtianorum, eos ex eorum manibus exemit, & in Seminario Indorum alumnorum collocauit. Ibi dum inſtituuntur, eorum alter, ſex circiter annorum aegrotauit: morboq. ingraueſcente, magno ſuo cum bono baptiſmo admotus, impollutam animam Deo reddidit. alter baptiſmo luſtratus, & animi, & corporis libertate recepta, multo cum fructu in Chriſtiana proficit diſciplina. Mauri alij inſtitores puerum venalem

nalem ad Collegij ianuam duxerunt. quaesiuit ex ijs ianitor, quo iure illum venderent. illi male sibi conscij, veriti ne iniuria palam fieret, ac legum poenam metuentes, relicto puero, inde se propripiunt, & hic ductus in Seminarium, cum maturum fuit, Christianorum cetui adscriptus est. Maurus iniuria affectus a collega, doloris vlciscendi caussam aliquam quaerebat, qua aduersarium grauiter repungeret. cognoscit pupillos duos esse illi fratres, vtrumque tenera adhuc aetate. Id homini Christiano enunciat, & simul indicat, Regni legibus in Christianorum debere esse potestate, quoad periculum fiat, an velint fidem amplecti Christianorum. Christianus Patrono Christianorum rem aperuit: amboq. vna, vbi pueri asseruabantur, profecti, eos e latebris eductos ad Seminarium misere. erat alter octo natus annos, alter tredecim. vterq. vero falsae ita pertinaciter addictus legi, vt ne nomen quidem Christi ferre posset. ad quencunque de pietate sermonem, tristes nihil respondere; ne verbum quidem ad aures admittere. vultu vero ita contumaces, & irati, vt appareret stygiam in ijs ebullire iracundiam. Sed die iras mitigante, lacessiti de religione a Praefecto Seminarij; iussere certam diem expectari: se tunc responsi aliquid daturos: quae dum expectatur, propinqui puerorum, cum oratore egere Hidalcanis, & cum Mauris aliis nobilibus, qui in vicino sunt, vt & ille coram, & hi per litteras a Prorege pueros repeterent. Id illos agere cum resciisset P. Rector, Sacerdotem misit, qui puerorum animos perpelleret. illi ab insita duritia magno cum omnium maerore obstitere contumaciter. ita infecta re discessum est. Forte frater vnus ex ijs, qui in Seminario sunt,

ser-

sermonem de aeterna gloria cum pueris instituit, sine vlla prorsus de Christiana religione interpellatione. quo sermone illi sensim deliniti, magno se eius consequendae studio succédi prae se tulerunt. ita rogatus maior natu, an Christianus esse velit, magna animi alacritate assensus est. rogatus, cur velit esse: vt aeterna illa perfruatur gloria respondit. & qui ad id tempus maerorem ex animo, tristitiam ex ore nunquam exuisset, nunc magna cũ omnium admiratione exhilaratus minorem etiam in eandem sententiam facile pertraxit. Indumenta holoserica ijs statim exhibentur; breuiq. Christianae fidei praeceptis imbuti sacro lauacro expiantur. ea res Maurorum conatus anteuertit. nam quo tempore puerorum missionem à Prorege impetrarant, illi iam fidelium cetui adscripti erant. ita in cassum eorũ opera consumpta. Est inter ethnicos Botorum secta. hi magno in honore habentur apud omnes, quod & religiosi sunt, & Sacerdotes: patronilegum seueriſſimi, & rituum suorum, totiusq. superstitionis vindices acerrimi. Ex eo genere adolescens viuebat inter Mauros. is diu multumq. animo se extimulari ad Christianam religionem sentiebat. octiduo toto ei per quietem insomnia obuersabantur, se iam Christianum esse factum. postremo quatuor sibi Societatis patres per quietem adesse visi sunt, qui se ad Christianam religionem amplectendam hortarentur. Huic viso tandem assensus Goam venit: nostrum templum intrat. sed inter laetitiam, metumq. neminem ausus est interpellare, Lusitanicae linguae imperitus. Anceps consilij ad propinquum suum, hominem Christianum, & multae probitatis diuertit. ei consilium suum aperit. Laetus hospes adolescentem

ita

ita in suo consilio confirmat, vt etiam fide praeceptis instruat. Dissipatur interim fama per vrbem; Botum adolescentem petitum baptisma venisse. ergo ethnici, Botiq. alij conueniunt, hospitem perterrent: se Proregem adituros, curaturosq. vt adolescens interrogandus supremo sistatur Auditori: si quid in re fallaciae deprehendatur, perniciem minantur. Hospes, homo non imperitus, prudenter illorum postulatis satisfecit, minas contempsit. tamen quod sciret, adolescentes in illo interrogationum discrimine constitutos saepe titubasse, veritus aetatis seu inconstantiam, seu imbecilitatem, Botum prudenter monuit, etiam atque etiam videret, quo progrederetur. si stat animo Christianam suscipere religionem, sibi etiam constet in sermone; &, quod in praesens annuit, id nullo vnquam tempore nullius metu, nulla cuiusquam contentione, nullius reuocet ambagibus; quin idē semper, animo praesenti, constanti vultu, voceq. asseueret: se velle fieri Christianum: neq. ab hac oratione interrogationum circuitionibus abduci se sinat. ad haec adolescens, pro captu aetatis, constanter admodum respondit: se sua sponte, nullius suasu, solo diuino instinctu, hanc mentem suscepisse: Deo duce, se relicta patria, huc propterea venisse, vt Christianus fieret: malleq. se in aliena terra, dummodo in Christiana religione egere, quam in patria, & auita impietate abūdare. Deum ipsum, qui sibi eam mentem dederit, in omni discrimine etiam opem allaturum. Explorata iam iuuenis voluntate, & perspecta satis constantia, hospes eum ad seminarium traduxit. Ibi aliquandiu cum fortiter, ac laeto animo perstitisset, tam grauis animum, periculosaq. sollicitudo incessit, vt de

toto

toto animi ſtatu in diſcrimen venerit. Tam acris, & imminens animum angebat cura, tam alte infixa perfodiebat cogitatio ex parentum memoria rerumq. ſibi cariſſimarum, quibus carendum eſſe ſentiebat; vt in maerorem, & lacrymas totus ſolueretur. Sed nimirum voluit eo periculo Diuina bonitas tironem non percellere, ſed excitare. nam diuino menti redeunte lumine, coepit ſuam ipſe molliciem reprehendere, diaboli fallaciam agnoſcere, & animum in ſuſcepto conſilio obfirmare. Ita baptiſmo expiatus, magna cum laude pietatis, maiore ſpe virtutis perſeuerat. Botorum, ethnicorumq. minis inanem fumum exhalantibus. Puer alius duodecim circiter annorum, Goanus ciuis, parente medico & ethnico natus, religione & ipſe Botus, in puerum Chriſtianum, qui & ipſe fuerat eiuſdem ſectae, incidit. ab eo ad domum Luſitani hominis honeſti ducitur: ſe velle fieri Chriſtianum profitetur. Luſitanus puerum apud ſe retinuit ad viceſimum diem. inde ſatis Chriſtianae fidei praeceptis inſtructum, cum ſciret ipſum a patre & nobili, & opulento ſollicite perquiri, ad Seminarium tranſmiſit. Propinqui interim, re cognita, egerunt cum Prorege, ſibi vt puer, ad eius explorandum animum, reſtitueretur. ſed iam baptiſmi maturitas illorum conſilia praeuerterat. Quare ad parentis aduentum rogatus puer, vellet ne patrem alloqui: ſi Chriſtianus eſt, inquit, libens in eius colloquium me dedam: ſin minus, hinc faceſſat: non enim, ne aſpectu quidem hominem dignabor.

Exſtitit praeterea egregia piorum amicorum liberalitas in hoc collegiũ, ſacro praeſertim inſtrumento augendo. vtroque enim anno ingens pecunia in id collata: ſed poſteriore praeſertim pardai ſupra ter mille & quingenti.

SAL-

SALSETHIS.

SVNT in Salsethide collegium vnum, & Residentiae nouem, in quibus vndecim Ecclesiae: totam hanc Domini vineam quindecim operae colunt, Sacerdotes duodecim, cum fratribus tribus. Christianorum numerus in dies augetur; & vt appareat agri fertilitas martyrum sanguine irrigata, priore anno Christianorum censa sunt viginti octo millia quadringenti septuaginta tres; cum multo minorem numerum superiorum annorum litterae contineant. posteriore anno triginta millia quingenti & duo. in his censentur, qui nuper ad baptismum venere; quorum priore anno mille ducenti triginta quinque; posteriore anno nongenti & octo numerati sunt, decrescente numero, quod paucae iam supersunt antiquae reliquiae superstitionis. Fuere ad baptismum praeparati cathecumeni priore anno mille sexcenti sexdecim: posteriore mille quingenti sexaginta duo: & hi ijs, quas diximus, sedibus, Ecclesiisq. distributi. Haec vniuerse nota esse, satis sit. Quot in singulis Ecclesiis adscripti sint fidelibus, quotq. in singulis catechumeni instituantur, enumeratio esset & longa, & molesta. quae vero in singulis Ecclesiis narratu digna contigere, ea deinceps persequemur.

COLLEGIVM S. SPIRITVS Marganense in Salsethide cum adiunctis Ecclesijs.

EST Marganum opidum quasi centrum totius Salsethidis, & aliorum omnium frequentissimum.

mum. In eo situm est Collegium inuocatione S. Spiritus; in quo Sacerdotes agunt quatuor cum tribus fratribus. Christianos (vt in Principe sede duntaxat hac vtamur diligẽtia) numerarunt priore anno quatuor millia octingentos septuaginta quinque, catechumenos centum quinquaginta: posteriore baptismo iam lustratos quinque millia septingentos viginti nouem; catechumenos ducentos. Gens vniuersa ferme nobilis, & doctrinae capax; proinde homines etiam nostrae religionis ceteris huius terrae exercitatiores. vt etiam instar Christianorum veterum sodalitatem Spiritus Sancti inuocatione, magnum Ecclesiasticis solemnitatibus ornamentum, inter se instituerint. Est etiam hospitalis domus aegrotorum, ad quam non Christiani modo, sed etiam barbari curationis caussa confugiunt. quae res magnam diuinae legi conciliat beneuolentiam. & persaepe accidit, vt non suam modo animi salutem, sed suorum etiam, quos adducunt ad baptismum, aegroti consequantur. Sacras ferias vniuersi pio cultu venerationeq. prosequuntur. Christi natalia, eiusq. incunabula, adornatumq. praesepis simulacrum quanta pietate venerantur, quoniam fuse satis scriptum est sequentis anni litteris, reticebo in praesenti. Illud non omittam harum litterarum proprium. Ethnicus spectandi studiosus nocturnas natalis domini vigilias, in turbam se iniecit Christianorum. Sed inter sacras preces agnitus, cum ventum est ad Missae sacrificium, emissus e templo, rogauit, vt in Christianorum numerum adscriberetur: se enim caelestes nocte illa percepisse voluptates, quibus vt saepius fruatur, magnopere optare, se Christiana perfundi pietate. ita voti compos factus Chri-

stiano

stiano homine dignam vitam ducit. Iidem cum templi alicuius tutelaria solemnia recurrunt, viri, feminaeq. magno concursu Ecclesiam frequentãt. quae celebritas non Christianos modo, sed ethnicos etiam excitare solet. Accidit, vt cum festa tutelaria Ecclesiae celebrarentur, trecentiq. & vndecim catechumeni sacro fonti admouerentur, ethnici multi se quoque salutari tingi aqua flagitarent. Cumq. eos Pater moneret, esse prius doctrina imbuendos, responderunt, se multo ante didicisse: facto periculo, cum baptismo idonei reperti essenr, Pater sequutus illud: nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi sicut & nos; in magna omnium laetitia hunc sane copiosum appendicem ad candidatos reliquos adiunxit. Neque sane est mirum, illos nullo magistro nostrae religionis symbola tam bene tenuisse. siquidem in Marganensi ditione vicus est bene frequens totus ethnicorum. in eo omnes intra suas domos noctu Christianae doctrinae capita pertractant: idque ea re dicunt facere; quod cum intelligant, serius citius omnes ad Christianam religionem venturos esse; vt, cum tempus illud venerit, hanc discendi molestiam praefestinata opera redemerint. Vicus est totus Brachmanarum Salsethidos totius maximus, in eo maxima pars degunt eorum, quos ex camera generali nominãt: qui gubernatores opidorum, & populorum aliorum sunt. Hi, cum intelligerent solam Christi legem esse veram, neque extra illam esse posse salutem, communi omnium suffragio sanxerunt, vt vicus vniuersus se ad Christianam legem, religionemq. transferret. quae res Christianos omnes magna laetitia affecit: cum primus ille Brachmanarum

narum vicus publica lege ad Christianam Ecclesiam accesserit. Iter faciebat Pater vnus, accitus e collegio ad confessionem audiendam extra opidum. is incidit in cetum quendam barbarorum. centum erant circiter,& quinquaginta: ad hos Pater verba fecit: eosq. perpulit, vt omnes vna, illo ipso die, Christo nomen dederint, & in catechumenorum numerum relati sint. Ad confessionem, quo vocatus erat, cum veniſſet, puellam inuenit, quae diceret, non confessionis cauſſa eum se accersisse, cum Christiana nondum esset, sed baptismi; quod sibi breui moriendum esset. Miratus Pater petitionis nouitatem, cum incommodae valetudinis signum nullum appareret, aetatis suspicatus esse leuitatem, quaesiuit, an doctrinam didicisset, quae ad baptismum opus esset: tum illa, se si viueret, operam daturam, vt addisceret: sin minus, nulla doctrina, sibi opus esse, respondit: sed sufficere baptismum ad salutem: proinde rem diutius ne differat. nam sese iam iam esse morituram. Pater contentione victus, vt potuit in tantis temporum anguſtiis, puellam catechismo instructam, baptizauit. Paullo post, cum se domum recepisset, cognouit ipsam vita functam esse. E Maurorum opidis femina huc ad parentes se receperat: viro enim, cui nupserat, vita functo, affines eam cum mariti cadauere, pro gentis religione, eodem rogo concremandam conquirebant. eam religioné mulier reuerita, inde fuga elapsa, meliore religione & suae vitae, & animi saluti, suscepto baptismate, consuluit. Puer alius duodecim, tredecimue annorum sacro baptismate ablutus, tanta diuinorum charismatum iucunditate repletus est, vt & patrem, & germanos fratres quatuor ad baptismū addu-

adduxerit. Indorum animos vera imbuere religione negotium non magnum est: at vero, quae est barbarorum imperitia, e vulgarium animis veteris superstitionis reliquias penitus reuellere, quin metus aliquis intimo in animo resideat, vsquequaque facile non est. Iter faciens magno cum neophytorum comitatu Sacerdos e nostris, in locum incidit, vbi pagodes ante fuerat (sunt apud Indos Pagodes idolorum templa: & ipsa etiam idola Pagodes nominantur) videt inter parietum reliquias aggestos lapides in speciem altaris, & superpositum vmbraculum: signa non obscura, furtim idolo ibi sacrificia offerri. disiicit momento lapides, aram euertit, & vmbraculum. mox se ad parietinarum euertendas comparat reliquias. Mittit ex ijs, quos secum habebat, qui domo afferrent ferramenta. quibus allatis, iubet ipsos demoliri. illi cognito Patris consilio, metu territi, ad vnum se subducunt omnes. iniectus erat terror, eum ab idolo mactatum iri, qui parietes Pagodis violasset. Ita solus relictus Pater, arrepto ferro, sua manu rem aggreditur. Cumq. labore multo magnam iam partem exsecrandi parietis euertisset; nec quidquam illi incommodi accidere timidi spectatores vidissent, audaciores facti, & ipsi labori succesſere, donec sacrilegae superstitionis reliquiae omnes deletae sunt. Terror idem tenebat impetritos, ne arborem superstitiosam violarent. Erat haec in medio palmeto, ipsa infructuosa, & plantis aliis, luxuriante ramorum vmbra ne crescerent, officiebat: nec quisquam, qui ei manum admoueret, reperiebatur. persuasum enim erat, quendam ex eorum diis, olim vita functum, sub infausto trunco esse sepultum; & qui ferro exsecrandum

lignum, aliaue laederet iniuria, e vestigio exstinctum iri. & hanc excindere Pater idem est adortus. quod cum audacter nullo damno faceret, interposuere sese rusticani. &, quando contra Patrem Deus ille mortuus nil posset, professi sunt, si ille iuberet, se arborem in Ecclesiae fabricam euersuros. annuente Patre, arbor excisa, materia ad templi aedificationem comportata homines superstitione, & palmae infesta vmbra liberatae. Ita sensim, diuina ope, vestigia antiquae impietatis abolentur.

EST ET RACCIOLANA parecia S. Mariae ad niues satis celebris & vicanorum frequentia, & nobilitate; & omnium Salsethidensium Ecclesiarum antiquissima. multi in ea Brachmanae numerantur. tamen, vt tenuia sunt rerum initia, templum habuit primis illis, quam his temporibus, post tot religionis incrementa opportunius. vix quarta pars neophytorum parietum ambitu continebantur: neque locus erat fabricae laxandae, quin in pomerium exstructi in propinquo praesidij parietes incurrerent. Venit Prorex in rem praesentem; coramq. angustias oculis spectauit; cum Christianorum pars multo maxima templo excluderetur. fecitq. potestatem aedis amplioris, vel cum arcis ipsius incommodo, exstruendae: ita magna patrum, Christianorumq. laetitia, solo aequata vetere Ecclesia, summa contentione, ac studio noua excitari coepta est. Est vicus in hoc tractu ethnicis finitimus: incolae & ipsi ethnici, & praeter ceteros feroces, & militari exercitatione glorioſi. apud eos superioribus annis duo nostri Sacerdotes cum duobus Lusitanis lapidibus obruti ceciderant. Hoc tempore venere inde viri primarij

rij baptisma petitum: se curaturos, vt vicani reliqui ad Christi gregem traducantur. & iam Dei beneficio res feliciter progreditur. Incredibile est, quantam adhuc infernus hostis potestatem retineat in his terris: & quam facile Christianae religionis antidotis illius saeuitia frangatur. In vico alio non longinquo fuit vir potens, qui nefarium veneficum apud se alebat, veneficus teterrimus & ipse. hic sua fretus potentia, & mali daemonis praestigiis, volebat se sui vici deum facere; sibiq. Pagodem excitari; in quo a barbaris diuinis honoribus afficeretur. Abripiebatur interdum a diabolo, & a mente, sensibusq. abalienatus, ignota quadam lingua loquebatur; suisq. & vesani comitis maleficiis ita vicanos exterrebat, vt eos, quocunque vellet, tanquam pecudes obduceret. Accidit (idq. multi illius tribuere maleficiis) vt in Maurorum terris hominis ethnici, & multae cognationis propinqui omnes a nequam spiritibus insiderentur, post etiam occiderentur. ille fortasse malo victus, cum coniuge, & tribus liberis venit in Salsethidem; atque in eum vicum ad hunc repentinum Deum se contulit. quo cum veniisset, repente ipse cum vxore & liberis semineces conciderunt: Laetalia signa non obscura cernebantur: lingua ijs ita intumuerat, vt loqui nullo modo possent. omnes de ijs iam conclamatum esse existimabant. Misit Pater, qui ei praesidet parecciae, qui quaereret ex eo, an Christianus esse vellet. Deum e mali daemonis, cuius odio perfundabatur, potestate ipsum erepturum. annuit miser, & cum omni familia factus catechumenus, praesenti malo liberantur omnes. tantum resedit impedimēti aliquid in lingua; quo etiam prorsus liberati sunt statim,

atque sanctum baptisma susceperе. Ficticius vero ille deus paucis diebus, nondum ei pagode excitato, non vmbratili diuinitate solum, sed stolida etiam humanitate spoliatus est, ab ijs qui priuatim ei inimici erant, interfectus. Post eius mortem noster Sacerdos ad eum vicum se contulit; incolasq. omnes, metu teterrimi numinis liberatos, facile ad Christi Ecclesiam traduxit. tantum petierunt, vt in suis sedibus Ecclesia exstrueretur.

VERNA tertia parecia est, quae SANCTAE CRVCIS appellatur. magna in hac gente excitata veneratio est erga Sacerdotum benedictionem (sic enim illi appellant cum Euangelium recitant super aegrotos) & aquam Ecclesiastico ritu consecratam. Mulier aegrotum detulit infantem ad Ecclesiam, tantum vt Sacerdotis benedictione afficeretur. recitato super illum Euangelio, confestim coepit melius habere; mammisq. ore admoto lac sugere, cum ante nihil diu posset haurire. Hac fama vulgata, infantes multi, variis affecti morbis eadem ratione sanati. Et iam Dei beneficio non ita multi, vt ante solebant, in hoc tractu exstinguuntur. Biduo iam puerpera doloribus partus angebatur, vt magno vitae in discrimine versaretur. haec Sacerdotem confessionis caussa accersiuit. qua peracta, petiit vt sibi recitaret Euangelium, & benedictam aquam sibi daret. qua hausta, continuo omni leuata labore, magna felicitate fetum edidit. Eodem in periculo duae constitutae, omni spe vitae abiecta, eiusdem hausta aquae feliciter peperere. Mulier alia, graui affecta morbo venerat ad extrema: & eam iam propinqui deplorabant. accersitus Pater, recitato Euangelio, mulierem compellat. tum quae iam loquendi facultate

destituta erat, diserte respondit; vsuq. recepto loquendi, peccata confessa, voto se obstrinxit, si cõualescceret, quotidie Sacrosanctum Missae Sacrificium frequentandi. damnata igitur in quotidiana voti persolutione perseuerat.

PARECIA S. THOMAE adiunctam habet Ecclesiam Sanctae Matris, cui ab heremo nomen est. in ea priore anno pauci supererant gentiles: posteriore omnes ad Ecclesiam adiuncti. nempe hoc caelesti bono lectissimae quinque hostiae, quae has terras suo cruore imbuerunt, suas palmas quotidie exornant. nec desistent, donec tota Salsethis ad Christum traducta, quod iam nõ longe abest, in vicinorum fines Christianae religionis proferat pomerium. Prorex cum eam obiret dioecesim, exceptus est in hac parecia vniuersae paene Salsethidos concursu: & ea magnificentia, & ostentatione, quae pro gentis copia esse potuit maxima. magnam vero & ipse voluptatem ex aspectu tam copiosi piorum Christianorum cetus percepit. multo etiam maiorem, cum puerorum agmina, qui nuper ad fidem venerunt, diuinas aspexit caelituum laudes concinentia, & psalmos latino sermone, cantuq. decantantia. vt non posset prae laetitia lacrymas tenere; nec se a tam iucundo acroamate, aspectuq. amouere. Magna incolae veneratione cum templum hoc, tum ipsam Sanctissimam matrem prosequuntur. Christianus adolescens ita grauiter aegrotabat, vt nullo remedio leuari posset. eius pater, omni spe amissa, vouit B. Matri cereum: voto nuncupato, adolescens melius habere coepit. Adhuc sancta ipsa aedes virginis paleis contecta, incendio fuit maxime obnoxia; & saepius eam incendere ethnici decreue-

rant; & se periculo ipsa Sancta virgo liberauit. Ethnici in vicinis Maurorum opidis Pagodem exstruxerant. ad eum tegendum miserant, qui materiam e longinquo loco peterent. cumq. magnam struem tignorum optimorum compegissent, eamq. mare deueherent, legentibus ijs nostram oram validus repente ventus, dissecta rate, tigna omnia in litus eiecit. accurrere neophyti, lignaq. ex vndis erepta, quae Pagodi destinata erant, Sacrae virginis aedis tecto imponendo dedicarunt. Haec priore anno. Amplificata posteriore sacra aedes est neophytorum eleemosynis. Senex vir primarius, & magnae, multaeq. cognationis, suae impietatis tenacissimus, & magna inter suos sapientiae opinione, perspecta tantis incrementis Christianae religionis propagatione, praesagus breui fore, vt quinque vici, qui his duabus Ecclesiis continentur, ad Christi cultum se recipiant: veritus ne quis suorum filiorum, nepotumq. ad Christianos se adiungeret, cum omni sua cognatione, & magno ethnicorum aliorum numero in fines concessit Maurorum, eo & rerum, & virorum apparatu; vt, Pagode ibi exstructo, suam sancte ibi coleret superstitionem. Is demum litteras dedit ad nostrum Sacerdotem: velle se cum vniuersa domo sua Christianum fieri. Ita postliminio in patriam reuersi, post idoneam institutionem, baptismo ad Christi ouile sunt adlecti.

CORTALINI in Parecia Sanctorum Philippi, & Iacobi aegrotus, ac iam paene mortuus puer baptismi caussa delatus ad Ecclesiam, cum in exorcismo ori sal admotus esset, coepit melius habere: baptizatus ita sanus factus est, vt si nunquam aegrotasset.

VR-

VRLINENSIS parecia ad S. Michaelis fructus cultura dignos protulit: omnes iam Christiani facti sunt. neq. incolae tantum, sed e vicinorum etiam Maurorum finibus multi huc se baptismum petitum contulerunt. Ex his egregia indole adolescens, qui scribam agebat apud Praetorem vrbis, litteras ad nostrum dedit Sacerdotem, velle se Christo nomen dare. Rescripsit ad eum Pater; & viam, qua ad se veniret, demonstrauit. Ille non suae tantum, sed alienae etiam sollicitus salutis, multos in eandem consilij societatem secum traxerat. sed dum adornant fugam, deprehensis reliquis, vnus elapsus ipse ad Christi gregem aduolauit. Ita floret religio Vrlini. Eleemosinae ad ornatum Ecclesiae abunde conferũtur: & praeter catechisticam, in qua plus quingenti pueri quotidie Christiana doctrina imbuuntur, in schola quoque litteraria pueri ad sexaginta legendis, ac formandis litteris instituuntur.

MVRMVGANI priore anno ad Ecclesiam extruendam primus lapis in fundamenta solemni cerimonia iactus est, ipso die festo S. Andreae dicato. templum ab eiusdem Apostoli nomine indigitatum, posteriore anno amplitudine, & forma probanda absolutum est. id totum neophytorum eleemosinis confectum. Et hic quoque sacra Euangelij lectio super aegrotam infantem, & iam plane deploratam a parẽtibus, vim suam declarauit. nam ad Ecclesiam allata, recitatis sacris verbis conualuit.

LVTOLINI parecia est S. Saluatoris. in ea honesta mulier, & Christianae pietatis valde studiosa patrem habebat octogenarium, & in ethnicorum perfidia valde obduratum. haec de illius

salute sollicita, à nostro Sacerdote flagitauit, vt & pro illo preces faceret; & sibi religionem commonstraret aliquam, qua se exerceret, ad caelestē lumen seni impetrandum. Noster ei pium B. Virginis suasit cultum; rosarium aliaq. piacula praecepit. Quae mulier aliquandiu magna pietate exsequuta, facta est voti compos. Senex ipse vltro Sacerdotem nostrum adit; indicat, quae tanto antea opere odisset, ea nunc se vehementer cupere: probe intelligere, nisi in diuina Iesu Christi lege, spem salutis nullam esse. proinde se Christiana pietate, Christianisq. sacris initiet. Et nunc magna filiae, & Christianorum laetitia Christianis per baptismum adscriptus, Christiana pietate dignum vitae finem praestolatur.

COLVAANA parecia est S. Ioanni Baptistae dicata. in ea nulli iam ethnici reliqui sunt. Erat in ea ager daemoni dicatus, quem longo iam tempore incolae vacuū, intactumq. reliquerant. quod notum esset, eos, qui illum scindere ausi essent, morte famulorum, & liberorum a diabolo punitos esse: ipsos etiam grauibus corporis doloribus affectos. propterea ager diaboli dicebatur. Magna fide praeditus neophytus statuit eam tollere abominationem. praecelsam crucem aruo in medio constituit; campumq. crucis indigitauit. ea munitione tutus aruum scindit, serit, colit. fructus quātos noualia ferre solent, demetit, gratulantibus cunctis, non modo ei seruitium, & liberos extinctos non esse, sed ipsum insuper auctum filiolo. Felicem sortem anus ethnica sortita est. quae graui pressa morbo, cum se sentiret non longe abesse ab interitu, baptismum postulauit: intimaq. acta religione, enixe se ad Ecclesiam deferri postulauit:

uit: ardenti enim se studio flagrare diuini Missae spectandi sacrificij. vtriusq. voti facta compos, extrema aetate in hac renata vita, ad ortum vitae peruenit in omnem aeternitatem duraturae.

MAZORDAE templum est Matri magnae dicatum, quod Salsethide tota magna habetur veneratione. Vota in eo persoluuntur; & multis eleemosinis honoratur. Missae sacrum solenni ritu, cantuq. adhibita etiam symphonia, magna frequentia, & pietate incolarum celebratur. Inter reliquos, qui Christo hic renati sunt, magnae laetitiae neophytis, & Christianae rei gloriae baptismus fuit adolescentis ethnicarum sectarum peritissimi; & magno Christianorum fauore celebratus; quod magnae inter ethnicos auctoritatis esset; multumq. in illo ad fidem adducendo laborandum fuerit.

EST alia Ecclesia VIRGINI dicata, cui a spe nomen est inditum. in ea vtroque anno multi baptismo expiati sunt. sed in ijs priore anno vir potens, & ante eam diem vindex acerrimus Indicarum superstitionum: nostraeq. legis hostis infensissimus. multa superioribus annis Christianis detrimenta & ipse intulerat, & aliis, vt quamplurima possent, inferrent, diebus praesertim religiosioribus, auctor fuerat. Eum ferunt vnum ex ijs fuisse, qui anno octogesimo tertio Coculini ad conspirandum in caedem nostrorum Patrum se duces praebuerunt. Auditus nempe clamor sanguinis in caelo: & Stephani inter lapidum ictus oratio Saulum, in Christianum nomen incensum, caelestem praeconem Paulum peperit Ecclesiae. Spes est, tam acris aduersarij conuersione, multos ad diuinam legem amplectendam peruenturos. Plu-

rimum

rimum enim ille inter suos pollet opibus, & auctoritate. Et vt se res dant, & meliora, & maiora sunt in dies exspectanda.

COLLEGIVM BAZAINENSE, cum adiunctis Residentijs.

BAZAINI ex bello, iam ante suscepto, annonae caritas, ex vtroque malo vulgati morbi tum ciues, tum domesticos nostros afflixerunt. etsi domi neque tam graues, neque tam frequentes fuere, vt ad opem morbidis ferendam praesto esse non potuerint. Quatuor tamen e nostro numero posteriore anno Diuina bonitas ad se vocauit. Sed & in annonae difficultatae, qua praecipue priore anno laboratum est, nostri partim corrogatis eleemosinis, partim multis sibi de demenso subtractis, ingentem egenorum numerum sustentarunt: & in tumultibus bellicis militibus affuerunt. nam & hic, & Ciauli vrbe belli participe, non eos solum in hibernis peccata confitentes ad longas noctes insomnes pertinaci opera audierunt; sed in praelio etiam signo crucis praeferendo, eosq. ad pugnam fortiter pro fide capessendam confirmando, saucios vel cum vitae discrimine fouendo, adiuuerunt. vt non minus spiritualibus hisce armis, quam quibus ipsi dimacabant, vel ipsorum testimonio, victoria tribueretur. nunquam enim non a praelio re bene gesta redierunt.

Quominus vero res Christiana felici cursu progrederetur, magno bellici tumultus impedimento fuere. Accessit etiam Bazainensis ethnici hominis, aeque suae sectae peritissimi, studiosissimiq. atq. in rebus

rebus gerendis sagaciſſimi, & maximi ſpiritus, impius conatus. Hic praefectorum ſubnixus amicitia, & ſuis fretus opibus, Chriſtianae rei acerrime aduerſabatur, & nõ modo populares ſuos ad Chriſti fidem accedere prohibebat, ſed etiã baptiſmo initiatos ad defectionem ſollicitabat; cogebatq; in Aegiptum rémeare. &, vt erat magnae potentiae, & abundans, ijs, qui ſuſceptam fidem eiuraſſent, ſuppeditabat in ſumptum: cum Brachmanis & hariolis agebat, vt a Chriſti fide redeuntibus, multam ob priora deſerta ſacra remitterent. omnibus denique modis ſartam tectam impietatem conſeruabat: contraq. Chriſti gregem carpendo ſemper quantum poterat, minuere nitebatur. Eſt operae pretium ſtultã noſſe ſuperſtitionem. Ganges eſt, Indiam ſecans, flumen antiquorum clarum monumentis. eius aquis tantam ineſſe religionem caeca haec barbaries exiſtimat; vt beatos illos praedicent, qui poſt mortem in id flumen demerguntur. Hinc viri principes in morte ſuos cineres eo deferri iubent, & tradi fluctibus. Nuper Cocini Regina moriens, teſtamento filio mandauit, vt ſua ipſe manu hac ſe beatitudine afficeret. Filius iuſtis perſolutis, ignotus peregrinantis habitu eo ſe contulit; maternosq. cineres in ſacrum flumen deiecit. Ad Gangem hic impietatis vindex, Chriſti gregis diſſipator, Pagodem ſe habere dictitabat, antiquae venerationis, & magno peregrinantium concurſu celebrem. inde magna impenſa curabat tanto itinere fluminis aquam Bazainum vſque deportandam, eam moribundis, & extremam animam agentibus, piaculi videlicet loco, dabat ad potandum, quam gratiae aquam nominabat. His, aliisq. portentis homo pecunioſus tanto erat in

honore,

honore, vt aliquid humano fastigio maius haberetur. itaque qua ille sibi pedes abluisset, tanquam rem sacram, aquam bibebant. Haec vt festuca è pupillis Ecclesiae eximeretur, egere nostri vt Christianae rei perturbator, tanquam Christiani gregis abactor, a Quaesitoribus fidei coerceretur. ita pax reddita placidis Christi ouiculis. Non defuere qui illius patrocinium susciperent, ne Lusitani quidem (tanta erat simulatae opinio probitatis) eximereq. conarentur: neque aberat a turba aliqua periculum: sed motus omnes sacri tribunalis nomen facile compescuit. Alius aeque potens, nec minus pernicioſus nostrae legi, multis malis circumuentus, & scelerum suorum conscientia territus; grauioremq. adhuc diuinam metuens animaduersionem, statuit non modo a Sancta Dei oppugnanda lege desistere, sed se etiam ad eam amplectendam cum tota familia transferre. Brachmana item alius odio Christiani nominis, ijs qui ad Christum se adiungerent, erat infestissimus; neque vllam ijs nocendi occasionem praeteribat. is quoque tandem sponte amplexus veritatem, Christianus factus est. His tribus magnus sublatis obicibus, euangelica veritas liberius excurret. nam qui ad Christiana sacra suae studio salutis inclinant, hoc metu liberati, sua iam profiteri studia audentius incipiunt. Ita posteriore anno magno numero ad baptismum confluxerunt. Festo enim die vndecim millium Virginum quingenti sacro fonte abluti sunt: & in ijs viri primarij nonnulli, opibus, & generis nobilitate in primis clari. quae res & apud Indos magnam diuinae legi conciliat existimationem; & animos addit neophytis tenuioribus; cum suae gentis primarios vident ad Christianae

stianae cultum religionis sibi anteire. toto deinde reliquo anni cursu octingenti ferme baptizati sunt in reliquis Ecclesiis praeterea multi. Nam quibus diebus singularum Ecclesiarum Patronalia anniuersario circuitu recurrunt, magna frequentia, & pietate ea religio recolitur; & multa sacramentorum collatione, baptismatum praesertim, & concursu patrum, qui vicina in Salsethide morantur, celebratur. Ita Bandorae octoginta; in Residentia S. Trinitatis ducenti quinquaginta: Curlini ducenti sexaginta. Tanaae priore anno plus triginta, posteriore centum baptizati sunt. praeter valde bonum cathecumenorum numerum, qui in hisce sedibus instituebantur. Est & hic in vrbe Bazaino Indorum puerorum Seminarium, qui ad Christianam pietatem & litteras instituuntur. qui postmodũ adulti, sacris ordinibus initiati, suae genti dantur Sacerdotes: & ab ijs magno habentur in honore. In eum cetum adlecti sunt posteriore anno aliqui nobiles, claris orti familiis, & bonae indolis adolescentuli. quos tanto vtiliores speramus Ecclesiae futuros, quanto dignitate praestant ceteris. Obiit priore anno Bazaini Ioannes Belis, vir erga Societatem nostram, & dum vixit insigniter liberalis, & moriens collegium hoc geminorum hortorum scripsit haeredem: qui ad animi remissionem sunt peropportuni. centum praeterea pardaos templi secretario reliquit, ad quaedam, quae desiderabantur ornamenta. Auctum praeterea annuum vectigal, domibus quibusdam coemptis. grande etiam aes alienum priore anno dissolutum: copiosae quoque eleemosinae collatae; quibus aedificij pars, quae inchoata pendebat, absoluta est. Alius villas duas collegio donauit, post ipsius

mor-

mortem possidendas; vt earum fructus ad Ecclesiae ornatum conferantur. Mille & quingenti pardai a Rege quotannis ad subleuandos neophytos conferebantur: sed quoniam, bello omnia vastante, ager a colonis desertus cessauit, aliquot annis persoluti non sunt. Lusitanus genere, & diuitiis clarus, propagandae fidei studiosus, tria millia & centum contulit de suo; vt ex eis annui prouentus coemantur trecentorum pardaorum: quorum centeni ad templi sacrum vsum, centeni Bazainensium, totidem ad Damanensium neophytorum opem conferantur.

COLLEGIVM Damanense.

DAMANI extremum vitae diem clausit Emanuel de Matos, frater religiosa humilitate insignis: & qui decem annis, quos egit in Societate, solidarum virtutum non obscura signa dedit. eius obitus, quod omnibus ille apprime carus esset, omnibus item maerori fuit. Ceteri in hominum salute strenue inuigilarunt. Ingens pecunia iniuste parta legitimis dominis est nostrorum consilio restituta. Viatorem aliqui spoliarant, magna ui argenti illi adempta; nostrorum item opera integra omnia redhibita. Milites duo mutuo se ad caedem prouocarant: seq. eius rei caussa ex vrbe clam subduxerant: eorum furori nostri Sacerdotis opera obuiam est itum; ipsiq. inter se conciliati; alij necis periculo subtracti, quam ijs inferre parabant inimici. Quod ad rem Christianam attinet, quinquageni hic vtroque anno baptizati sunt, totidem

tidem reliqui erant catechumeni. Sed in ijs, qui priore anno sacris aquis abluti sunt, eluxit diuina miseratio in calamitate ethnici adolescentis septemdecim circiter annorum. Eius pater aere grauatus alieno eum iure nexus addixerat creditori suo homini Christiano, tantisper dum ei debitum persolueret. Coepit hic in ea familia Christianam viuendi disciplinam, & Christianos mores suscipere, vsque eo; vt post longam secum disputationem, Christianam religionem suspipere decreuerit. Ita, postquam pater creditori satisfecit, cum ille nexu missus est; professus est, se velle fieri Christianum. & quoniam catechismum iam didicerat, octauo die magna totius ciuitatis gratulatione, sui praesertim susceptoris, cuius domi religionem imbiberat, baptizatus est. Et quoniam pater adhuc in aere alieno erat, delata est ei condicio a Christianis creditoribus, si vellet ad Christi gregem se adiungere, qua ei debiti solutio facillima redderetur. nec defuere, qui ei bene magnam summam integram remitterent. sed nimirum eadem quae filio ei mens optanda fuit. Super haec pardai mille nobis posteriore anno eleemosinae nomine accessere.

CIAVLANA Sedes.

CIAVLANA quoque domus belli sensit incommoda. quibus occupati patres minus in propaganda fide operam impendere potuere; cum totos eos ad se traherent vrgentes militum necessitudines. nam & continenti, diuturnaq. opera

ra milites, vti supra dictum est, audiendi, & ad vsque praelia prosequendi cum fuerint, ethnicis ad fidem inuitandis spatium breue reliquerunt. non tamen vrbana opera cessauit. Dissidia multa, eaq. admodum periculosa sublata sunt. e quibus maguae perturbationes, & multorum caedes timebantur, nam & familiae nobiles grauiter inter se erant infensae: & ipsi magistratus aliis de rebus dissidebant. Dei tandem ope omnium animi reconciliati; magnaq. ciuitatis laetitia vtrisque partibus satisfactum est. Curatum praeterea, vt vir opulentus morti proximus, cui persuadere non poterant propinqui esse ei moriendum, se ad mortem compararet; & testamentum conderet; quo, praeter cetera, tantum pecuniae pauperibus legauerit; vt orphanae, quotquot erant in ciuitate, honesto matrimonio collocarentur; captiui multi redimerentur; multisq. aliis indigentiis subueniretur. Scholarum discipuli egregios se praebent cultores pietatis. multi varias religiones susceperè: multi eadem adhuc consilia fouent: neque vllum patiuntur a se pietatis officium desiderari.

COCINENSE Collegium.

COCINVM morbi pestilentes, ac repentini posteriore anno infestam habuerunt: qui statim saeuientes, breui tẽpore ad extrema aegros adducebant. ita passim vrbe tota magna facta strages est. Ii nobis duos ademere, P. Didacum Barrium, & Petrum a Cruce. Erat ille magister elementariorum; magnaq. animi submissione, & caritate

ritate multos annos munus illud exercuerat. repentino paene mortuus est. Pridie Natalis Domini nocturnae psalmodiae cum aliis vigens interfuerat: Missae etiam sacrificium sub auroram decantauerat: secundum sacrificium vulgato morbo correptus, paucis horis extinctus est, magno tum discipulorum, tum etiam nostrorum omnium, ac totius maerore ciuitatis. Alter quadraginta prope annos egerat in Societate, domesticis operibus addictus. & quia robustiore fuit corpore, diutius etiam morbi obstitit acerbitati. octauo enim die consumptus est. Vir fuit multae caritatis; & qui ita vixit in Societate, vt de vita posset tranquillo, laetoq. animo decedere. cum praesertim commissam sibi in societate stationem fideliter tenuerit. Concionum fructus, praeter vsitata, illi non exigui collecti sunt. Quidam ita implacabili erat odio in eum, a quo laesus erat, vt nullis multorum, & quidem primariorum virorum suasionibus ad condonandam iniuriam adduci posset. is, vna audita cõcione, vltro inimici sui domum adiit; sponteq. professus se omnem iniuriam remittere, pristinam cum eo gratiam resarsit, magna laetitia, & admiratione ciuitatis. Idem alij persuasum; publicaeq. iudicij in reum tabulae, inductae. Alius triginta annos exegerat sine confessione; idq. nulla alia pertinacia, aut proteruia, nisi inepto puerilique pudore suae aperiendae conscientiae. nunquam tamen pium Virginis matris omisit cultum. saepe in eius honorem Missae offerendum curabat sacrificium. quotidie precum pensum aliquod persoluebat, orabatq. misericordiae matrem, prauum sibi pudorem vt abstergeret; roburq. a Diuino filio ad confessionem obeundam impetraret. Hic

quoque concioni interfuit, qua illorum agitabatur error, quos mutos daemon facit in confessione. Repente totus immutatus eundem adit Sacerdotem: se mutum illum esse contestatus, quem illa concione suis ipsius coloribus depinxerat. ita suae tandem animae, vt debuit, consuluit saluti. Ceterum non admodum fecunda neophytorum messis fuit. siquidem hic aduerso flumine nauigamus. neque tamẽ nihil est promotum. Concionibus enim vespertinis, quae diebus Dominicis ad Indos, & mancipia illorũ idiomate habentur, cum aliquando de baptismi necessitate ageretur, duo qui inter Christianos Christiana viuebant disciplina, & sine baptismo Christianos se esse existimabant, cognito errore, baptismum postularunt. Quinquaginta tamen priore anno baptizati sunt. Brachmana erat in vrbe ethnicus, sed ad miserationem, & beneficentiam propensus: multa eleemosinae nomine donabat; aegrotos inopes nulla mercede curabat: quin etiam domo sua medicamenta ad eos transmittebat. quibus rebus fiebat, vt Christianis, ethnicisq. & notus esset, & gratissimus. Indi Lusitaniq. tanta perspecta probitate, hominem saepe ad Christianam religionem inuitarunt: quibus ille solenne illud ethnicorum respondebat: suam nondum horam aduenisse. Grauem ille interim incidit in morbum. Ergo Lusitani hominem promissi admonent. ab eo latens quidem in animo studium eliciunt: certam tamen testatamq. verbis voluntatem nullam exprimunt. tantum Christianorum patrem aduocari iubet. Erat cum aegroto magna turba ethnicorum; qui valde consiliis aduersabantur. Aduenit Pater Christianorum, cum aliquo suorum comitatu, qui quamuis aegroti vo-

tum

tum probe nosset; quoniam tamen ethnicorum praesentia aeger suam profiteri voluntatem non audebat, ad precum, & suasionum praesidia se contulit; eoq. vsque interrogationibus, hortationibusq. progressus est, donec ille disertis tandem verbis diceret; velle se Christianum esse. grates magna laetitia ab omnibus aguntur bonorum omnium auctori Deo. confestim aquam alij, alij signum crucis comportare: orare patrem statim candidatum vt respergat. Pater qui illius animaduerterat cunctationem, antequam vlterius progrediatur, eius sententiae firmandae caussa, persistit in interrogationibus; donec iterum, & tertio dulcissimis IESV MARIAEQ. inuocandis nominibus suam ratam habuit sponsionem. Tandem, pro temporum angustiis instructum, eum sacro lauacro expiauit. ille horis paucis, identidem Iesu nomen iterando, stola indutus innocentiae, e vitae ergastulo ad beatorum gloriam euasit. Laetum id toti ciuitati fuit: tanta erat apud omnes claritudine. Elatus est funere quam apparatissimo. Tanto Christianorum fauore, & tam clara funeris religione permotus alius, qui se eius discipulum profitebatur, paucis post diebus baptismum postulauit; quod eo se proficisci velle diceret, quo magistri sui anima praeiuisset. Narrauit alius, ter sibi Diuinam matrem visam esse; monuisseq. Christianorum fidem vt susciperet. Ciuis huius vrbis, cuius propinqui multi iam Christiani erant, saepius a nostris de suscipienda Christi fide lacessitus, durum semper se praebuerat. & hic praeter omnium opinionem, mutata mente, ad Christianorum Patrem venit; vt, quando illo die Virgo Sanctissima cunctorum mater in terris nata esset, ipse quoque

& Christo, & matri eius per sacrum baptisma nasceretur. Hi quoque ad reliquum neophytorum cetum non leue additamentum accessere. Restincta odia, & resartas amicitias in rebus Indicis referre opus videtur interdum otiosum. sed neque haec fuere plane omittenda: in his tamẽ non semper immorandum: quare ad alia, quae trahunt, properandum. Eleemosinae quibus & orphana puella honesto matrimonio coniuncta est, & sacrum magnis rebus auctum instrumentum, silentio praetereundae non fuerunt: illa praeter caeteras, qua vir eo nomine dignior, quo pluribus nominibus de Societate bene meritus, quatuor pardaorum millia collegio attribuit. quae res ad multas collegij cõmoditates fuit peropportuna. Scholarum discipuli cum litteris egregie pietatis studia coniungunt. ex ijs octo religiosam vitam susceperre: alij ad idem consilium se comparant.

VAIPICOTANA Sedes.

VAIPICOTAE montes, vt alias perscriptum est, a Christianis S Thomae incoluntur: sed ethnicis parent Regulis, quemadmodum Indici tractus reliqui. Seminarium nostri instituunt adolescentium indigenarum, ad suae gentis vsum. de quo litteris anni nonagesimi multa scripta sunt. Sed vt notentur progressio, & incrementa, eo tempore viginti quinque alumni tantum numerantur: hoc quadriennio numerus prope duplicatus est. nam nonagesimo quarto anno, quadraginta: nonagesimo quincto, quadraginta quinque insti-

instituebantur. ex ijs erant duodecim iam Sacerdotes, tres diaconi, minoribus ordinibus instituti duodeuiginti: reliqui tirones. Iam quanto vsui suae genti sint, qui ex ijs sacris initiantur, satis multa ijsdem litteris perscribuntur. sed, quod magis mirum est, etiam tirones, cum se offert occasio, & ipsi spiritalia strenue satis arma vibrant. Ex ijs duo, tresue pueruli forte ad viri primarij eiusdem gentis domum missi erant, siue, vt fit, ad solatium propinquorum, siue quauis alia de caussa. Materfamilias diuturnis iã partus doloribus, magno cum vitae discrimine cruciabatur. aderant Christiani, ethniciq. magno numero. & sua quisque remedia periclitabatur. monent pueri patremfamilias iubeat ethnicos cubiculo facessere; Christianos positis genibus orare; cum illis & ipsi vna orant. post aliquanto verba illa ex Euangelio VERBVM CARO FACTVM EST papyro inscripta collo puerperae appendunt. quae statim omni leuata dolore fetum emisit quamfacillime: magno vtique documento, diuinam vim inesse sacris verbis, & Diuino numini placere simplicium puerorum pietatem. Ceterum nonnulla in varietate Vaipicotanae res hoc biennio versatae sunt; sed bene, Dei beneficio, verterunt tandem, si eas eodem in cardinae diu stare contigerit. Nonnulli Cassanaires, qui Vaipicotanorum Christianorum presbiteri sunt, priore anno ad hoc Seminarium venere, vt Chaldaicam linguam, & nostram condiscerent doctrinam; quo instructiores in suas terras, ad sua exercenda munia redirent. & iam non doctrinam modo, & Syriacas litteras, sed facile etiam nostros mores, nostramq. imbibebant disciplinam, multis praesertim erroribus of-

fensi; quos vna cum lacte pueri exsuxerant. Rem impedire, & praeclara coepta disturbare aggressus est infernus hostis. Archiepiscopus Angamalensis, qui hanc regit Ecclesiam, siue hominum errore, siue ambitione, veritus fortasse, ne populi admiratione doctrinae melioris, a sui reuerentia abducerentur, tentauit a nostrorum disciplina nostros alumnos auocare. quod cum illi renuerent, nos apud vicinos circa regulos conatus est in inuidiam adducere; falsisq. criminationibus illorum animos in nos, Cassanairesq. Seminarij incitare: nostra consilia Regum consiliis aduersari; nos populos a Regum obedientia abducere. aliaq. his deteriora comminisci contra nos veritus non est. Quibus eius calumniis, & aperta in nos maleuolentia ex eo grege Christianorum aliqui, ad nostros impediendos conatus audaciam sumpserunt. Versabatur in praecipua quadam huius montis vrbe (Pimentam coniicio fuisse: cuius Regina litteris anni nonagesimi primi commemoratur) Missionis nomine noster Sacerdos; populumq. in Ecclesia docebat. exstitit e media concione vir primarius, qui palam dicenti coepit aduersari: falsa esse clamans, quae ab ipso docerentur: aliaq. multa adiiciens in concionantis, & concionis contumeliam; quibus irritati auditores in contumacem illum impetum fecissent, ni molli Patris oratione compescerentur. super haec tantos ille sibi sumpsit spiritus; vt Sacerdotes duos e Seminario, qui Patrem sequebantur, violarit. ad tam indignam contumeliam ita concio exarsit; vt a Patre conuiciis contenderet; vt, quando Lusitani animaduersionem horum habent facinorum, tãtam diuinarum rerum iniuriam impune abire non permitteret; alioqui futurum, vt

nulli

nulli Sacerdotes palam docere veritatem audeãt. Sed, quia iniurioſus ille apud Reginam ethnicam, in cuius ditione vrbs eſt, in magna erat gratia, nihil amplius in praeſens potuere, quam vt eum intra certam domum coercerent. quod eſt apud Malabares inſigne genus ignominiae. Res Cocinum perlata Luſitanorum Praeſidem, qui Cocini reſidet ad iniuriam diuinae legi, & Sacerdotibus illatam vlciſcendam, vehementer accendit. ſed exoratus a Patribus, vt tantiſper eo conſilio ſuperſederet, donec appareret, quem res exitum eſſet habitura. Reus interim facti paenitens, ad quancunque multam ſubeandam paratum ſe prae ſe ferebat. ſed aliorum ſermone ablatus, mentem mutauit. neque eum Regina puniebat; neque Archiepiſcopus, vt in cleri violatorem anathema intorquebat. quin etiam hominem ſacrorum communione ab ipſo iure deiectum, ad ſacra admittere non verebatur, Archidiaconi eius Eccleſiae, vt coniectura fuit, ſuaſu; cui reus patruus ne erat, an auunculus? Id cum Praeſes reſciſſet Cocinenſis, commercio Luſitanis interdixit cum eius terrae tractu, ex quo magnis detrimentis tum incolae, tum Regina in primis afficiebantur. Itaque Patres inde rediere. Quare ad commercium reuocãdum, Reginae placuit Cocinenſem Regulum deprecatorem apud Luſitanum adhibere; ſeq. ad quancunque ſatisfactionem paratam profiteri. Eius rei cauſſa illuc miſſus eſt a Regulo Pater is, qui ei praeeſt Reſidentiae: & cum eo ire iuſſus pater, qui laeſus erat. & quo plus ponderis eſſet in legatione, Regij adiuncti procuratores duo, quos Regentes nominant. Magna omnium laetitia tum populi vniuerſi, qui Patrum vtilitate dolebant ſe carere, tum

ipsius Reginae excepti sunt. Regina Iudicum potestati reum permisit; hac contestatione vsa: esse quidem virum nobili loco natum, & magnae in Regia existimationis; sed placere sibi Christianos religionem suam reuereri. Inde relatum ad consilium de crimine: & tum Ecclesiasticorum, tum laicorum, qui consilio intererant, sententia, ea reo dicta multa, certum vt auri penderet numerum: & vt tribus Dominicis diebus ante fores templi accensum cereum manutenens toto sacrificij tempore staret. quod ille magno doloris sensu fecit; alteraq. manu crucem tenens, supplex culpam sibi vt ignoscerent rogauit; se suam contumaciam agnoscere, crimen profiteri: veraq. illa esse credere, quaecunque S. R. Ecclesia docet profitenda. postremo humi prostratus Deum ipsum misericordiam rogauit. Patres peramanter hominem complexi etiam reliquam poenam remiserunt. Rebus ita compositis, Christiani Patrem missionis praesidem rogarunt, vt eundem Sacerdotem toto Quadragesimae tempore apud se morari sineret. Quo tempore non vrbanos solum, sed circumiectos etiam vicanos docendo, confitentibus aures dando, concionando impigre, solliciteq. excoluit. Sacerdotes etiam sacramentorum edocuit administrationem: reconciliauit dissidentes: contractuum formas illegitimas correxit. extrema Quadragesima memoriam nostrae redemptionis, Christi Domini cruciatuum, & necis explicanda populo historia, supplicatione, & flagellatione, summa cum totius populi religione, & sensu pietatis celebrauit.

His rerum euentis Archiepiscopus iam intelligit, sua consilia contra nos, tum ad Christianos suos, tum

tum ad Reges barbaros parum sibi feliciter succedere; quod nostra plus quam illius causſa velint. sentitq. sine nostra opera, magnum esse negotium hanc regere Ecclesiam. itaque incipit sensim aliā mentem induere, & liuorem in veram beneuolentiam conuertere. Alumnos Seminarij, se sacris initiaturum pollicetur. iam nostram quaerit familiaritatem, nostrae fauet doctrinae, nostra consilia expetit, se totum denique nobis regendum, ac refingendum tradit. Eodem erga nos sensu animatus esse incipit etiam Archidiaconus: fateturq. sine nostra ope hosce populos regi non posse. Dedit se in familiaritatem eiusdem Sacerdotis, qui in discrimine illo versatus est: se etiam ipsi discipulum adhibuit: studetq. ab eo & Chaldaicam linguam, & verum sacrarum litterarum sensum haurire: cuius rei causſa Mangatem (id vico nomen est Seminario propinquiori) sedem transtulit, indeq. discendi causſa ad nostram sedem saepe commeat. Iam non doctrinam nostram solum expiscatur, sed multa etiam de sacris Ecclesiae ritibus cognoscit. Et quod fuit maxime optandum, suos libros omnes nobis cognoscendos, corrigendosq. tradidit. neque ipse solum nostrae doctrinae se praebet studiosum, sed Sacerdotes etiam reliquos & populares saepe cogit ad Ecclesiam; nostrumq. aduocat Sacerdotem, a quo erudiantur. ita iam plane apparet, vtrunque totum factum esse alterum. Appetebat dies Assumptioni Virginis dicatus, cum Chaldaico idiomate, dictante Patre scripsit concionem, quam memoriae mandatam dixit ad populum: qua multa ex vera, catholicaq. doctrina explicauit, longe secus, quam ipsorum libris apocripha memoria continentur. extremaq. concio-

ne

ne conteſtatus eſt; ea quae dixit, vera eſſe, & catholicae doctrinae, quam ſancta vniuerſalis tenet Eccleſia, conſentanea. quaeq. vel contra, vel aliter ſuperioribus annis, tum ex ſe, tum ex aliis Caſſanairis audiſſent, falſa eſſe, & a catholica Eccleſia reiecta: mendasq. iſtas in ſuos libros inſcitia maiorum irrepſiſſe: ſe ad hanc diem deceptos in his tenebris haeſiſſe. nunc ſe Patrum beneficio veritatis lucem, quam Romana praefert Eccleſia, intueri. Hactenus ab homine vere ſincero, & ſincerae veritatis amatore nihil maius fuit exſpectandum. Deus orandus, vt qui his mentem in melius mutauit, eandem perpetuam conſeruet, transfundatq. in ceteros. Hactenus de rebus Eccleſiaſticis anni huius: veniamus ad Laicos.

Grauis & vetus quadraginta annorum controuerſia inter duos Regulos de quorundam opidorum poſſeſſione verſabatur, quam nunquam finitimi Reguli componere potuerant. hi tandem totius rei diſceptationem ad arbitrium noſtrorum detulerunt. noſtri ea lege rem ſuſceperunt, ſi vtrinque bini, terniue Brachmanes eligerentur, Malabarici iuris peritiſſimi; qui pro ſua ſapientia de tota re deciderent; noſtri tertio loco, tanquam ſubſcriptores, & amici communes accederent. Res Deo bene iuuante ita compoſita eſt, vt Regulus vterq. in eam compoſitionem conſenſerit. Speramus, magnam rei Chriſtianae concordiam hanc quietem allaturam. profuit certe plurimum ad magnam Societatis noſtrae apud eam gentem exiſtimationem conciliandam. Ipſi Brachmanes, qui nobis ante infenſi erant, congreſſusq. noſtros vitabant, in noſtram ſe nunc familiaritatē inſinuant; nos adeunt, noſtris conſiliis vtuntur; & in rebus

omni-

omnibus, tanquam magistros nos verentur. Haec ferme priore anno.

Sequutus est posterior tranquilliore cursu. & quidem iam inde superioribus annis aliis de caussis, proxime vero his superatis turbulentiis, compositisq. dissidiis, magna Principum virorum gratia stetit in his locis Societatis auctoritas: eius praecipue Sacerdotis, qui Vaipicotae praesidet. vt & eius opera in rebus difficilibus omnes circa Reguli vtantur; & Thomaei Christiani ad eum, tanquam magnum aliquem arbitrum confugiant, illiusq. dicto acquiescant; nostra denique omnia communi fauore prosequantur. Et cum ventorum turbo nostri templi partem deiecisset, ad eam restituendã incolae multa contulere. fuitq. e Christianorum numero, qui centum pardaos, trecentos vnus contulit e Regulis. Multi denique ex omnibus circa Regulorum ditionibus Christiani, ethniciq. ad hanc se Residentiam conferunt: hi vt nostris mysteriis initientur; illi vt sacramentis animum expurgent; solemnesq. nostrorum ministeriorum percipiant vtilitates. mira pietate nostros ritus prosequuntur; sensimq. a Chaldaica Ecclesia infusos, longaq. diuturnitate posterorum inscitia inolitos, dediscunt errores; Romanaeq. Ecclesiae traditiones reuerentur, ac suspiciunt. colloquiis de diuinis rebus apprime delectantur: audita conferunt inter se: suasq. patribus proponunt dubitationes: magnaq. sunt aduersus Ecclesiastica symbola religione. Aqua piaculari hoc anno quindecim, sexdecimue homines e graui morbo reualuere. infantes nouem octauo, quam nati suo quisque die erãt, cum graui morbo languerent, baptismo admoti integro vigori statim restituti sunt. Intolerandis

dolo-

doloribus quidam angebatur, vt iam de vita prorsus desperaret; neque a medicina quidquam remedia proficerent: intellectum est aliquem e damnatis spiritibus miserum illum insidere. sed adhibitis exorcismis, & suspenso e cruicibus aegroti frustulo e ligno sanctae crucis, infestus hospes abigitur; aeger omni in posterum dolore liberatur. In Christianum alium veneficus hariolus tenebrarum incolã insilire iusserat; qui diu multumq. miserum vexarat. opem obsessus a Patribus per litteras expetiit. missus e Seminario Sacerdos vnus homini tridui ieiunium indicit, post eius excipit confessionem: illius domum sanctis Ecclesiae precibus, & sanctificata expiat aqua, ac supra tecti fastigium crucem collocat: continuoq. obsessor tartareus fugatur. qui ea fremens ignominia, furorem vertit in veneficum. eius primum domum inflammauit: post conuiciis hominem exterruit: minatusq. est, se magno illi eam contumeliam compensaturum; quod eo se adegerit, vnde tanta cum ignominia expelleretur: multisq. verberibus affectum, pauore attonitum nefarium asseclam reliquit. Pia mulier in vico habet, qui ab hoc Sanctae Crucis templo distat leucis quatuor. haec Dominicos, festosq. dies nullos praetermittit, quin huc se conferat ad templum magno cum suae gentis comitatu. hanc turbare adortus pietatem infernus hostis, mulierem in itinere inuasit. pergit illa nihilominus templum petere. quod ingressa statim infesto obsessore liberatur. domum redit, iterum vexatur: redit ad templum, iterum sanatur. sicq. certa vicissitudine, domi bellum, in templo pax erat ab hoste. Domum fuit igitur mittenda medicina, quae in templo esset superuacua. Missi e Se-

mina-

minario Sacerdotes duo, vsitatis Ecclesiae precationibus, & potestate sacris ordinibus tradita diuinitus tartaream potestatem omni prorsus in eam feminam potestate spoliarunt. Dici non potest, quantam vim haec habeant ad Christianorum cófirmandos animos, & iucunda etiam pietate recreandos. vt ipsi etiam ethnici nostrae religionis iam reuereantur potestatem. Puerpera, femina primaria exstinctum fetum intra aluum biduo iam continebat; neque arte vlla elici potuerat. appenso illi e ceruicibus Euangelio, magna cum omnium admiratione, & laetitia, nullo labore letali ponderе, & mortis discrimine liberata est.

Addam postremo loco de Archiepiscopo nonnihil: quam illius actionum clausulam fore putamus initium bonarum rerum. Is graui pressus morbo Patrem huius Residentiae Praesidem accersit; adhibitoq. Archidiacono, & clero vniuerso, multisq. primariis viris e Christianis, qui e diuersis locis conuenerant, praesentibus, eum sermonem habuit, vt diceret; se suas oues Summo Romano Pontifici relinquere: suae voluntatis esse, vt omnes Romanam Ecclesiam Ecclesiarum omnium caput agnoscant, Romanumq. Pontificem suum Dominum, Patrem, pastoremq. supremum venerentur. A quo vno omnis Episcoporum omniũ aliorumq. Praelatorum pendet potestas. Et quoniam Societatis homines S. Patris ministri ad hanc incultam vineam colendam missi, veram Romanae Ecclesiae doctrinam explicarent; se omnibus praecipere, illos vt audiant, ijs obtemperent, eorum sequantur in omnibus doctrinã; studioseq. teneant, quae illi docent; eamq. veram esse doctrinam, quã Sancta Romana Ecclesia tuetur. Et conuersus ad Patrem,

trem, per Christi caritatem, per antiquam amicitiam, perq. summum ipsum Pontificem petiit, suam vt Ecclesiam hanc ordinaret, & disciplina quam optima componeret. deq. rebus omnibus hisce, quae palam sic contestatus esset, publicas confici tabulas mandauit, testes vltimae suae huius voluntatis. Addidit etiam hoc ipsum se superiore anno per litteras Summo Pontifici declarasse, petiisseq. vt in clientelam acciperetur. Quae res Christianos omnes magna laetitia affecit; cum intelligerent, se a pastore suo in eorum tradi disciplinam, a quibus primum florem pietatis, & quodam modo primicias spiritus hausissent. Inde auctum Cassanairum studium, & reuerentia erga nos. frequenter nos adeunt, nostrorum sententiam exquirunt; postulantq. se sui muneris partes edoceri. pergunt praeterea suos libros ad nos afferre corrigendos. Res Dei beneficio hactenus bene instituta, feliciter procedit. Christo laus. Multae factae interim inimicorum reconciliationes: neque priuati homines tantum, sed integri etiam populi ad concordiam sunt reuocati. Non leue erit additamentum haec modica appendix. Quadraginta homines partes sequebantur cuiusdam pseudoepiscopi, qui se in gentem hanc intruserat; seq. a ceteris, qui Romanae Ecclesiae adherebant, segregarant; & in sua peruicacia haerentes, a piorum communione seiuncti viuebant. Hi furtim Ecclesiam ingressi, vna audita concione relicto seditioso Antistite zizaniorum, piorum se coetui restituerunt.

RE-

RESIDENTIA S. Iacobi.

RESIDENTIAE S. Iacobi huius biennij primum litteris mentionem inuenio: ea Cocino distat leucam vnam, ad mare sita: ab vnoq. Sacerdote regitur: qui & recentes Christianos (nõ enim huc pertinent Thomaei) accurate excolit; & in ethnicis, qui iam reliqui pauci sunt, ad Christum adiungendis strenue laborat. Ex ijs, qui adiuncti sunt, vnus solenni die quodam templi apparatu, ornatuq. perspecto, plenam misit admirationis vocem; verã esse legem Christianorum. Quot hic priore anno ad Christum traducti sunt, notatum non est: sed posteriore legere mihi videor ad sexaginta quinque.

PORCAE ad S. Andreae nullus residet nostrorum; sed subinde aliquis ad veteres Christianos a S. Thoma sincera doctrina erudiendos proficiscitur, proxime quorundam errorem sustulerunt, qui legem a S. Petro traditam, ab ea differre existimabant, quam ipsi a S. Thoma accepissent. Christiani hominis domum hic infestam diabolus habebat, quare cum ea obiret loca Sacerdos noster, ab ethnico homine interpellatus est, cur si tanta est nostris mysteriis potestas, non daemonem fugaret ex ea domo? Accessit noster: exorcismis fugat hostem. dat patrifamilias imaginem Christi crucifixi; eamq. domi propositam habere iubet, quae quandiu ibi fuit, ad domum aspirare teterrimo spiritui non licuit. Verum homo imperitus, suae domus tutelam, sacram imaginem, quo

maiore

maiore reuerentia haberetur, in templum transtulit: rediit infestus habitator. homo rem ad patrē detulit. Pater, re cognita, iubet crucem iterum inferri domum: qua illata, nunquam exinde malus habitaculum repetiit.

Est altera item Porcae Ecclesia dicata S. Cruci: quae quadriennio ante, vt litteris anni nonagesimi perscriptum est, magno Reguli fauore instituta est. In ea anno nonagesimo quincto magni ethnicorum greges certatim venerunt ad baptismum. Rege ipso praesertim Christianam rem studiose promouente. Hic, praeter ceteros, ethnicus puer grauiter a daemonio vexabatur. consilio vnius e Christianis Thomaeis, petito baptismo, & catechismo instructus, baptizatusq. ea infestatione cum ethnicorum admiratione liberatus est. Feminam primariam ita daemon alius insederat, vt omnibus eiusdem familiae infestus esset. aduocatus Pater, praeter exorcismos, ligneum palum ex ea domo exportari iussit, qui e superstitiosa arbore resectus erat: & eiusdem loco crucem collocari. ita & mulier, & familia tota malo liberata. Non longe Porca distat vicus alius. Huius Cassanaires die festo magno in conuentu contra nostros absentes disputabant. primusq. illorum dixit; nunquam futurum, vt Patres Societatis, quoad viueret, aequis oculis aspiceret. nondum plane venenatas voces miserat, cum Lychnus pensilis in medio concionis rupto retinaculo subito casu hominem oppressit; vt postero die saeua eum febris inuaserit, quae illum octiduo consumpsit. Pari animaduersionum genere alij multi e medio sublati, Patrum consiliis, & Romanae doctrinae aduersantes. Vicissim fideles suae pietatis praemia tulere. Adolescentulum

lum aegrotum, & iam morti proximum ad Sacerdotem nostrum parentes detulerunt ; certa spe ipsius precatione, puerum recuperaturum valetudinem. preces pro illo facit Sacerdos, puer incipit melius habere : ita vt certis precibus persolutis, omnino conualuerit,

COVLANENSIS DOMVS ad S. Saluatoris. Et ora Trauancoris.

COVLANI in domo ad S. Saluatoris priore anno septem, posteriore quatuor Sacerdotes, adiuncto fratre vno versati sunt, Domi Seminarium instituunt indigenarum alumnorum, & scholam legendi & scribendi. Foris duplicem habent administrationem ; & in vrbe Lusitanos, Indosq. excolunt : & extra vrbem duabus Ecclesiis praesunt agrestium. ex vtraque administratione fructus abunde colliguntur. Priore anno sexaginta, posteriore quinquaginta neophytos baptismus expiauit ; & multi supererant adhuc breui expiandi. In ijs, qui priore anno baptisma susceperе, puer quatuordecim annorum, honesto loco natus, e Nairum ordine multas diaboli, propinquorumq. machinas, ad eius consilium labefactandum adhibitas, admirabili constantia elusit. Magna est his neophytis religiõ, & aduersus Ecclesiam, eiusq. cerimonias reuerentia, & fides : magna quoque ad eorum fidem roborandam Ecclesiae virtus elucet, & multum diuina prouidentia in sua declaranda potestate liberalis. Quinque energumeni, tantum recitato S. Ioannis Euangelio, daemonis interfu

liberati sunt. In pago non ita longe dissito praecelsa crux defixa erat. Ad illam euertendam Regina misit cum suo rectore, aliisq. ministris elephantem. sed adfuit vltor Deus iniuriae. nam bellua crucem quidem eruit, & in proximum abiecit profluentem: sed confestim disrupta examinata est. & Naires, qui pecudem regebat, postero die interiit: reliqui omnes impij mandati administri, cum aliis scelerati facinoris spectatoribus, grauissimis puniti cruciatibus. Quibus malis territa Regina, facti paenitens, crucem iussit restitui, quã eodem adhuc haerentem loco, quo proiecta erat, inuenerunt: cum tamen profluens rapidissimo impetu volueretur. Quae res vna cum admiratione maiorem etiam erga crucis signum venerationem, & Christianis, & ethnicis incussit. Sed ethnici timore, Christiani in omnibus his terrarum tractibus admirabili eam reuerentia prosequuntur. Multae passim locis diuersis iamdudum defixae a Patribus cernuntur. ad eas non uiri, feminaeq. tantum, sed pueri etiam tenera aetate votiuas suscipiunt peregrinationes: easq. ieiuni, nullo sumpto cibo, obeunt; suas preces soluunt, dona offerunt; petita quoque consequuntur.

PERTINET ad Coulanensem administrationem TRAVANCORIS ora; vnusq. Rector vtrique praeest loco. regio tota est in Trauancoris Regis potestate, qui late intus imperat; Christiani maritima tenent, locis multis distributi: ora omnis viginti leucas in Commorini promontorii protenditur. In ea Societati certae sedes duae, Retera & Coleccium: Ecclesiae tamen multae, ad quas assiduis peregrinationibus Sacerdotes ex ijs sedibus excurrunt.

In

In Reterana sede nouum excitatum S. Andreae templum occasio multis fuit ethnicis, qui eo commigrarunt, nostram religionem amplectēdi. Praeter hos Mauri ad viginti, ethniciq. alij aliunde nostrae sese religioni addixere. Et quoniam experiētia docuit, ad ethnicorum, & Maurorum conuersionem prodesse, si multae in eorum sedibus Ecclesiae erigantur, (non enim possunt in tam claro verae lucis lumine conniuere, quin paullatim ad veritatem amplectendam, procedente tempore accurrant omnes) in pago alio Maurorum eiusdem Residētiae, loco opportunissimo ecclesia alia Virgini matri dicata est: verum non sine magnis superatis difficultatibus. Coniurati enim Mauri magnae pecuniae pactione a Rege impetrarunt, vt ea aedificatio impediretur. P. Rector, qui magna gratia apud Regem est, ad nostra iura defenda ipsum Regem adiit: ea iniuria violari questus amicitiam, eo Regem adduxit; vt quidquid ipse peteret, se facturum polliceretur: rem cum Regina matre a Mauris transactam esse: sed se negotium totum susceperturum: missurumq. cum Patre cum publica potestate, qui Ecclesiam omni iniuria prohibeant. Regina item a Patre compellata, suos misit, qui fabricam iuuarent. Mauri iterum coorti, Regem, Reginamq. interpellant: sed repulsi ab vtroque iussi sunt in suas redire sedes, & quiescere. Regi enim pluris esse Patris amicitiam, quam quidquid emolumenti ex eorum vectigalibus percipiat. Ita victis Mauris, magna Christianorum gloria, priore anno Ecclesia est absoluta. Sed illud maxime Maurorum spiritus exstinxit; quod ex eis vnus, clarus inter ipsos, & qui nos omnium maxime oppugnarat ad Patris pedes abiectus, magna

cum infamis legis deteſtatione, & clara Chriſtianae veritatis teſtificatione petiit, vt ſe cum coniuge, & quatuor filiis ad Chriſti gregem adiungeret. Ita ſpes eſt, piorum numerum in dies auctum iri. Et iam priore anno Chriſtiani ferme ſexaginta in eo populo excolebantur. poſteriore anno hic ne, an alibi? in Reterana ſede certe Mauri vndequadraginta, ethinici vndeuiginti ad baptiſmum ſunt admiſſi, Ita, quae Dei bonitas eſt, Eccleſia in dies augetur. Planicies erat perampla, copioſo admodum palmeto conſita, idoli cuiuſdam templo ſacra. templum multis ante annis euerterant Patres: poſteriore huius biennij anno Chriſtiani cõmuni conſenſu planiciem totam Eccleſiae dicarũt. ita non modico hoc emolumento aucta eſt Eccleſia. Duae aliae ſunt in eodem tractu Eccleſiae, S. Iacobo altera, altera S. Antonio dicata. eas non Chriſtiani tantum, ſed ethnici quoque venerantur. quotidie illas adeunt, dona offerunt; multaq. commoda Sanctorum caelituum ope ſe conſequi fatentur.

COLECCII Sacerdotes tres vndeuiginti obeunt Eccleſias. quarum primariae patronalia magno concurſu celebrarunt, non Chriſtianorum modo, ſed etiam ethnicorum. qui non vniuerſa tantum panegyri, & externo ſpetaculo contenti; ſed intra ipſam quoque ſacram aedem ſe inferentes, ſpatia alioqui ſatis ampla, multitudini anguſta reddidere. affirmabant autem ingreſſu, ac veneratione noſtri templi ſentire ſibi admiſſas remitti culpas. ſane, ſi humano ſenſu animi labes cernerentur. ſed nimirum in craſſa & ſtolida religione, hoc quantuluncunque hebeti ſenſu homines percipiunt, id totum deſurſum eſt a patre lumi-

minum; vt sentiant & ij, qui longe sunt, stillicidia stillantia super terram. iuuat credere id symbolum esse eius diuinae delectationis, quam spiritalem, & animatam Ecclesiam ingressi, ex vera culparum remissione percepturi erunt. Ingens fuit in ea sede confessionum numerus. ducentae fuere vitae totius, & maximi momenti: quibus ingentes alienae pecuniae redhibitiones factae sunt: quae res multum a Malabarica dissidet consuetudine. Sed, quod maximi faciendum est, in ijs, qui totius vitae confessionem explicarunt, fuere multi Pantagatines, qui opidorum, vicorumq. sunt Gubernatores. magnum est enim illos ad confessionem adduci. nam cum priuatorum omnium fortunae in illorum potestate sint; si hi contineantur in officio, facile est iniurias innumerabiles, aliaq. incommoda auertere. Quantum enim in recta iustitiae administratione situm sit, cum nemo non intelligit, tum Christiani hominis calamitas, quae illi aeternam attulit felicitatem documento est. Erat hic cum primis honestus inter suos. Patrem adit aliquando valens, & validus: summa contentione paenitentiae, & Eucharistiae sacramenta postulat: praesagire sibi animum, breui sibi esse necem inferendam. quod periculum si effugere contingat, non tamen frustra susceptum iri tantam pietatem. magno cum vtriusque fructu Sacerdos eius voto satisfecit. postero die Regulus in cuius erat ditione, quod eius vita suis nefariis consiliis obstaret, misit qui homini ceruices praeciderent. a quibus comprehensus, & ad supplicij locum adductus, petiit a carnificibus spatium orandi. accidensq. in genua, sublatis manibus se Deo aliquandiu intente commendauit. mox tranquillo animo conuer-

sus ad adstantes, veniam petiit ab omnibus: Christianos praecipue obsecrauit, suam vt Deo animã commendarent: se quidem iniuste mori, iuste tamen haec à Diuina prouidentia omnia permitti: libenterq. in culparum poenam se id genus mortis suscipere; sperareq. per sanctissimam Christi necem aeternam felicitatem consequuturum. nec minus pie, fortiterue, quam loquutus est, ceruices ferro praebuit. Confirmauit in sua pietate Christianos tanta fortitudine obitum supplicium, cum praesertim constaret: ipsum, si iniquae Regis voluntati, in offensam Numinis, assentire voluisset, periculum vitare potuisse. Sed, vt aliud ex alio, non beneficiis solum, vt supra exempla multa narrata sunt; sed momentaneis quoque animaduersionibus nouella haec fidei germina ad sacrosanctam Ecclesiae cultum, dignamq. venerationem Diuina prouidentia compellit. Templum, S. Catherinae dicatum, dirutum erat, vt melius restitueretur. ex eius ruinis Christiana mulier cistam ruderum plenam sibi domũ asportarat. quae confestim percussa caecitate alterius manu regenda fuit. sed, agnita culpa, cum factum reuocasset, venia a virgine martyre petita, donarium eidem templo, postquam restitutum esset, vouit; pristinamq. recepit valetudinem. Alius ligno e templo, quod extruebatur, ablato, repente contractis vertebris, ita curuatus est, vt stare nullo modo posset. hic quoque donario eidem templo oblato, sanus factus. His, aliisq. ostentis tum Christiani, tum ethnici admoniti, sacro sancta nostra habent templa; atque vtrique ad illa sua deferunt donaria.

ORA PISCARIAE.

DE situ orae Piscariae, natura loci, & incolarum propensione ad pietatem, ac de nostrorum in ea excolenda Ecclesia laboribus, cum superiorum annorum litteris, tum praecipue anni nonagesimi, & nonagesimi sexti fuse satis perscriptum est. exsequar his litteris quae huius sunt biennij propria, vel non ante explicata. Tutucorinum fere caput est ore totius. ibi forma aliqua collegij cum scholis, elemenraria, Latina, & de iure conscientiae. ibidem & Seminarium instituitur; de quo superioribus annis saepius est scriptum. Hic etiam fere commoratur familiae totius Rector, quanquam & ipse subinde ad excurrendam oram omnem, & ad domicilia singula lustranda proficiscitur. Occupationes, praeter statas dierum sacrorum conciones, & catecheses, ita per hebdomadae dies, ad eos, qui praecipua cura pietatem colunt, distributae sunt. Est hic sodalitas virorum instituta, qui a peculiari suscepta deuotione Deuoti nominantur. Ad hos habentur diebus Sabbathis propriae hortationes de rebus ad recte vitam conformandam pertinentibus. proponitq. quisque suas dubitationes, tam in rebus, quae ad fidē, quam quae ad vitam pertinent, & mores. Praeter Sabbatha sexta quaque feria sub vesperam conueniunt; sermoq. de Christi cruciatibus habetur; quorum commemoratione ita in lacrymas soluuntur, vt ad aspera quaeque Christi amore perferenda animati discedant. Tertia quaque feria in Ecclesia secundum Missae sacrum, mulieres, quae & ipsae cetum habent Deuotarum, suos celebrant

conuentus, eadem prorsus, qua Deuoti ratione, cum hortatione, & earum rerum tractatione, quae conducunt ad augendam pietatem. Quarta quaque feria hortatio ad scholarum pueros habetur ijs de rebus, quibus tenera aetas informatur. doctrinae Christianae ab ijs pensa exiguntur: eorum errata cognoscuntur, & pro modulo etiam puniuntur. Habentur etiam ad scholae catechisticae puellas diebus Sabbathis hortationes, institutiones, monitiones, reprehensiones, & vt fert ratio, vitiorum emendationes. Praeterea Deuoti his quoque rebus exercentur. Hospitalis domus procurationem suscipiunt: aegrotos inuisunt, & solantur: ad confessionem instruunt: instructis, & comparatis Sacerdotem accersunt: vna cum illo adsunt morientibus, extremo tempore salutis monita suppeditando, pauperibus opem ferunt: eleemosinas vna cum Patribus Societatis quaeritant. hac ratione viduis multis, orphanisq. omni ope destitutis subuenere. & quidem priore anno plus centum orphanae, quarum in discrimen pudicitia vocabatur, in tuto collocatae sunt. ad discordias sedandas, vitiaq. e ciuitate tollenda Patribus egregios se praebent adiutores. tanta q. est de illorum fide, & probitate existimatio, vt vel ab ipsis ethnicis persaepe controuersiarum arbitri eligantur. Eadem, quantum sexus ratio permittit, & Deuotae faciunt cum feminis. His, aliisq. exercitationibus ita viget in gente religio, & pietas; vt omnes in coenobitica vita educati esse videantur. Iam, quantopere ad piam liberalitatem sint procliues, praeteritae litterae satis declararunt. sed his duobus annis non parum est adiectum. nam praeter nosochomia duo Punicalense, & Tutucorinense

rinense superioribus litteris iam nota; quibus iuxta ethnici atque Christiani magna curantur caritate, priore anno Tutucorini catechumenorū domus excitata est; quanto cum Ecclesiarum commodo, & neophytorum bono, sequentis anni litterae docere praeuerterunt. posteriore e Christianis vnus, vita decedens, duo pardaorum millia legauit, ad sacellum ornandum in Ecclesia, quae B. Virgini erat excitanda. Sacello absoluto, reliquo templi corpore ne inchoato quidem, encenia magna religione, cerimoniaq. celebrata sunt. postero die de more defuncto fundatori anniuersarium funus eodem in sacello Patres peregerunt. quo pietatis officio ita fundatoris propinqui delectati sunt; vt ad totum templum exstruendum, pardaos mille in commune contulerint; pollicitiq. sint, in sumptum reliquum deinceps omnia suppeditaturos. Sed nouae etiam catechumenorum domus vtilitas percepta est: & ea quidem non vulgaris. Nam priore anno quatuor solemnibus baptismis septingenti, posteriore octingenti in ea instituti, sactis aquis regenerati sunt: In ijs ethnica mulier trium filiorum mater, ex ijs vnum morbo languidum tulit ad Ecclesiam, baptismoq. obtulit: spe concepta ipsum reualiturum. qui baptizatus sanatus est. non ita multo post, eo inter Christianos relicto, ipsa cum duobus reliquis in patriam rediit. morbo cum filiis correpta medicinam, & sibi & filiis inuenit in Ecclesia. Inter duos Regios Magistratus, ex ijs, qui Rectores, seu Regentes nominantur, grauissima erat de re pecuniaria, & gemmarum possessione magni pretij exorta controuersia; quam nulli componere potuerant. res ad arma spectabat: & erant vtrinque acies quinquies mille-

millenorum ad dimicandum paratae. Sed diuinae voluntatis fuit, vt res faciliore exitu componeretur. Totius igitur rei disceptationem ad vnum e nostris Sacerdotibus detulerunt, qui proxime aberat. Is ita vtrique satisfecit, vt omnis prorsus controuersia tolleretur, communiq. consensione ambo Patri gratias agerenr: dona insuper vterque mitteret.

IN POPVLO S. THOMAE nouo rei exemplo, quod languorem Christianorum possit redarguere, vnus e Regiis officialibus nostram Ecclesiam dotauit trecentenis annuis pardais. & vt tota res rata, perpetuaq. sit, a Rege Bisnagae, qui omnibus his oris late imperat, diploma impetrauit. Ita homo ethnicus non solum rem Christianã subleuauit, sed etiam, quantum potuit, ne quo vnquam tempore labefactetur; legitime cauit.

MISSIONES EX ORA Piscariae.

DVAE posteriore anno susceptae sunt ex ora Piscaria Missiones: in insulam Ceilanum altera, altera Maduram vrbem. In Ceilanum rei gerendae, & proferendi caussa imperij cum copiis traiecit Petrus Lopesius a Sosa. cum eo profectus est ipso postulante P. Antoninus Schipanus, homo Italus, qui magno militibus auxilio fuit: secundisq. aliquot praeliis factis, rebus semper interfuit. post nobilis cuiusdam indigenae, Christianae religionis desertoris perfidia, Duce ipso, multisq. e praefectis, & magno militum, religiosorumq. virorum numero e Franciscana familia interfectis, in ho

stium

ſtium venit poteſtatem. Inde emiſſus, Columbum, Luſitanorum in ipſa inſula praeſidium, ſe recepit. Hic aliquandiu moratus, vſitatis Societatis miniſteriis, multa doctrina, comitate, qua praeditus eſt, inſita humanitate, morum ſuauitate, & exemplo vitae omnium tum opidanorum, tum praeſidiariorum animos ſibi conciliauit. Sed, ne Franciſcani offenderentur; qui ſibi vnis e religioſis familiis in ea reſidere inſula ius eſſe obtendunt, a P. Prouinciali inde reuocatus, a Praetore Ceilanenſi, opidanis, militibusq. vno omnium conſenſu retentus eſt, & exeundi poteſtate intercluſus. Inde ad rem bellicam reſtituendam Soſae ſucceſſor miſſus Hieronymus Azebedius, Ignatij Azebedij a Nauarreis haereticis in Braſilica nauigatione iam pridem martyrio affecti germanus frater, eundem Sacerdotem in expeditionem ſecum eduxit. indeq. litteras ad P. Prouincialem dedit; quibus enixe contendit, vt non modo Schipanum in inſula ſibi retinere liceat, ſed Sacerdotes quoque alios eo ſubmittere ne grauetur. magnum in eo Chriſtianae rei agi emolumentum: magniq. ad res multas intereſſe Societatis Patres in ea inſula ſedem habere. Nihil ſibi aeque gratum eſſe poſſe, atque Societatis domicilio primum lapidem in fundamenta iacere. Eadem ſunt ciuitatis vniuerſae poſtulata. Sedem noſtris percommodam, & inſumptum ijs omnibus, qui traiecerint, pollicentur. Eius rei cauſſa litteras ad Proregem, ad Regem in Hiſpaniam, & ad ipſum Ro. Pontificem dederunt. Quibus & vt Patres Societatis ſibi dentur, & vt Heremitorium B. Virgini dicatum, in quo eos collocēt ſibi concedatur, poſtulant. Placuit nihilominus P. Prouinciali ad multas vitandas offenſiones, praeſertim

sertim Cocinensis Episcopi, cuius ea dioecesis est, re in presens dilata, P. Schipanum inde in suam sedem orae Piscariae reuocare. Hactenus de priore Missione.

IN ORAM OMNEM Piscariae, eiusq. mediterranea late regnum tenet Dynasta praepotens, & opulentus: vrbs Madura Regni caput est: Rex ipsorum lingua Naicus nominatur, ethnicus ipse, popularesq. item ethnici, praeter eos, qui fidem susceperunt, paucis admodum e Maurorum colluuione admistis. Optauit multis annis Societas aliquem in ea Regia versari Sacerdotem, qui Christianorum causas susciperet; ijsq. patrocinaretur apud Regem; cum iniuriis a Regiis praecipue officiis premuntur; & vt per eam occasionem gradus fieret in eam gentem Euangelio, quae sedet adhuc in tenebris, & vmbra mortis. Ergo, vt optabamus, res cecidit ad votum. Nam ea de re a Christianis indigenis compellatus Naicus ad P. Rectorem orae Piscariae litteras dedit in haec verba.

HVC VENIT Quaestiapanus; egitq. mecum de vestris rebus, quarum caussa missus erat. Libenter eum audiui. Arepanarius (hic Christianorum omnium orae Piscariae Praeses est) misit, qui mihi nunciaret, optare vos huc Sacerdotem mittere. Si venerit, ei ecclesiam aedificabo: cui exstruendae locum assignari iussi. Probus vtique sit, & dignus, quem miseritis. Litterae, gentis more in palmae foliis scriptae erant. Incredibili laetitia omnium animos hae litterae affecerunt. quorum si vota Diuina bonitas felicem ad exitum adduxerit, immensa prorsus aperietur messis animorum, vt si vel omnes, quotquot in Goano degunt collegio, pro-

professorumq. domo in hanc prouinciam mittantur, omnibus tamen sit opera superfutura. Profectus eo P. Consalus Fernandes, linguae peritus, benignissime exceptus est. Aream, aliaq. Regiae liberalitatis munera accepit. Aedificationem Naicus ipse suscepit; pollicitusq. est, se, quotquot e Societate mittantur, sustentaturum. operae tantum non desint, seges sese aperit amplissima.

MOLVCAE Insulae.

DE misero Molucensium rerum statu, non faciam, vt illa inculcem, quae insequentis anni litteris continentur. Duo tantum euenta ad spiritualium rerum fructum non sinam ex hac memoria excidere. Triremis vna cum biremi Christianorum in hostium classem inciderunt. qui nostros adorti, biremem quidem in deditionem acceperunt. inde impetu facto in triremem, cum multi in eam conscendissent, propugnatorum tamen virtute reiecti ad suas se naues receperunt. Vnus ex ijs adrepens per clauum cum in puppim euasisset, ligneum signum B. Virginis in puppi locatũ auellit: indeq cum aliis eiectus secum asportauit. quod, cum in litus exscendissent, classiariis ostendit. Laeti barbari oblata sibi facultate Christianae religioni illudendi, pro se quisque, arreptis malleis, ferreisq. instrumentis, vt quidque cuique obuium, sacram imaginem contundere; crebrisq. ac validis ictibus per summam rabiem impetere adoriuntur: vt, si vel aenea esset, eam comminuerent. stetit illa tamen contra omnem impiorum iniu-

iniuriam illaesa. Rei miraculo barbari attoniti, tamen ab improbitate non desistunt. Ingenti igitur igne excitato, in eum sacram imaginem coniiciũt. quae non modo combusta non est, sed ne colores quidem, quibus illita erat, vllo incendij signo infuscati. Haec diligenter conquisita, ac certis indiciis testata, non Christiani tantum, qui ei spectaculo interfuerunt, sed ipsi etiam tanti sceleris patratores retulerunt. Inde factum, vt sacrae imagini veneratio habeatur.

In ea porro biremi, quam deditionem barbaris fecisse diximus, Lusitani quatuor cum Indis aliis in hostium venere potestatem. ex ijs vnum Petrum Moreiram nomine, virum integerrimae fidei barbari arreptum, atque edita in ripa locatum omni veste nudarunt: mox adorti blandis verbis primum, post etiam ingentibus promissis, ad Christo datam fidem abiurandam, suamq. Maomethis perfidiam amplectendam adhortantur. sin minus intentatis gladiis, se illum minutatim conciſuros. quibus ille forti animo spretis terroribus; corpus in illorum esse dixit potestate: animum vero a IESV CHRISTO Deo suo, nullis vnquam vel acerbissimis cruciatibus auulsum iri. Eademq, animi firmitudine, atque in Deum fiducia barbarorum in se impetum excepit qui gladiis, sagittisq. in eum coorti atrocissime, inuicti militis, Iesu Christi nomen assidue inuocantis corpus dilacerauerunt. Ita morte fortiter obita feliciter martyrij coronã est adeptus.

AETIO-

AETIOPIA.

AETIOPICAM rem totam paene concidisse anni nonagesimi tertij litterae, si perlatae, translataeue essent, docuissent. Patre enim Antonio Ferdinando vita functo, in vnum P. Franciscum Lopesium totum eius Ecclesiae regendae pondus incubuit. qui aetate confectus, quarto & septuagesimo iam transacto vitae anno, opem petens, laborat clamans; raucaeq. factae sunt fauces eius. Et quando armati mitti subsidio miserae illi, ac destitutae genti non possunt; mittantur saltem Sacerdotes; qui, se vita functo, vitam suam in eorum prodigant salutem, qui sani adhuc in fide superant. quam enim pronum sit, paucos homines, pastore destitutos; atque hinc Mahometanis, hinc schismaticis cinctos Abassinis, ad finitimorum deuolui abominationes, nemo non videt. Ita ingens, quae olim inde concepta spes erat, fore, vt parua sementis aliquando in ampliſſimam segetem ad Aetiopiam omnem occupandam exurgeret, vniuersa concidet. neque vllum amplius antiquae religionis, ni paucae illae reliquiae seruentur, vestigium exstabit. Eius rei causſa P. Antonius Monserratus, & P. Petrus Paesius ad Abassinum Regem superioribus annis missi placuit. Sed non fefellit eorum aduentus Turcas, ad Arabicae orae custodiam intentos. intercepti a barbaris Canae eius orae vrbe in custodia cum magno Christianorum captiuorum numero traduntur: ibi non dura admodum seruitute habiti, & studia suae retinere pietatis; & statas Societatis precationum, aliarumq. exercitationum consuetudines potuere: seruare

regu-

regulas, bis quaque hebdomada confessionis obire sacramenta: semel & iterum annuas votorum repetitiones vsurpare. Christianis vero tum conseruis, tum Lusitanis aliis, qui ibi versantur, magno fuere & solatio, & adiumento. Siquidem anniuersaria solemniorum dierum sacra, oratorio ad id ramalibus, floribusq. adornato, saepe etiam peristromatis contecto, eo, quo in eo statu potuere apparatu celebrarunt. diebus festis hortationes habebant: statas per horas Ecclesiae psalmodias concinebant. &, quoniam veri, solidiq. sacrificij potestate priuabantur, vmbratilem tantum, exempta hostia, Missam peragebant. Paenitentiae sacramenta administrabant. diebus quoque maiore sanctitate venerandis processiones intra ergastulum, pro ea, quae dabatur copia, deducebant. Hac ratione imminentia primo anno vniuersorum defunctorum funebria, Christi Domini Aduentum, & natales ferias: sequente vero anno Quadragesimã, reliquosq. consequentes festos dies peregere. Elapso demum anno, ipso die Natalis Christi Domini ad vesperam supremus Turcarum Praeses, (Baxàa illorum lingua nominatur) misit qui suo nomine P. Monserrato potestatem faceret, quocunque vellet abeundi, decimo septimo, quam in Turcarum potestatem venerat mense, manumissus, benigne a Turcarum praefectis habitus, de comitum quoque libertate coepit agere. Turcae enim, cognita ipsorum inopia, & consilio profectionis nostros suspicere coeperunt. Ita xij. cal. Febr. anni CIↃ IↃ XCIV. collectis sarcinulis, arreptoq. itinere Mombazam venere. Ibi paratas sibi a Praefecto Vrbis in itinere insidias sensere. sed paucis diebus Praefecto ab officio exturbato, ac

sua

sua ipsius manu interempto, de suo rursus prose-quendo itinere agere coeperunt. Vsi sunt opera hominis Turcae, Algerij nati, qui cum Baxàae legato magna erat familiaritate coniunctus, & nostrorum per alia tempora beneficio deuinctus, multumq. ipsorum caussa velle praeseferebat. Accessit ad caussam Baxàas alter, Hispanicae linguae peritus, & in Hispania olim versatus; qui hac iter faciens ad Abassinum, magna beneuolentiae significatione Patribus pollicitus erat, se eos secum traducturum. Sed hic rursus altera obiecta perfidia optatissimam nostris corrupit occasionem. Qui enim nostram caussam apud huius orae Baxàam agebat, aliter nobiscum, aliter cum Praeside barbaro loquebatur, spe fortasse, vt est Turcarum consuetudo magni alicuius congiarij a nostris exprimendi. Interim Baxàae filius natu maximus moritur; totaq. caussa reiicitur. Spes tamen erat, meliore loco esse rem, quam ante. siquidem nostrorum inopia perspecta, nullius a nostris emolumenti spe proposita, sperant, omni fallacia amota, expeditum iri omnia facilius. Interim Christianis eius orae excolendis dabant operam.

Iam me video patres, fratresq. carissimi, metas, quas in scribendo mihi constitueram, excessisse. sed amor nostrarum rerum me fecit imprudentem. nam dum fructu lector operis; & Christiana re in omnibus orbis terrae partibus per nostros, tam sincero studio administrata, vt par est, delector; sentio me longius prouectum, quam aut opus fuit; aut initio mihi proposuerã. videorq. illorum imitatus studium, qui suorum facinora, quantumuis vera, non sine tamẽ audientium nausea, & sua aliqua gloriola fessis auribus obtrudunt. ita cum

singulorum, ad quos ea, quae narrantur, pertinent, meritis satisfacere contenderim, in aliorum satietatem, & molestiam incurri. & vt imperiti architecti aedificiorum vitia nisi absoluto opere, cum illa corrigere integrum non est, non cernunt: sic ego profusae narrationis incommoda non sensi, nisi cum male conformatas res refingere non licuit. Sed proderit tam prolixum opus ad vitia saltem in posterum vitanda. Nullam peritorum, ac sapientium suggillationem deprecor. neque enim postulo, vt, quod ipse non probo, alij non reprehendant: tantum oro, vt quidquid id est, vt uere est, ab optimo, & nostrorum laborum amantissimo animo profectum esse intelligatur. Diuina Sancti spiritus charismata omnium nostrorum mentes ita perfundant; vt ad maiora in dies praestanda, & animos inflamment, & vires sufficiant. Datum Romae cal. Octobr. CIↃ. IↃ CII.

Omnium in Christo seruus

Sebastianus Beretarius.

Imprimatur.
Curtius Palumbus Vic. Gen. Cap. Neap.

Rutil. Gall. Can. dep. vid. Reg. fol. vj.

Neapoli, Ex Tipographia Tarquinij Longi. 1605.

Errata sic corrige.

Pag.9.lin.8.Et ni iam. Corrige Et hi iam.l. 33. penetrarunt. penetrarint. pag.10.l.1. mensam edant. men.adeant.pag.17.l.3.paruitatis.prauitatis.pag. 18.l.4.vt aquila.vt aquilae.p.30.l.1. frequentant. frequentarat. l. 25. luxum vestitum. luxū vestium p.39.l.6.aulæ.aulæa.p.42.l.penult. remitti. se mitti. 46. 27. quantumuis eleemosinæ. quan. egentibus eleemosinæ.p 62.l.7.honeste.honesta.l.30. condictionibus.condicionib.64.7.Brancolbius.Brancolius.66. 32.inducēdas.induendas.84.l.penul.Si vbi.si vrbi. 102.l.penul.nupero vitæ.nuper inito.104.12.nobiles nobilis.105.10.studio.stadio.l.28.excepta.accepto. 29.accersit.accersyt.115.1.Medicæ.Mediceæ.8.Hæc variæ.Hac varia.16.quæq. quoque.118.l.vlt.educenda.educandæ.120.21.Iubilæum.Iubileum.121. 25.Subaudiense.Subaudiensem.123.11.Gemonensi. Cremonensi.l.vlt.coepit.cepit.131.22.Neque parte. Nequa parte.28.commodis.incommodis.133.33.& flagitiosa. è flagit.135.1.indicÿs.inducÿs.17.longo. longe.140.17. coniunctorum.conuictorum. l. penul. Archiepiscopatus.Archiepiscopus. 144. 11. Nihilominus.Nihilminus.24.ordini.ordinis.Post pag.144. numeri interrupti sunt.168.3.prÿciunt. proÿciunt. 171.7.Ticinnū.Ticinum.173. 27. Turcha. Turca. 176. 24. etiam biennium. & in totum etiam bien- 178.19.viro.viros.180.22.quod.quot.206.25.dolore.dolere.207. 23. Petrocorienſi. Petrocorienſis. 29. ali.alÿ. 214.7. Fidem. Iidem 216. 26.obiuegaretur.obiurg.217.26.venerant.venerat. 219 9. auidissimum.auidissimam 228.9.alteri.altera 233 27. alios sæpe.alias sæpe.236.13.spectātibus.spectādis. 254.4.Corneuus.Cornæus.255. 2. in nostra haec. in nost.

nost. hac. 264. 5. qui vt. quin vt 269. 4. potus. potũ. 271. 13. redimit. redemit. 273. 21. Crocodillo. Crocodilo. 30. faciesq. Corr. vultusq. 31. erecti, læti. erecti & læti. 274. 7 reliqui. relinqui. 281. 13. prospecta. perspecta 282. 17. quantũ. quantam. 286. 26. Viatores tuti. Viat. iure tuti. 288. 13. ijsq. isq. 293. 4. magnam prosperitatis. mag. tantæ prosperitatis. 322. 31. dum eum. 326. 6. scholas. scholis. 229. 2 Interpunge sic. Tum alia ratione, si minus in præsens; certo tamen iure nõ modo compensata, sed &c 330. 25. legendum sic: Non ipsum tantum: sed vniuersos ex familia tenacissimos, &c. 344. 17. Liuonæ. Liuoniæ. 356. 3. Commotonienſi. Commotouienſi. 369. 28. Exhibitus est. Exhibitus dialogus est. 402. 1. currumq. curruumq. 405. 8. chaumaniarum. chameuniarũ. 415. 12. Hunc. Nunc. 418. 10. proficiscerentur, adhuc. profic. retinetur adhuc 420. 12. transigendis. transigendi. 13. voluit. noluit. 426. 7. & 14. Baxaem. Baxaam. 428. 19. cuiusdami. cuiusdam. 432. 4 annus. annuus 438. l. penult. mandaret. mandabat. 449. 8. conuiuorum. conuiuarum. 452. 31. catholici. catholicæ. 453. 22 Opuleuscias. Opaleuscius. 468. 13. Bruntutam. Bruntutani. 471. 31. deterret. deterreret. 34. concione. concio. 472 22. agricolationo. agricolationi. 474. 15 adundæ. adeundæ. 486. 1. sentiat. sentiant 487. 9. Butchonia. Buchonia. 488. 2. Paderbonenſi. Paderbornenſi. 490 11. nostrorum. nostrum. 499. 6. refectæ. referiæ. 501. 24. diabo-cam. diabolicam. 503. 18. adolescentis. adolescenti. 507. 19. abstractam. abstractum. 508. 14. capi. carpi. 510. 17 tantam tantum. 514. 30. sacrae. sacra. 516. 15. inducunt. indicunt. 531. 12. lege sic. Materiam alũ, alij ingẽtes &c 16. habemus. habeamus 539. 22. illi. illis. 548. 25. dimitterent.

de-

demit. 552. 9. dimissa. demis- 557. 27. ciuitati. ciuitati sint. 560.3. Socijs. Socij. 561.1. Hispalensis. Hispalensi. 567.16 lente lẽta. 24. Priegueriſis. Priegueſis 570. poſt lin. 23. nullus esse debet titulus, nec diſiunctio contextus. 591. 27. labans. labens. 592. 22. pſalmodium. pſalmodiam. 23. inſtitutum. inſtitutam. 594.3 eduxit. induxit. 595. l vlt ex ſtrenui. & ſtrenui. 604. 26. ſuſtentent. ſuſtentet 606. 4. Roterius. Rotericus. 607. 9. millie. mille. 612. 20. Vicarij tribunalis. Vic. ſacri trib. 22. vacatur. vtuntur. 616. 30. onua noua. 622. 11. orant. erant. 15. perdici. per diei. 623. l. antepenul. vere vno. 634. l. penult & 637. 16. Ilaſcalenſis. Tlaſcalenſis. 637. 27. memoriæ. memoria. 638. 3 triſtitia lætus. triſtia lætis. 639. 26. omni robur. animi robur. 641. 3. Iide. Iidem. l. penul. Paſquarenſe Paſcuacenſe. lin. vlt. Paſquacenſe. Paſquarenſe. 642. 18. taedũ ſit. tædiũ ſit. 648. 16 tantas. tãtus. l. antepen. addiderũt. abdider. 649. 6. quaquã. 654 29. miſſus. miſſum. 657. 30. exortam. exertã. 661. 4. proferant. proferunt. 666. 16 & 17. tum ethnicos. tum catechumenos, tum ethnicos. 671. 5. omnum. omnium. 14 liminae. limine. 674. 3. dubiũ. dubiam. 686 l. vlt. Præſidem. præſidum. 693. l. vlt. ſtudijs. ſtudij. 696. 14. CIↃ. IXC CIII. CIↃ IↃXCIII. 704. 8. expectabatur. expetebatur. 728. 21. habitant, hi, vt. habitant. hi vt. 857. 8. ore. orae.

Cetera prudens lector facile animaduertet.

REGESTVM.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. &c. Aa. Bb. &c. Aaa. Bbb. Ccc. Ddd. Eee. F fff. Ggg. Hhh.

Omnes sunt quaterniones praeter Hhh. qui est duernio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX RERVM OMNIVM, QVAE HIS LITTERIS CONTINENTVR.

ABiuratio haeresis publica, & solemnis. 250
Acapuleus portus in Mexicana. 674
Accusatio nostrorum in Parisiensi Senatu testimonio duorum clarissimorũ Principum cõpensatur. 224
Aegrota mulier audienda concione sanatur. 372
Aegrotanti Sacerdoti cibi inuentu rari offeruntur. 681. 682
Aegroti varijs morbis miraculo sanati. Aqua benedicta quindecim Vaipicotae in India. 845. Euangelio recitato Inda mulier. 822. puella iam deposita in India. 825. caecus visum recipit. 642. 798. infans exanimis respiscit. 222. infantes alij aegroti in India. 322. alius comitiali morbo voto a matre concepto. 382. miraculis alijs, varijs morbis alij. 182. 204. 358. 372. 374. 382. 429. 430. 434. 461. 464. 765, & 766. multi. 798. 822. multi. 845. Sacramentorum beneficio Rigae tres. 341. alius. 374. in Stropchouiensi missione multi 416. in Augustana missione alius. 457. B. Virginis ope Diuione aliqui. 231. Herbipoli alij. 505. ad B. Virginis orans. 642. voto concepto fidei catholicae Anglus. 295. infans voto concepto a matre. 382. voto a patre nuncupato filius. 823. grauiter aegrotans precibus in Missa

ſa. 78. *alios vide in Confeſſione peccatorum.*
Aegrotus morti proximus mire a diabolo illuditur. 735
Ager diabolo dicatus ex eius poteſtate eruitur. 826
Agni ſacri virtus perſpecta. 139. 194. 325. 341. 348. 384. 430. 453. 454. 464. 475.
Agri noſtrae poſſeſſionis facti, fertiles redduntur. 713
in Alberſtadienſem agrum excurſio 517
Albertus Auſtriacus Cardinalis. 549
Aleator famoſus, & decoctor redit ad frugem. 96
Aleatoria domus clauſa. 68
P. Alfonſus Piſanus. 335
Amens precibus ad Deum ſanatur. 550
Anabaptiſtarum ſimulata ſanctitas. 383. 384
Aneſienſis collegij primordia. 227
Angli adoleſcentes tredecim capti ab haereticis. 596
Angli alumni capti ab haereticis conſtantes in fide catholica. 302. *voto Societatis partim ſe obſtringunt, partim ſe teneri proteſtantur.* 23. 24
Angli haeretici obſtinati mira conuerſio. 678
Anglorum militum quorundam pietas. 363. 364
Anglus adoleſcens, rupta in pectore vena, concepto voto rei catholicae iuuandae ſanatur. 295
Anglus miles commilitonem ſuum morti proximum auocat a fide catholica, ipſe poſtmodum conuertitur. 363
Anglus pirata Ricardus Aquineſius captus ab Hiſpanis. 683
S. Antonij ſtatua impie tractata miraculo illuſtratur. 792

P. An-

P. Antoninus Schipanus. 860
Araucani gens Peruuiana. 723
Archiepiscopus Christianorum a S. Thoma. 840. 847
Argentei fluminis, & Paraquarij confluentia. 372
Armeni. 349. 353
Arua sataq. a tempestatibus defensa Ecclesiasticis benedictionibus. 416
Austriacorum Principum pietas, & erga nos liberalitas. 398
B Althasar Pinna. 719
Baptismi beneficio ethnici ex horrida aspectu in humanum vertuntur. 670
Baptismo infantes nouem mortis periculo, & morbo liberantur. 845
Baptismo susceptо quidam horrendo diaboli vexatione liberatur. 821
Baptismum diuina inspiratione petit, qui paullopost occisus est. 795
ad Baptismum vocationes adolescẽtulorum, & aliorum. 795. 810. 811. 812. 814. 816. 817. 818. 824. 825. 826. 827. duo. 833. 836
Barbara gens hominum sese mutuo vorantiũ. 755
P. Barzana. 725. 726. 729. 732. 734. 742
Bauariae Ducis in nos liberalitas. 489. 525
Blasphemiae licentia coercita. 377
Blaspemus miles ne sclopo traijciatur poenitentiae remedio liberatur. 28
Botorum secta magno apud Indos in honore. 812
S. Brigitae caput. 766
S. C AEcilij reliquiae. 575
Caecorum mendicantium opera ad catechismum. 235. 689

Caecus videndi potestatem precibus recipit. 642. 798
Calculi doloribus è magno concreto lapide, & echinato exstinctus Sacerdos. 293
Caluinus Sanctorum Patrum, & antiquorum scriptorum deprauator. 502
Cameracensis sedes in Belgio recepta. 316
Canibus vorandus traditur Franciscus de Vera. 728. 729
Carcere liberati inopes a sodalibus congregationum. 536. 544. 563. 573
Castimoniae retinendae exempla vide Pudicitiae
Catholicae familiae in opido frequenti antea quadraginta, vix nunc totidem haereticae. 216
Catholicam fidem in medijs finibus haereticorum retinet opidum vnum cum suis vicis. 499
Catholici ab haereticis magistratibus vexantur. 403. 442. 451. 496. tres. 497. 506. a suis domesticis alij. 509
Catholici inter haereticos religionem dediscunt. 220 455 456
Ceilanum insula in India. 860
Certamen in morte cum inferno hoste. 807
Christi corporis festum in octiduum continuatum. 551. religio suscepta. 568
Christiana res quibus maxime rebus promoueatur. 122
Christianae doctrinae caussa congregationis instituuntur, vel institutae negotium suscipiunt. 99. 111. 128. 164. 165. 176. 297
Leges ea de re publice feruntur. 165. 299. 310. 433
Ei tradendae praeest Mantuae Ducissa. 118 alibi matronae primariae. 118. pueri sua premia gestant in supplicatione. 33

Chri-

Christianae religionis vestigia apparent in ignota gente in Mexicana. 663
Christum praedicari a catholicis haeretici non credunt. 378.
Cianes populi Peruuiani. 748. 750
Cibi inuentu rari aegroto appetenti offerũtur. 681
Cilicium retinet ad mortem vsque adolescens. 772 alius cutim exulcerat. ibidem
Ciquiti gens Peruuiana. 754. Hispanos interficiunt. 760.
Claromontanus Episcopus nobis fauet in Gallia. 224. 281.
Colapho percussus maxillam alteram praebet. 80. 774. 790
Collegij Ciuquisacani initia difficilia. 703
Collegij Germanici alumni xxxvii. in comitijs imperialibus ius habent suffragij. 22. Sexaginta ex ijs vnus e Prouincialibus Societatis strenuos Ecclesiae ministros in sua prouincia enumerat. 22
Colloquia de rebus pijs, collationesq. in coenobia virorum, ac mulierum inducta. 124
Comam a fronte promiuentiorem nostri discipuli ponunt. 68
Comarrha ab oppugnatione Turcarum precibus, & pietate defenditur. 365
Comes a Sastago. 543. 544. 546.
Comes Camillus Gonzaga fundator domus probationis Nouellariensis. 108
Comes Carolus Masfeldius. 369. 375
Comes Carolus Rhegiensis insigniter in nos benefícus. 110
Comes Prieguensis. 567
Comitissa Oliuarij insigniter in nos benefica. 60
Comoedi, & histriones exacti. 31. 121. 782

Comoediae interesse recusant adolescentes discipuli nostri. 87. 548
Conceptio urbs Paraquariorum in Peruuio. 727
Concordiã impediens, & ei aduersans punitur. 552
Concubinarius punitur vexatione filiae a diabolo. 72
Confessarios vtile est concionibus interesse. 122
Confessione a nostris expiantur etiam hostes in praelio caesi, aut capti. 313
Confessione peccatorum aegroti conualescunt. 98. feminae aliquot. 188. vnus Ipris in Belgio. 309. Rigae. 341. Viennae miles haereticus. 357. Brunae mulier haeretica. 393. Stropchouiae in Vngaria 415. 416. Ingolstadij vnus. 430. Monacij tres. 446. 447. alij. 545. 546. 642. 643. 714. 715. Mulier vexatione diaboli liberatur. 393
Confessionem obire catholici rustici non audent. 457. 522
Confessionem postulat homo validus praesagiens sibi mortem imminere. 795
ad Confessionem quidam terroribus adducitur. 447. alius diuinitus adductus improuiso moritur. 793
Confessiones auditae ex itinere. 57. 103. 767
Confessionis neglectores diuinitus puniuntur. 552
Confessionis abusus inter rusticos. 407. 456
Confessionis obeundae voto duo aquarum inundatione liberantur, 357. alius spectris terrificis. 447 miles prostratus superior euadit. 328
Congregatio in duos hominum ordines diuisa. 361
Congregatio primariorum virorum curam suscipit feminarum poenitentium 574
Congregatio virorum militarium. 296 310
Congregationum B. Virginis initium, & cerimonia.

nia. 548. 582
Congregationes piae variis locis eodem anno institutae. opificum Romae. 6. leges illis datae. 6. Ibidem adolescentulorum. 9. in collegio Apranico Romae. 9. Aliae circa Romam. 9. Catanae studiosorum extornorum. 75. Venetiis adolescentium patriciorum. 92. perseuerantium Bononiae. 98
Congregationum desertores vnus in rixatium turba interficitur. 8. alius nando submergitur. 8. alius moriens postulat denuo recipi. 75. alius abiectis studijs scholarum reuocatur. 102. alius respiscens graui morbo liberatur. 429
Consuetudine nostrorum catholici, & haeretici prohibentur. 326. 334. 456. 500
Conuersio insignis viri clari in militia. 315. Ruteni nobilis. 245. Angli haeretici. 374. viri nobilis Gandiensis. 540. quorundam vitae perditissimae. 49. 50. 591. 611. 612
Conuictorum Mussipontanorum pietas. 186
Corpus P. Ioannis Harti septennio post sepulturam integrum repertum. 327
Corsica, & missio in eam insulam. 129
Coulanum in India. 851
Cozacij vagi milites, sed catholici. 411
Cruce reuulsa, & proiecta impietas diuinitus punitur. 852
Crucem venerantur, tum Christiani, tum ethnici. 852
Crucifixi imagine domus infestatione diaboli liberatur. 849
Crucifixi imaginem haereticus sibi venerandam comparat. 377
Curribus praetereuntibus presse B. Virginis ope

inuocata liberantur. 7. 308. 537
Cusquiensis Episcopi in nos liberalitas. 688

DEFVNCTORVM CATALOGVS

ALbertus Volterus. 340
P. *Alfonsus Camera.* 580.
Alfonsus Cardona. 63
P. *Alfonsus Guiliermus.* 587.
P. *Aloisius Coelius.* 803
Anastasius Naccius. 64
P. *Andreas a Carriedo.* 627
Angelus Brancolius. 64
Angelus Mariottus. 18.
Antonius Cannauara. 18
Antonius de Planis. 712
P. *Antonius Sambusita.* 143
P. *Antonius Rocha.* 796
P. *Antonius Yuannes.* 541
P. *Arnaldus Procurerius.* 310
P. *Arnaldus Saphorina.* 193
P. *Balthasar Ercanus.* 498
P. *Balthasar Magnus.* 316
P. *Balthasar Sanctophimius.* 580
P. *Baptista Confluentinus.* 445
P. *Bartholomaeus Sanctius.* 585
P. *Benedictus Taborotius.* 111
P. *Bernardinus Papiolus.* 711
Bernardus Gallina. 94
P. *Bernardus Cochius.* 417
P. *Bonauentura Paradinas.* 446. 478
P. *Carolus Villalta.* 649
Dauid Birreta. 110
P. *Didacus Barrius.* 834
P. *Didacus de Zunica.* 681
P. *Dominicus Ioannes.* 771

Domi-

Dominicus Patinus. 93
P. *Dominicus Menginus*. 446
P. *Emericus Forſterus*. 397
P. *Emmanuel de Lis*. 806
Emmanuel de Matos. 832
P. *Emmanuel Sequeria*. 763
P. *Ferdinandus Andieda*. 565
P. *Ferdinandus* Perez. 771
P. *Fonſeca Braſiliae procurator*. 585
P. *Franciſcus Andreas*. 768
P. *Franciſcus Bencius*. 12
P. *Franciſcus* Carualius. 807
P. *Franciſcus Enlart*. 293
Franciſcus Fuda. 59
P. *Franciſcus Maſſarellus*. 93
P. *Franciſcus Morales*. 589
P. *Franciſcus Pereria*. 770
P. *Fanciſcus Pintus*. 771
P. *Garſia* Paciecus. 629
P. *Gaſpar nouicius*. 340
P. *Gaſpar Obergaſſerus*. 444
Gaſpar Rotericus. 782
P. *Gonzalus Ferdinandus*. 770
P. *Guido Marboreus*. 311
P. *Gulielmus Morandus*. 237
P. *Hannibal Firmanus*. 24
Hermannus Molitor. 510
Hieronymus Gualdius. 42
Hieronymus Pereſius Oliuanus. 542
P. *Hieronymus* Pradus. 19
P. *Hieronymus Solerius*. 32
Hippolitus Gauellus. 124
P. *Honoratus Villarius*. 238
P. *Horatius Arnolfinus*. 24

P. *Hur-*

P. Hurtardus. 377
P. Iacobus a S. Cruce. 587
Iacobus Barza. 94
Iacobus Boullius. 294
P. Iacobus Ciſnerius. 770
Iacobus Eliſanus. 577
P. Iacobus Ferrerius. 262. 763
P. Iacobus Herrera. 625
Iacobus Huet. 308
P. Iacobus Pirius. 770.
P. Io. Baptiſta Alexandrius. 16
P. Io. Baptiſta Beluiſius. 143.
P. Ioannes Boulandus. 488
P. Ioannes Brauius. 587.
Ioannes Copius. 510
P. Ioannes de Atienza. 679
P. Ioannes Ferdinandus. 601
P. Ioannes Lanoy. 301
P. Ioannes Leleſius. 25
P. Io. Nicolaus Domnius. 356
Ioannes Nicolaus Gallus. 63
Ioannes Proſperus. 673
Ioannes Rullus. 377
P. Ioſephus Cauiatus. 628
Ioſephus Mannonius. 20
Laurentius Scuccina. 27
P. Ludouicus Alfonſus. 768
P. Ludouicus Eſcouarius. 561
Ludouicus Lauecchia. 63
Ludouicus Seuarolus. 19
P. M. Antonius Bolognettus. 18
P. M. Antonius Mellinus. 97
P. Marcus Marderus. 423
Marianus Mongiardinus. 81

P. Martinus Enriquez. 678
Mathias Putsius. 492
P. Melchior Lobatus. 770
P. Nicolaus Clerus. 238
P. Nicolaus Fabrinius. 58
P. Nicolaus Sedhoroscius. 346
Octauius Troisius. 63
P. Paulus Vincentius. 370
Petrus a Cruce. 834
Petrus Blanchettus. 231
Petrus Martinus. 783
P. Petrus Michael. 524
P. Petrus Montoia. 713
P. Petrus Velascus. 577
P. Petrus Villalba, 535
Philippus Bitius. 102
P. Robertus Harnonius. 711
P. Rotericus Illanes. 606
P. Sanctius. 542
Sebastianus a S. Martino. 636
P. Stanislaus Herbestus. 327
P. Stephanus Rospilliosus. 18.
P. Theobaldus Stozius. 450
Theophilus Ciottus. 628
P. Vincentius Brunus. 10
Vincentius Portus. 127
Volfangus Vitmarus. 444
Deuotorum, & deuotarum sodalicia. 857
Diabolo se deuouere volens, ab eo vexatus confessione liberatur. 522.
Diaboli familiaritate barbara gens vtitur in Peruuio. 727
Diaboli mirabiles illusiones, & praestigiae, 205. 208 511. 512. 735. 780

Diabolus ethnicam mulierem Christiana sacra omnia iubet suscipere, praeter baptismum. 717
Diabolus ex insesso homine abactus saeuit in maleficum, qui illum adstringebat. 846
Diabolis felis specie puerum terret. 194. Serpentis specie puellam vexat. 242.
P. Didacus Gusmanius. 568
Discipuli nostri ad alios iuuandos nobis adiumento sunt. 384.385.405.428.466.519.526. 527. 533. 641
Ad scholas regendas expetuntur. 526. 530
Haereticis nati parentibus cõstantes se praebent in fide catholica. 189.200.214.241.326. 327. 359. 379. 382. 404. 418.493.497.502. 509. 526.
Mortem insigni obeunt pietate. 103.105.240. 359. 360
Nostris calamitatibus ad nostrũ amplectendũ institutum magis inflammantur. 190.199.280
Pueri grandi natu viros, & ministros disputando superant. 241
Discipulis externarum scholarum lex datur de menstrua confessione peccatorum. 48
Discipulorum nostrorum exemplo multi se cum liberis ad nostri templi, & sacramentorũ frequentiam conferunt. 32. ad caritatis, & pietatis officia praestanda permouentur. 573
Discipulorum nostrorum amor erga Societatem, & maeror ex nostro exsilio. 189. 199
Discipulos a nobis abducere haeretici conantur. 404
Disputationes cum haereticis susceptae. 141. 181. 201.203.217.322.331.494
Dissidium contra duelli leges compositum. 76

Di-

Diuionenſes, noſtris inde eiectis Dolam veniunt ad noſtros 244

Dominicanorum Patrum familia ſexaginta habent fratres in prouincia vna ſcholarum noſtrarum alumnos. 630

Dominicanorum Patrum comitas, & beneuolentia erga nos. 564.581.606.615
hoſpitalitas. 721.722

Dominicus Lomellinus nobis beneficus. 171

ex Eccleſiae rebus aliquibus ſublatis noxij diuinitus puniuntur. 856

Eccleſiae in ethnicorũ, & Maurorum finibus exſtructae eos ad Chriſtifidem ſenſim adducunt. 853

Eccleſias noſtras etiam ethnici reuerentur. 849.856

Eccleſiaſtici ritus reſtituti magna pietate excipiũtur. 250.414.415.500

Eccleſiaſticis benedictionibus arua, ſataq. a tempeſtatibus defenſa. 416

Eleemoſinae inſignes. 29.30.61.92.130.204.312.323.325.337.489.574.785

Emmanuelis grammatica publico vniuerſitatis Colonienſis decreto in omnes ciuitatis ſcholas inducitur. 489

Energumeni ſanati, & diaboli infeſtationes ſublatae. 846.850.851

Energumenus admirabilis. 372

Epiſcopus Cuſquienſis. 688

Epiſcopus miſſus in Iaponios. 763.778

Epiſcopus quidam Thomaeorum ſeditioſus aduerſus Romanam Eccleſiam. 848

Equitum praefectus catholicus, captus ab haereticis diuina ope liberatur. 244

Euangelio recitato infans exanimis reſipiſcit. 222. *caecus viſum recipit.* 642. *infantes multi*

a egro-

aegrotisanantur. 822. Inda mulier aegrota 822. puella iam depoſita. 825
ex Euchariſtia ſanguis profluere viſus. 503
in Euchariſtia Chriſti praeſentia declarata. 351
Euchariſtiae ad aegrotos ferendae ordo plenus dignitatis. 119. erga ipſam veneratio, & cultus 120. eius tutela. ibid. eius cauſſa ſodalitas inſtituta. 332. Chriſti praeſentia declarata. 351. eius feſtum in octiduum continuatum. 551. religio ſuſcepta 568. 569
Exercitationibus ſpiritualibus inſtituuntur religioſi etiam aliarum familiarum. 52. 120. Epiſcopus vnus, & praefecti militares duo. 182. Tholoſae decem. 194. Franciſcani aliqui 205. aliqui praecipui viri Duaci. 295. Louanij alij 296. Ingolſtadij multi. 432. Monachi multi cum coenobiarcha Oetingae, alijq. in proprio coenobio. 475. Salmanticae multi. 596. Villagarſiae diſcipuli multi. 601
in Exſilium acti noſtri fortem animum habent Vide Gallia eiecti.
Fames, & ſitis arctiſſima. 748
Faſtorum liber puer puerilium actionum in ſcholas inductus. 163
Felis ſpecie daemon puerum terret. 194
Feminae honeſtae mulierculas a turpi vita reuocant. 182
Filios a conſilio religionis auertere pernicioſum. 105. 192. 365
Flumine iter facientes merſionis periculo liberantur. 171
P. Franciſcus Maria Almericus. 673
Frater e Societate quaeſitus ad necem ab haereticis diuina ope ſeruatur. 245. alter captus ab hae-

haereticis dimittitur. 245
a Fratre legere litteras Sacerdos e nostris non vult. 649
Frontones barbara gens in Peruuio. 728
Fulmine occisi duo, tertio incolumi, qui medius illis comitabatur. 79
GAllia expulsi nostri forti animo iniuriam ferunt. 140. 187. 225, 243. 468.
putantur in ea calamitate a sua vocatione defecturi. 185. pios amicos liberales experiuntur. 468. 469
Gangis aquis religionem ineſſe Indi arbitrantur. 829
Gemelli duo in Societatem admiſſi. 199
Graecis litteris diſcipuli noſtri multum proficiunt. Oeniponti. 449. Ratisbonae. 461
Graecus Epiſcopus e Moſchouia rediens. 333
Grandi natu homines Societatem ingreſſi. 81. 542. 630. 649. 712
S. Gregorij Thaumaturgi caput. 765
S. Guilelmi Ducis Aquitaniae caput. 305
P. Guilielmus Veſtonius in Londinenſi carcere. 595
P. Gundiſaluus Tapia martyr. 653. 655
HAeretici ad fidem catholicam reuocati. Romae in collegio paenitentiariorum aliqui. 21. Florentiae vnus. 30. Senis vnus. 32. Ferrariae quatuor. 97. Bononiae duo. 98. Brixiae quatuor. 103. Taurini miniſter vnus. 131. in Taurinenſi miſſione decem. 141. vnus Muſſiponti. 181. Saxo nobilis item Muſſiponti. 185. adoleſcens Caluiniſta magnae indolis. 186. alter Lutheranus. 186. Viriduni aliquot, 187. circa Agennam aliqui. 203. in Turnonenſi viginti octo. 215. Auenione viginti duo

tiduo. 228. in Anicienſi multi. 250. Duaci nonnulli. 294. Leodij aliqui. 297. Audomari aliquot. 302. pirata Anglus captiuus. 303. Antuerpiae ſexaginta. 303. Ipris quinque, & alij praeterea. 308. 309. Gandaui quindecim. 309. Traiecti aliqui. 310. Cortraci aliqui. 310. Valencenis aliqui. 311. Inſulis multi 312. Bruxellis magnus numerus. 312. Vilnae plus ducenti octoginta. 319. in miſsione Vilnenſi aliqui. 322. 323. Bransbergae trigintaduo, & alij praeterea. 324. Poſnoniae ducenti ſexaginta. 324. Pultouiae ſex. 325. Saroſlauiae viginti vnus, a ſchiſmate Rutenorum vigintinouem. 326. praeterea quadragintanouem. 328. Lublini priore anno quadraginta. 329. nobiles aliquot. 331. poſteriore triginta. 331. Polociae ſeptuaginta octo. 333. Caliſsij plus triginta. 335. Derpatenſibus excurſionibus nonaginta quatuor. 339. Rigae ducenti nonaginta quinque. 340. poſteriore anno nonagintaſex. 342. Nieſuiſij nonaginta ſeptem. 345. Cracouiae trigintaſeptem. 346. itē vigintiſeptem. 348. Leopoli quadragintaquatuor. 349. item excurſione vna ſexaginta. 350. item quadragintaſex. 353. item alij quadragintanouem. 353. Viennae multi. 357. poſteriore anno item aegroti multi. 363. item Validi ſexaginta quatuor. 364. Pragae octoginta tres priore anno, poſteriore centum. 371. Olomucij ſeptuagintaquatuor. 378. Vratiſlauiae vigintiquatuor. 381. Brunae pſiore anno trigintaſeptem. 383. poſteriore quadraginta octo. 393. Graecij octoginta. 398. vicus totus Silniza in Vngaria, & alij peaeterea. 414. Stropchouia Vngariae opidum totum. 415. 416. Commotouiae ſeptuaginta. 417. in Tranſyluania Vdua-

raliue

raliae bis mille. 423. Albae Iuliae permulti. 425. Ingolstadij viginti. 429 Dilingae quadraginta quatuor 442. Monachij quadraginta tres. 446. Oeniponti aliqui. 448. Augustae quadraginta. 451. pagus prope omnis in missionibus Augustanis. 454. Ratisbonae octoginta. 459. Friburgi septemdecim. 463. Lucernae quadraginca quatuor. 465. Oetingae aliqui. 475. Constantiae octoginta. 477. Coloniae priore anno plus centum, posteriore multi. 490. Moguntiae aliqui 492. 493. Spirae priore anno multi, posteriore septuagintaseptem. 496 Herbipoli septuaginta sex. 502. Fuldae vigintisex. 506. Heilingenstadij triginta. 511 Herfurdij septemdecim. 514. Hildesij septemdecim. 514. posteriore anno totidem. 517. excursione in Magdeburgensem: & Alberstadiensem agrum quatuor. 518. Confluentiae vigintitres. 522. Angli, Hiberni, & Britanni Olisippone quadraginta. 765

Haeretici audiunt nostrorum conciones. 136. 139. 203. 207. 216. 418

Haeretici consuetudine, conuictuq. nostrorum catholici fiunt. 186. 187

Haeretici conuersi in fide constantes. 381. 416. 496. 503.

Haeretici energumeni sanari non possunt, nisi haeresi abiurata. 512

Haeretici filios suos in nostram tradunt disciplinam. 199. 334. 343. 393. 526. 528

Haeretici in malis ad catholicorum remedia confugiunt. 340. 337. 395

in periculis ad fidem catholicam redeunt. 322. 323. 357

Scholis nostris insidiantur. 516

veritatem intelligunt, & pudet amplecti. 216. 339. 400. 451. 459. 497. 502
Haeretici nostris insidiantur. 199. 404
Haeretici praedicantes a suis contemnuntur. 216. 442. 500. 526
ex Haereticis Academijs discipuli veniunt in nostram disciplinam. 493. 507
Haereticorum conuersiones notatu dignae. 186. 187. 332. 339. 345. 364. 381. 385. 398. 400. 460. 503. 507. 522
Haereticorum discipuli in nostram veniunt disciplinam 398
Haereticorum mendacia. 498. 501. 502
Haereticus multae eruditionis nostro concionanti frustra insidiatur. 530
Haereticus maleficij damnatus ad extremum vsque spiritum obstinatus. 299. alius tandem conuertitur. 562. item alius. 678
Haereticus miles iniurioſus in sacrum templum horribili exitu punitur. 139
Hibernorum collegium Olisippone institutum. 768
Histriones. vide Comoedi.
Hospites comploratione excipiuntur apud Itatinos in Peruuio. 751
S. Hyacinthi Sanctorum numero adscripti celebritates. 551. 564. 565. 581. 582
IAponiorum Episcopus consecratur P. Ludouicus Cerqueria. 778
Iaurinensis arcis proditores supplicio afficiuntur. 365
e P. Ignatij Azebedij martyris interfectoribus vnus ad fidem catholicam conuersus. 242
B. P. Ignatij imaginem osculatus nouicius graui tentatione liberatur. 66. eiusdem reliquijs mulier

lier difficultate partus liberatur. 416. visendum se praebet. 640
Illusiones diaboli admirabiles. 511. 780
Indicam, Iaponicamq. profectionem subito admoniti suscipiunt duo. 769
Iniuriarum condonationes insignes. 33. 35. 62. 64. 65. 74. 80. 204. 310. 536. 548. 605
Itatini populi in Peruuio. 750
Itinera nostrorum ad Tucumanes, & Paraquarios in Peruuio. 750
Iudaea puella ad baptismum venit. 329
Iudaei vnius conuersio insignis. 112. alterius cum filia. 228
Iudaismus in Peruuio pullulans excinditur 691
Iurisiurandi fides neglecta punitur. 511
Iuuentute pia, & modesta cõpletur ciuitas. 106
Laeuinius Torrentius Antuerpiensis Archiepiscopus collegij Louanensis fundator. 296
Laniones queruntur ob Ecclesiastica ieiunia non posse dissectas pecudes distrahere 476
Lapidatio, et dimicatio adolescentiũ sublata. 563
P. Laurentius Madius. 407
Lectio bonorum librorum. 107. 115
S. Leonardi templum miraculis illustratur. 433
Leonissus opidum Vmbrorum. 51
Liberalitas piorum erga nos. Claromontani Episcopi. 206. Sabaudiae Ducis 207. Chamberiensis ciuitatis. 207. Auenionensium. 227. 228. Regis Poloniae. 347. Austriacorum Principum. 398. 399. Treuirensis Archiepiscopi. 520. Bauariae Ducis 489. 525
Libri pij distribuendi in vulgus. 115. 200
Ligna mare deuecta ad idoli templum, tempestate ad B. Virginis templum ejiciuntur. 824

Lotaui qui sint. 344
Lucas Osiander Societatis impugnator confutatur. 428
Lutheri mendacia detecta. 455.460
Lutherus suis scriptis confutatus. 459 494. 501.

M Adura Naici regia in India. 862
Magdalena Vlloa. 614. 620
Maledici in nos palinodiam recantant. 105.128
Maledicus in nos, Ecclesiasticosq. diuinitus punitur. 388
Maleficus, & arrepticius vult se haberi deum. 821
Maleficiorum damnati insignis paenitentia. 241 591
Mantuanae Ducissae Heleonorae Austriacae insignis pietas. 112. studium promouendae doctrinae Christianae. 118. mors. 113. laudes. 114
Martyrio affecti P. Gundisaluus Tapia e Societate. 655. Ioannes Cornelius alumnus Romani Anglorum Seminarij. 23. Ioannes Ingramus eiusdem Seminarij alumnus. 23. Petrus Moreria homo Lusitanus. 864
S. Materni caput. 520
S. Mauritij religio in Brasilia. 798
Maurus homo miraculo vocatus ad Christianam fidem. 562
Mendicato sibi victum quaerunt alumni nostri religionis caussa. 509
Mendicus caecus, & fetidis vlceribus aeger a Parthenijs adiutus. 573
Mercatoris copiosi mira conuersio. 53
Meretricis filia in materna domo virginitatem, & pietatem colit inuita matre. 229

Miles

Miles prostratus in praelio, voto confessionis facto, superior euadit. 328
Militis conuersio insignis. 315
Milites ante praelium iubentur se confessione expiare. 142
Militum pietas, & felicitas in praelio. 244
Ministri haereticorum, vel ministrorum filij ad catholicam fidem conuersi. 141.250.335.336. 339.342.353.371.378.423.425.451.492. 497.502.504.522
Ministri haereticorum a suis contemnuntur. 216. 442.500.526
Miraculo duorum vita a tormentis muralibus defensa. 315. *Maurus homo ad Christum vocatus.* 562. *Morbis varijs multi sanati.* 222. *alios vide Aegroti varijs morbis. Parthenius adolescens a caedis periculo liberatur.* 132. *reus falsis criminibus oppressus, & damnatus liberatur.* 320. *reliquiae sacrae ex oppugnatione haereticorum seruatae.* 791
Missae sacro dum intersunt catholici quidam incendij periculo exempti sunt. 367
Monasteria monialium ad religiosae vitae normam reformantur. 163.177.611
Monticulus opidum in Piceno dissidijs perturbatum sedatur. 37
Montis stellae in Lusitania descriptio. 775
Moribundi Sacerdotis meditatio. 542
Mors Christiano homini ob iustitiam, & pietatem illata. 855
Mortis vexilla linthea cruenta. 43.
Morum facta mutatio varijs in locis. 51. 54. 128.181.184
Moschouitarum Popus. 375

Mulier Inda mariti rogo concremanda ad Christum transfugit. 818.

Mussipontanorum conuictorum pietas. 186

NAicus Rex late imperans in India. 862

Nocturna per somnum phantasmata qua seueritate adolescens abegerit. 126

Nouicij Christianam doctrinam explicantes admirabili concursu audiuntur. 168. ijdem ad conciones Quadragesimae expetuntur. 169. in magno belli strepitu, quae sub oculis geruntur non adspiciunt. 711. ab haereticis vexantur. 389

Nouicij admissi in Societatem ex vna Taurinensi ciuitate anno vno septem. 139. ex vrbo Ferraria quinque. 97. Verona sex. 104. sex item Mussiponto. 164. Tolosa item sex. 177. ex vna Congregatione Duacensi priore anno vndecim, posteriore duodecim. 295. Pultouia sex. 325. Graecio decem. 399. ex vna Salmanticensi Academia septemdecim. 597. Valentiae octo. 539. ex Eborensi Academia priore anno nouem, posteriore duodecim. 777

Nouicij in ingressu varijs difficultatibus cõflictati. 97. 126. 182. 191. 192. 209. 293. 436. 437. 482. 491. 597

Nouicij qui admitti peterent, ex nostra calamitate maiores ardores assumunt. 190. 191. 198. 199

Nouicij duo Saxones in suo consilio a patre confirmantur. 491

Nouicij vnius breuis cursus, & insignis pietas 252. alterius pater haereticus ad fidem catholicam venit. 481

Nouiciorum tantum adspectu quidam vitae solutioris conuertitur ad pietatem. 66

Nouicium nepotem suum vir magnus in sua vocatione

tione confirmat. 484. 485
Nouicius filius vnicus a patre ad Societatem adducitur, 108. alius. 192
Nouicius ante ingressum conuiuium praebet pauperibus. 484. alius vt admittatur miro modo elicit a patre pecuniam. 482. alius magna contentione, & sibi, & fratri alteri veniam extorquet a patre. 437. alius antequam admittatur flumine mersus creditur. 210
OLeum ex palmis cũ oliuo comparandum. 748.
Omoguacae gens Peruuiana. 737
Opidum vnum inter haereticos catholicam fidem retinet. 499
Opida omni praesidio nudata, sola pietate tuta. 120. 246
Opinio & fama de fructu Societatis. 215. 216
PAcificatio duarum factionum multa supplicatione, & flagellationibus impetrata. 170
Poenitentiae insigne exemplum in homine facinoroso, & damnato. 591
Pagus popularium caedibus famosus, in quo triẽnio toto nemo naturali morte obierat. 95. 96
Pantagatines in India qui sint. 855
Paranai, & Paraquarij confluentia. 732
Parthenia sodalitas frustra ab haereticis oppugnatur. 385
Paterfamilias unus in tota familia catholic. 452
Paterfamilias nobiscum reconciliatur fructu filiorum ex nostra disciplina. 309
Patiendi aspera mirus ardor in femina. 246
Pauperes in egestate nostrorum opera adiuti. 29. 130. 140. 205
Peregrino poenitens peccati occulti admonetur. 548

Perſeuerantium congregatio. 98
Plumbeae laminae inſcriptae. & plumbei libri reperti magnae antiquitatis. 575
Pluuia precibus impetrata. 74.87.414.763.538.798
Pons Leodij ad noſtrum templum flumini impoſitum magna celeritate. 298
Porca ciuitas Chriſtianorum Thomaeorum. 849
Praedicator noſter inter concionandum conuicijs laceſſitus. 710
Praedictiones duae verae P. Emmanuelis Sequeriae. 763
Praeparatio ad mortem. 94
Precibus ad Deum, & pietate magis quam vi Comarra a Turcarũ oppugnatione defenditur. 365.
Precibus aegroti ſanantur. 78.851. amens reſipiſcit. 550. caecus viſum recipit. 798
Proſcriptio Sociorum Lugdunenſium. 255. Billomenſium. 281. Diuionenſium. 284
Pudicitiae retinendae clarum in adoleſcente exemplum. 133. Maceratae viri tricenarij. 36. ibidem adoleſcentis ſcholarum diſcipuli. 36. Panormi multorum ſimul. 64. Bibone. 79. Bononiae duorũ. 98. Placentiae alius. 107. Moguntiae. 493. Conimbricae triũ. 771. 772. Brigãtiae vnius. 783
Puella valens ſentiens ſe ſtatim morituram baptiſmum petit. 818
Puellae ſexennis horribilis mors. 167
Puer ethnicus inuito patre ad baptiſmũ venit. 809
Puer poene mortuus baptizatus ſanatur. 824
Puer vita ſunctus viuenti ſimilis noſtro Sacerdoti apparet. 647
Pueri catechiſticae ſcholae matres inuitant ad ſtudia pietatis. 235

Puer ministros haereticorum disputatione de religione superat. 494
Puerpera B. P. Ignatij reliquijs difficultate liberatur. 416. duae aliae aliarum sacrarum reliquiarum beneficio. 766. alia precibus nostrorum. 99. aliae tres deinceps recitato Euangelio, & aqua benedicta hausta. 822. aliae verbis tantum tribus Euangelij. 839. alia mortuo fetu intra aluum admoto Euangelio liberatur. 847. alia mortuum fetum semper emittens, reliquiarum, & sacramentorum beneficio viuentem tandem emisit. 87
Puerulum in supplicationem mater mittit cum flagello. 330
Purgatorij carceris fides vmbra defuncti hominis comprobatur. 529

a
REformatio ecclesiarum. 184
Religionis consilio filios abducere pernicioſum. 105. 192. 365
Religiosi aliarum familiarum nostris consitentur. 52. 98. 120. 347
Reliquiae sacrae ex oppugnatione haereticorum periculo ereptae. 791.
Reliquiarum sacrarum odor admirabilis. 714
Reliquiarum sacrarum translationes. 38. 39. 100. 586. 587. 714
dum transferuntur femina aegrota, sanctorum ope implorata conualescit. 101
Resignationis insigne exemplum. 238
Restitutiones rei alienae magni momenti. 112. 128 228. 304. 305. 765. 804
Rex Poloniae in supplicatione procedit. 348. nobis beneuolus, & beneficus. 325. 336. 347
Ritus ecclesiastici restituti magna pietate excipiuntur.

tur. 250.401.414.417.500
e P. Rodulphi, & sociorum martyrum interfectoribus vnus Christianus fit. 827
Romana Ecclesia catholica nominatur. 203
Rutenorum Popi. 332. 346. 349
S Abaudiae Dux nobis beneuolus. 131. eius victoria, & pietas. 142
Sacerdotium opulentum alumnus nostrae disciplinae religione tactus recusat. 188
Sacramenta conficiendi nullam se habere potestatem haereticus minister fatetur. 492
P. Salesij martyris memoria recens. 246
Salutium. 142
Sanguinis excreationes sibi sisti aegrotus frater impetrat a B. Virgine. 43
Scripta defunctorum post ipsorum mortem reperta. 43. 444
Scholae vnius philosophiae discipuli omnes, aut religionis, aut ecclesiastici status consilium alunt. 198
Scholas nostras frequentant viri Principes. Apostolici Legati Auenionensis fratris filius. 230. Marchio de Renty. 295. Filij Ducis cuiusdam Ruteni. 350. Bauariae Ducis filij. 430. Comes de Porcia. 430. Ferdinandus Austriacus Archidux. 431. Lucas Opuleuscius Dynasta Polonus, aliiq. 453. Comes Oetingensis. 470
Sellas confessionales in templo poenitens videre non potest. 474
Seminaria alumnorum externarum gentium in India. Goanum diuersarum nationum. 809. Bazainense. 831. Christianorum a S. Thoma. 838. Coulanense. 851. Tutucorinense in ora Piscaria. 857

Senes

Senes vitae solutissimae ad vitae emendationem redeuntes. 49. 50.
Septifluentia vrbs in Paraquarijs, alio nomine Vera. 732.
Sepultura ecclesiastica priuari grauis animaduersio. 415
Sepultura mortem sibi anteuertunt moribundi homines. 758
Societatem ingredi optant ex vna vrbe Dola vnus & viginti. 240
Sodalis B. Virginis captus ab hostibus, eiusdem Virginis ope elabitur. 195. *alius.* 233. *alius miraculo a caedis periculo liberatur.* 132
Sodalis parthenius reuocandi ab impudicitia mulieres studiosus. 551
Spiritus nequam puellae obsequens, & scite canens varijs organis. 72
Spiritus nequam vexatores hominum abiguntur. 71. 205
Sterilis mulier fecunditatem impetrat precibus P. Tapiae. 659
Subita morte multi intereunt Gadibus. 579
Superstitio ex cribro farinaceo ad detegenda furta. 73
Superstitiones aliae aniles. 73
Superstitiones Peruuianorum dissipatae, & punitae. 690
Supplicio extremo afficiendi ingentem concipiunt sensum pietatis. 77. 241. 358
Surda mulier voto obito sanatur. 505
TEmpestas horribilis agros pessundat. 189
Tempestas precibus sedata. 170
Tempestate asperrima P. Ioannes Morillus iactatur. 698

Templi tectum subito collapsum egresso inde cum poenitentibus Sacerdote nostro. 129

Tentationum faces magna pietate superatae. 639

Teueci, aliaeq. gentes in Mexicana ad Christianam religionem propensi 663

S. *Thomae Christianorum aliqui turbam excitant contra nos.* 840. *Illorum postmodum pietas. ibid. eorum Archiepiscopus.* 847. *aliqui Romanae Ecclesiae aduersantes diuinitus puniuntur.* 850

Transmarini hominis species humeris P. *Ioannis de Atienza insidet.* 680

Transyluaniae Princeps puer olim in disciplinam Societati datur. 25. *eius institutori venenum miscetur.* 26. *eius pietas.* 425

Transyluanorum coniuratio in Principem. 421.

Transyluanorum nobilium liberi in disciplinam Societatis dantur. 26

Trauancoris ora in India. 851

Treuirensis Archiepiscopus nobis beneuolus, & beneficus. 520

Tubarum sono Itatini in Peruuio significant quod volunt. 751

Tucumanes in Peruuio, eorumq. natura, & varia idiomata. 725. 727. *regionis sterilitas, & rerum omnium penuria.* 730

Turba ingens inter Ecclesiasticos, & profanos iudices sedata. 590

Turca captiuus nouiciorum opera, & nocturno viso conuertitur ad Christum. 173

VAllis Dossolae factionibus perturbata. 152

Veneficij crimen multis afflictum, nostrorũ opera purgatur. 612.

Veneficus, & arrepticius vult se haberi Deum. 821
Venenum nostris propinatum. 26. 254
Viae ignaris fratribus duobus per noctem dux itineris offertur. 509
Viaticum sacramentum moriendi necessitatem aegrotis afferre rustici existimant. 457
Vicus Indorum totus se ad Christiana sacra excipienda comparat. 817. *alius totus Brachmanarum communi omnium decreto Christiana sacra suscipit. ibid.*
Vigiliae nocturnae festorum dierum cum lasciuia, & saltationibus e templo sublatae. 619
Viltipochus caciquius magni imperij in Peruuio. 737
Vinitorum duorum mira pietas. 232. 233
Virgines in solitudine adiutae. 648
Virgini, quae integra peperit honos habetur in Mexicana. 664
in B. Virginis conceptionem vigintiduae orationes intra octiduum dictae sunt. 678
B. Virginis imago a Turcarum rabie seruata. 84
B. Virginis ligneum simulacrum a Mauris contusum, & in ignem coniectum illaesum persistit. 863
B. Virginis ope adolescentes tardo ingenio mire proficiunt in studijs 504. 505
B. Virginis ope aegroti sanati. 231. 505. *capti ab hostibus euadunt.* 195. 233. *Billomenses Socij extorres latronum periculo liberantur.* 283. *maris periculum Socij alij euadunt.* 622 *ope implorata, & sponsione facta Partheniae sodalitatis ineūdae semel & iterum ex hostium potestate adolescens elabitur.* 234. *Sodales*

alij variis periculis liberantur. 7. 308. 537. 195, 251
B. Virginis religio aliqua duobus perditissimae vitae viro, & mulieri adiumento fuit. 611.612
Virginitatem suam vouet adolescens. 107
Virgo mira pietate. 235
Virgo opulenta, spreto coniugio monasterio se addicit. 626. 764
Virgo sacra ante professionem omnia, quae habet, defert ad Antistitam. 163
Virgo sacra in Gallia nostrorum proscriptionem praesentit absens. 184
Visa miraculosa tum propicia, tum aduersa, varijs hominibus obiecta. 14. 49. 69. 71. 73. 174. 188. 189. 233. 247. 352. 360. 400. 562
Vocationes nouiciorum notatu dignae. Binae quatuor adolescentium. 390. 391. 392. quatuor item aliorum posteriore anno. 394. 395. trium quatuorue in collegio Dilingano. 436. alius 437. Ausciae vnius. 199. duorum Tolosae. 209. 210
Vocationis consilium deserentes. 105. 174
Voto confessionis duo aquarum periculo liberantur. 357
Voto Partheniae sodalitatis ineundae captus ab hostibus adolescens liberatur. 234
Voto piae peregrinationis a matre concepto filius comitiali morbo sanatur. 382
Voto obito surda mulier sanatur. 382
Vsurae impudentes castigatae. 196
Vsurarij interitus miserabilis. 223. 226
Vxor catholica maritum haereticum, & ministrũ trahit ad catholicos. 497
Vitae populi Philippinarum. 673

Adden-

Addenda ad collegium Senense pag. 34. & inter lineam 14. & 24. collocanda.

VIcus est in Vrbe ab ipso poene centro in latus alterum declinans ciuitatis, cui Prouenzano nomen est. locus ante abiecti nominis, & probrosi; nunc autem a diuina Matre multis caelestibus bonis illustratus. squalida tecta & sordida. infelices mulierculae turpi quaestu in ijs vitam profligabant. Erat supra ianuam domunculae vnius loculamentum rudi opere excauatum. in eo gipseum B. Virginis signum multis annis, sedem habuerat. summa tantum pectoris caput sustinent mensura cubitali. puluere, situq. & longa negligentia decolorata omnia. Iniecta est homini claudo, & vtriusq. pedis vsu impedito sacrae imaginis nonnulla reuerentia. ad quam cum contentius, & maiore subinde pietate supplicaret, absolutam pedum integritatem a B. Matre impetrauit. Huius exemplo mulier in illa vicinia bene nota, facie sedum in modum cancro exulcerata, & ipsa eadem S. Matris bonitate est persanata. Hac fama vulgata, biduo, triduoue multis miraculis locus illustratus. Confestim, vt in ciuitate cultui virginis maxime addicta ingentes vndique cum pretiosis donarijs ad humilem venerandam imaginem concursus excitati. neque ex vrbe solum, sed ex omnibus circa populis, ciuitatibusq. hominum agmina cum suis quaeque muneribus confluebant: tanto numero, vt diebus paucis aedis peramplae in loco nuper infami fundamenta iacerentur; sacerdotes aeditimiq. sacrorum cultui addicerentur. Ad tantum religionis splendorem famelicae lupae abactae sua inde pro-

stibula

stibula transtulerunt. Cum nulla esset familia, nulla sodalitas, nullus conuentus, ciuitas nulla vniuersa Senensi, & finitima Florentina ditione, quae non ad sanctam venerandam imaginem confluueret. Parthenia quoque nostrorum discipulorum Sodalitas per id tempus Romanae primariae adiuncta agmine eo se contulit. Tanta modestia, & pietatis indole iuerunt lecti adolescentes, vt viri nobiles non possent adspectu satiari. Librum carminum in B. Matris laudem a se scriptorum. venuste, & cum dignitate compactum, speciosumq vexillum futuro templo dono dederunt. Poema dictum est, habitaq. in ipsius virginis laudem non inelegans oratio.

Haec eo addenda fuerunt, tum vt res tota plenius explicaretur, tum vt hallucinatio mea corrigeretur, qua templum, quod nullum adhuc erat, extra moenia fuisse traditur. quod illorum culpa factum est, qui cum haec illustrare debuissent fumum pro luce nobis offuderunt; rati nomen in sua notum ciuitate, etiam Europa vniuersa esse celebre. Quis enim non in iis locis versatus, audito processionis nomine, & sterili illa definitione: Cui a Prouenzano nomen est, non in illam Samosatheni reprehensionem incurrisset? & templum antiqua religione venerandum à noto pago aliquo nomen traxisse iudicasset? Sed haec mihi post excusam typis epistolam ab homine totius rei gnaro priuatim indicata hac ratione addenda visa sunt. neque enim nouum hoc esse additionis genus, aut reformidandum, cum praesertim id rei postulat necessitas, auctores habeo annales viri admirandi.

FINIS.

Annuæ litteræ
anni XCIV. XCV.
1594 et 95.

Th
5169

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN